Duo volumina simul unō aureō Varsaviæ

DOCTRINA CHRISTIANA

AUCTORE

P. D. GABRIELE SAVONAROLA C. R.

IN QUATUOR PARTES DISTRIBUTA.

DOCTRINA CHRISTIANA

AUCTORE

P. D. GABRIELE SAVONAROLA C. R.

IN QUATUOR PARTES DISTRIBUTA.

VOLUMEN SECUNDUM

EDITIO SECUNDA.



PATAVII MDCCLXXVII.

EX TYPOGRAPHIA CONZATTI.

Superiorum Permissu ac Privilegio.

INDEX
CAPITUM.
LIBER TERTIUS.
PARS PRIMA.

PARS

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

LIBER QUARTUS ET ULTIMUS.

LIBER TERTIUS

De Virtutibus Theologicis & Cardinalibus, de Vitiis, de Gratia & Prædeſtinatione.

NULLA Virtus ſine Fide; & Fides conſervari non poteſt niſi in eodem ſubjecto, in quo cæteræ Virtutes reperiantur. *Obedientiæ* autem *virtus in creatura rationali mater quodammodo eſt omnium, cuſtosque virtutum.* [S. Aug. lib. 14. de Civ. Dei c. 12.] *Ex obſervantia* enim *Mandatorum ſperare poſſumus Vitam æternam*, *quam ultimo Symboli Articulo, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat, diximus eſſe credendam;* [S. Ambr. ep. ad Siric. Pap.] contra ex inobedientia Præceptorum Decalogi & Eccleſiæ oriuntur peccata, quæ, qui operatur, *hoſtis eſt animæ ſuæ; ponit immunditias in corde ſuo;* [Tob. 12. 10.] *moritur Deo, & reus eſt æternæ damnationis* (a), [Ezech. 14. 5.] *ut nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis Mediatoris expiaverit.* [(a) S. Aug. tract. 49. in Joa.] Et ſane *ita Adamum, primum hominem, condidit Deus, ut, ſi Creatori ſuo, tanquam vero Domino ſubditus, præceptum ejus pia obedientia cuſtodiret, in conſortium tranſiret Angelicum ſine morte media, beatam immortalitatem ſine ullo termino conſecutus; ſi autem Dominum Deum ſuum libera voluntate, ſuperbe atque inobedienter uſus, offenderet, morti addictus, beſtialiter viveret, & libidinis ſervus, æternoque poſt mortem ſupplicio deſtinatus.* [Id lib. 5 cont. Julian. c. 29.] [Id. lib. 12. de Civ. Dei c. 21.] Sed quemadmodum ad Vitam æternam conſequendam, quiſque, opitulante illa Divina gratia, ob quam meremur *conformes fieri imaginis Filii Dei*, [Rom. 8. 29.] tenetur in omnium Virtutum genere (habita ratione conditionis ſuæ) ſeſe diligenter exercere, & ab omnibus vitiis, quæ illis opponuntur, abſtinere; ita rectus ordo poſtulat, ut nos, qui in præcedenti Libro de Præceptis primum Divinis, deinde Eccleſiaſticis egimus, agamus modo in hoc Libro de Virtutibus & de Peccatis, dicturi poſtea quædam de Gratia & Prædeſtinatione. Librum igitur tripliciter dividimus.

mus. In prima Parte de *Virtutibus*, in altera de *Peccatis*, in tertia de *Gratia* & *Prædestinatione* differemus.

PARS PRIMA.

De Virtutibus.

S. Aug. lib. 83. qq. q. 31.
(a) Id. lib. 4. de Civit. Dei cap. 21.
1. 2. q. 55. a. 4.

Virtus est *animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus*. Hinc & *ars ipsa, bene recteque vivendi, Virtus a Veteribus definita est (a)*. Quare etiam recte dicitur *qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Sic cum Augustino docet Divus Thomas.

S. Aug. lib. 4. cont. Jul. cap. 3.
Rom. 1. 17.
S. Aug. lib. 2. de Civ. Dei c. 21.
Id. Ep. 107.
Joa. 17. 3.

Absit, ut sit in aliquo vera Virtus, nisi fuerit justus. Absit autem, ut sit justus, nisi vivat ex Fide. Justus enim *ex Fide vivit*. Hinc *vera justitia non est nisi in ea Republica, cujus conditor, rectorque Christus est. Cui enim debetur Vita æterna, vera justitia est. Hæc est autem Vita æterna, ut cognoscant homines te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.*

S. Aug. de Agon. Chr. c. 13.

Fides ergo est prima, quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi, quibus custoditis, Spes nostra firmatur, & nutritur Charitas; & lucere incipit, quod antea tantummodo credebatur.

Id. lib. 4. cont. Jul. cap. 3.
Id. lib. 14. de Trin. cap. 20.

Neque sane *omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus, nisi esse possemus. Sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest nisi per Christum, & hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur; ideoque justus ex Fide Christi vivit*. Ex hac enim *Fide prudenter, fortiter, temperanter, & juste, ac per hoc his omnibus veris Virtutibus recte, sapienterque vivit, qui fideliter vivit. Virtutes* enim *ipsæ, quibus prudenter, fortiter, temperanter, justeque vivitur, ad eamdem referuntur Fidem.*

Ex his patet alias esse Virtutes, quæ Deum habent ut proprium, & immediatum objectum; aliæ, quæ versantur circa res naturales. Illæ *Theologicæ* dicuntur, scilicet *Fides, Spes, Charitas*; istæ *Cardinales*, nempe *Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Justitia*, nuncupantur, quia sunt veluti cardines cæterarum Virtutum. De omnibus singillatim, breviterque de more agemus.

CAPUT PRIMUM

De Virtutibus Theologicis.

Gal. 5. 6.
1. Cor. 13. 13.
S. Aug. de Temp. Ser. 53.
Id. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 31.

Quicunque Christianum nomen tenet, & quicunque Sacramentis Divinis est imbutus, necesse est, ut Religionis Christianæ rationem sciat, & Fidei veritatem agnoscat; ejus quoque Fidei, quæ, ut Apostolus ait, per Dilectionem operatur, *quæ in præsenti confortat, ac roborat credentes, & in futuro perducit ad Dei contemplationem. Nam tria quædam proposuit, animæ nostræ necessaria, Beatus & egregius gentium Doctor, dicens:* nunc autem manent Fides, Spes, Charitas; tria hæc: major autem horum est Charitas... *Hæc autem, major Fide & Spe, ab Apostolo esse narratur, quia, cæteris recedentibus, ipsa sola permanebit. Illæ enim, & hujusmodi Virtutes, quæ nunc propter transigendam istam peregrinationem valde necessariæ sunt, non erunt in Vita æterna, propter quam adipiscendam sunt necessariæ.*

1. Joan. 3. 2.
Rom. 8. 24.
Psal. 72. 28.
S. Aug. Ep. 52.

Et sane *in æterna Beatitudine non erit Fides, qua credimus ea, quæ nondum videmus, quia* videbimus Deum sicuti est. *Non erit Spes;* Spes enim, quæ videtur, non est Spes; nam quod videt quis, quid sperat? *Nec prudenter discernentur a bonis mala, quæ non erunt; nec fortiter tolerantur adversa, quia non ibi erit, nisi quod amemus, non etiam quod toleremus; nec temperanter libido frænatur, ubi nulla ejus incitamenta sentiemus; nec juste subvenietur ope indigentibus, ubi inopem, aut indigenum, non habebimus. Una ibi virtus erit, & idipsum erit virtus, præmiumque virtutis, quod dicit in sanctis eloquiis homo, qui hoc amat:* mihi autem adhærere Deo bonum est. *Hæc Vita beata; perventio quippe est ad æternum ac summum Bonum, cui adhærere in æternum est finis nostri boni.*

Id. lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 26.
Id. Ser. 53. de tem.

Una igitur *ibi, & tota virtus est Charitas amare, quod videas, & summa felicitas habere, quod amas;* quia *in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto amore Dei.*

1. Cor. 4. 7.
Joa. 16. 24.
Trid. Sess. 6. c. 7.

Virtus porro quælibet est absque dubio donum Dei. *Quid enim habes, quod non accepisti?* Quare enixe a Deo petenda est, qui scriptum reliquit: *petite, & accipietis*. Sed, a Deo præcipue, *Fides, Spes*, & *Charitas* ad nos proveniunt, quæ ideo *Virtutes infusæ* nuncupantur. *Si igitur Virtutes, quas accepisti, a*

quo acceperis, sentiens, eique gratias agens, eas ad ipsius Dei cultum, etiam in tuis istis sæcularibus honoribus, conferas, tuæque potestati subditos homines ad eum colendum, exemplo tuæ religiosæ vitæ, & ipso studio consulendi, seu terrendo erigas, & adducas ... & veræ illæ Virtutes erunt, & illius opitulatione, cujus largitate donatæ sunt, ita crescent, & perficientur, ut te ad vitam vere beatam, quæ nonnisi æterna est, sine ulla dubitatione perducant. S. Aug. Ep. 52.

Virtutes generatim aliæ sunt *habituales*, aliæ *actuales*. *Habituales* dividuntur in *acquisitas* ex actuum multiplicatione, & *infusas* immediate a Deo, qui revera eas virtutes Theologicas infundit Baptizatis.

Utraque Virtus, sive *habitualis*, sive *infusa*, dividitur in *vivam* & *mortuam*. *Viva* est in subjecto gratia sanctificante ornato; *mortua* in subjecto gratia eadem destituto; & in eo, si quæ est Charitas, dicitur imperfecta; quæ omnia fuse explicant Theologi. Hos consulant, qui plura desiderant.

Hoc loco non omittendam esse ducimus quamdam propositionem ab Alexandro VII. damnatam, ut intelligat unusquisque se teneri ad hasce Theologicas Virtutes studiose excolendas. Propositio erat hujusmodi: *homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum Divinorum, ad eas Virtutes pertinentium.*

Damnavit laudatus Summus Pontifex impiam hanc sententiam, impudenter propugnatam a multis recentioribus Casistis, quorum tamen libri & circumferuntur adhuc, & leguntur, ut certo teneremus neminem sine frequenti horum actuum usu posse salvum fieri. *Deus enim Fide, Spe, & Charitate colitur. Hæc est vera Religio, hæc vera Pietas, hæc tantum Deo debita Servitus.* Hinc Ecclesia orans, *da nobis*, inquit, *Domine, Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.*

S. Aug. Enchir. c. 7.
Id. lib. 10. de Civ. Dei cap. 3.
Dom. 14. post Pent.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De Fide.

EST *Fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium;* sive est Donum Dei, est Virtus a Deo infusa, cujus lumine mens hominis illustrata, firmiter assentitur iis omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive illa Sacris Litteris expressa sint, sive non. Hac de re legendus esset Divus Augustinus *tract.* 11. *in Joa.* qui alibi hæc etiam habet: *ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

Hebr. 11. 1.
DD. com.
Cont. ep. fundam. cap 5.

Non tamen Fides confundi debet cum fiducia de singulari Dei misericordia, qua speramus Vitam æternam. Immo *si quis dixerit, Fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam Divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit. Si quis* quoque *dixerit, hominem, renatum & justificatum, teneri ex Fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.* Nec minus confundi debet cum Opinione; nec cum Scientia; quæ omnia per se manifesta sunt.

V. S. Aug. ep. 108.
Trid. Sess. 6. Can. XII. & XV.

Oportet igitur, *accedentem ad Deum credere, quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.* Hoc igitur est primum Fidei objectum; Deus Unus & Trinus, Creator, Redemptor, Sanctificator, Remunerator. *Non enim quisquam præter istam Fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus Incarnationem, sive postea, reconciliatus est Deo, cum sit ab Apostolo veracissime definitum:* unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo, Christus Jesus. *Mysterium* autem *Incarnationis Christi explicite credi non potest sine Fide Trinitatis.*

Hebr. 11. 6.
1. Tim. 2. 5.
S. Aug. in Psal. 104.
S Tho. 2. 2. q. 11. a. 8.

Hinc concludimus negandam esse absolutionem a Sacerdotibus pœnitentibus illis, qui explicite nesciunt Deum remuneratorem esse, Deum trinum esse, Deum incarnatum fuisse; vel in anteacta vita Fidei actus, culpabili negligentia, fere nunquam elicuerunt. Habemus enim in hac re tres propositiones ab Innocentio XI. jure proscriptas, quæ a Probabilistis multo antea pervicaciter defendebantur. Hæc erat prima: *nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* Secunda: *Absolutionis capax est homo, quamtumvis* DD. com.

labo-

laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri, Jesu Christi. Tertia tandem erat hujusmodi: *sufficit mysteria Trinitatis & Incarnationis semel credidisse.*

Omittendæ etiam non sunt duæ aliæ propositiones ab iisdem Probabilistis malitiose propagatæ, quarum primam veluti Hære-
[Direct. Inq. p. 2. q. 16.] ticam damnavit Gregorius XI., in qua asserebant, quod *laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum expresse credendum, sed sufficit ista conclusio in genere, quod credit Sancta mater Ecclesia Dei.* Secunda vero, quam item proscripsit jam laudatus Pontifex Innocentius XI., ita dicebat: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

Ex harum propositionum damnatione, & aliarum, quas referemus, agentes de Charitate, *illud ferme evidenter infertur, Fideles teneri sub mortali actum fidei elicere toties, quoties Sacramenta su-*
[Nat. Alexan. Theol. Mor. l. 4. c. 5. a. 7.] *scipiunt, & præsertim semel in anno, & quando imminet periculum vitæ, & quando graves patiuntur tentationes.*

Videntur etiam teneri Fideles hosce actus elicere, saltem implicite, quoties Sacrificio Missæ intersunt, firmiter credentes in ipso, vi verborum, quæ profert Sacerdos, confici vere, & realiter corpus Domini nostri, Jesu Christi, ipsumque offerri Deo Patri omnipotenti; vel quoties ad Pœnitentiæ tribunal accedunt, pro certo habentes Deum fore remissurum omnia crimina peccatoribus illis, qui ex corde patrata peccata detestantur, ipsisque rursus concedere gratiam suam; vel tandem cum se sistunt Ecclesiæ, suscepturi Eucharistiæ Sacramentum, certo tenentes Jesum Christum, Deum simul & hominem, revera latere sub speciebus Sacramentalibus, ut se præbeat in cibum, potumque salutarem, omnibus Fidelibus, qui, rite recteque probati, ad Altare
[DD. com.] accedunt. Quid enim aliud sibi vult Apostolus, inquiens: *ha-*
[(a) Eph. 3. 17. S. Aug. tract. 49. in Joan.] *bitare Christum per Fidem in cordibus nostris (a)? Si Fides in nobis, Christus in nobis.* Unde Apostoli dicebant Domino: *adau-*
[Luc. 17. 5.] *ge nobis Fidem.*

[Rom. 10. 17.] Porro *Fides ex auditu. Quod* enim *credimus, debemus aucto-*
[(a) Aug. de util. Cred. cap. 11.] *ritati Dei revelantis, & Ecclesiæ proponentis (a).* Hinc *qui secundum Deum sapiunt, omnium, quæ incredibilia videntur hominibus, maximum argumentum tenent veracem Dei omnipotentiam, quem certum habent nullo modo in eis potuisse mentiri; & posse facere,*
[Id. lib. de Civ. Dei cap. 30.] *quod impossibile est infideli. Deus* enim *est veritas ipsa; omnis*

au-

autem *homo mendax. Auditus autem per verbum Christi;* scilicet [Rom. 3. 4. Ibi. c. 10. 17.]
vel per Scripturam, vel per Traditionem.

Omnis autem *Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia. sed, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines; &* [2. Pet. 1. 21.]
saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis, aciem tituban- [S. Aug. de mor. Eccl. cap. 11.]
tem, ex caligine tenebrarum, idest peccatorum, inducat auctoritas. Quæ enim *nec corporeo sensu experti sumus, nec mente assequi valemus, eis sine ulla dubitatione credenda sunt testibus, a quibus ea, quæ Divina vocari jam meruit, Scriptura confecta est; qui ea, sive per corpus, sive per animam, divinitus adjuti, vel videre, vel etiam prævidere potuerunt.* [Id. Ench. c. 4.]

Sane *si Dei Providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum. Sin vero & species rerum omnium, quam profecto ex aliquo pulchritudinis fonte manare credendum est; & interiori nescio qua conscientia, Deum quærendum, Deoque serviendum, meliores quosque animos quasi publice, privatimque hortatur, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam con-* [Id. de util.
stitutam, qua veluti gradu certo innitentes, attollamur in Deum. Cred. cap. 16.]

Nemo autem ex his, quæ usque modo attulimus, temere concludat Fidem cum ratione stare non posse, quasi illa huic adversetur, & repugnet. *Quamvis* enim *Fides Sanctæ Ecclesiæ non ex disputationis ratione, sed ex credulitatis pietate apprehendatur....* [Id. Ep. 122.]
& Fides rationem omnem præcedat, nec Christiani sunt, qui cre- [Id. de util.
dere nolunt, nisi reddita ratione, tamen *si jam Fidelis rationem* Cred. cap. 10.]
poscat, ut, quod credit, intelligat, capacitas ejus intuenda est, ut secundum eam, reddita ratione, sumat Fidei suæ intelligentiam. [Id. ep. 122.]
Propterea monet Apostolus Petrus paratos nos esse debere omni [1. Pet. 3. 15.]
poscenti de Fide & Spe nostra; & Sanctus Apostolus Paulus obsecrat, ut *exhibeamus Deo rationabile obsequium nostrum.* Sunt [Rom. 12. 1.]
autem motiva credibilitatis adeo firma, ut merito a reali Propheta dictum sit: *testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt* [Psal. 92. 5.]
nimis.

Si igitur Fidelis quærat rationes circa Fidem, ut intelligat melius, quæ ipsi proponuntur, id citra peccatum facere potest; non autem si poscat, ut, rationibus illis ductus, Fidei postea assentiatur. Nam assensus Fidei unice est propter auctoritatem Dei [Ex S. Aug. loc.
revelantis, qui summa veritas est, nec falli potest, nec fallere. cit.]
Et ideo ab Innocentio XI. pravissimæ aliquot propositiones recentiorum Casistarum proscriptæ fuerunt, quæ erant hujusmodi.

I. *Vo-*

I. *Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei sit in se ipso magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*. II. *Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem*. III. *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne sit locutus Deus*. IV. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit*. V. *Ab Infidelitate excusabitur Infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili*. Hosce errores quis aperte non cognoscit? [Rom. 10. 10.] *Corde*, inquit Apostolus, *creditur ad justitiam*. *Excitati* enim *a Divina gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, libere movemur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata, & promissa sunt*. [Trid. Sess. 6. c. 6] Noli tamen *cogitare te invitum trahi; trahitur animus & amore*. [S. Aug. tract. 26. in Joan.] Requiritur enim ad actum Fidei internum pia affectio voluntatis; quod est idem ac dicere: actum Fidei debere esse Charitate firmatum. Credunt quidem Dæmones quoque, sed alio modo credunt; [Jac. 2. 19.] ipsi enim credentes *contremiscunt*.

Hanc rem fusius pertractat Augustinus, qui pluribus in locis invicte demonstrat *discernendam esse Fidem nostram a Fide Dæmonum. Fides enim nostra mundat cor; Fides autem illorum reos facit. Inquiunt illi: tu es Christus, Filius Dei.* [V. Luc. 4. & Matt. 16.] *Dicit hoc Petrus, & laudatur; dicit hoc Dæmon, & damnatur. Unde hoc, nisi quia vox par, cor impar? Discernamus ergo Fidem nostram, nec credere sufficiat. Non est talis Fides, quæ mundat cor*. Fides, *inquit*, mundans corda eorum. [Act. 15. 9.] *Sed* qua Fide, nisi quam definit Apostolus Paulus, ubi ait: Fides, quæ per Dilectionem operatur? [Gal. 5. 6.] *Ista Fides discernit a Fide Dæmonum; discernit ab hominum flagitiosis, ac perditis moribus. Fides, inquit, quæ Fides? quæ per Dilectionem, operatur; sperat, quod Deus pollicetur. Nihil ista definitione propensius, nihil perfectius. Ergo tria sunt ista. Necesse est, ut in quo est Fides, quæ per Dilectionem operatur, speret, quod Deus pollicetur. Comes est ergo Fidei, Spes, & Charitas.* [S. Aug. Ser. in Fest. om. Sanct.]

Certo nos interim tenere debemus, quod *sine Dilectione Fides inanis est; multi enim dicunt: credo; sed Fides sine operibus non salvat*. [Id. tract. 10. in Joa.] Hinc Jacobus Apostolus sic scribebat: *quid proderit, Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit Fides salvare eum? Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum super altare? Vides quod Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus* [Cap. 2. 14. & seq.]

con-

consummata est... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & Fides sine operibus mortua est. Fides igitur sine operibus nihil valet, nec a Charitate sejungi potest. Inquit enim Apostolus: *si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum*. [1. Cor. 13. 2.]

Potest tamen amitti Charitas, quin amittatur Fides. Quocunque peccato mortali amittitur Charitas, solo Infidelitatis peccato amittitur Fides. Ideo *si quis dixerit nullum esse mortale peccatum nisi Infidelitatis; aut nullo alio, quantumvis gravi, & enormi, præterquam Infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit*. [Trid. Sess. 6. c. 15. Can. XXVII & Can XXVIII.] Similiter *si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & Fidem semper amitti, aut Fidem, quæ permanet, non esse veram Fidem, licet non sit viva; aut eum, qui Fidem sine Charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*. Quibus Canonibus plures etiam propositiones Paschasii Quesnelli anathematizantur. Cæterum *Fidem nemo perdet, nisi qui spreverit*; quamvis *omne peccatum, contra charitatem Deo debitam, separet a Deo, & subdat Diabolo*. [S. Aug in Psal. 55. Id. lib. 10. de Civ. Dei c. 24. Id. Ser. 14.]

Sed quemadmodum *si credis, & non amas, non te moves ad opus bonum*, quia, ut mox dicebamus, sine Dilectione Fides inanis est; ita *ad salutem æternam nihil prosunt impio* infideli *aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur; quia sine fide impossibile est placere Deo*. [Id. de spir. & litt. c. 28.] Ideo dicit alibi Apostolus: *arbitramur justificari hominem per Fidem, & non ex operibus, quia Fides prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur* (*a*); [Hebr. 11. 6. Rom. 3. 26.] quia *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*. [(a) S. Aug. de Præd. Ss. c. 7. Trid. Sess. 6. c. 8.] *Quod* enim *est initium verius Christiano, quam credere in Christum? Domus* quippe *Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. [S. Aug. de Don. Persev. cap. 20. Id. Ser. 15. de verb. Ap. cap. 1.] Plura de hac re discere si quis forte cupit, legat cap. 7. de Gratia & libero arbitrio S. Augustini, & cap. 14. de Fide & Operibus.

Nec tamen inde sequitur *omnia opera Infidelium esse peccata*, aut *necesse esse Infidelem in omni opere peccare*, aut *revera peccare, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu*, aut *omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per Dilectionem operatur, peccatum esse*. Hæ omnes, falsæ & temerariæ, Propositiones damnatæ fuerunt a Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Alexandro VIII. *Impio-*

rum

rum enim, *Deum verum neque veraciter, neque juste colentium, quædam facta legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulas, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus*. Hoc vero fit, quia *cum Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt, ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex; qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis*.

Id. de spir. & litt. cap. 27.

Rom. 2. 14.

Quod si quis illud Apostoli opponeret: *omne, quod non est ex Fide, peccatum est*, animadvertat verba illa intelligenda esse de conscientia; idest, *id omne esse peccatum, quod fit mala fide*, idest, *contra conscientiæ æquitatem*; vel per ea verba significari *id omne esse peccatum, quod non fit ex fide recta*, scilicet *ex recta intentione*. Ita sane intelligendus est etiam Divus Augustinus pluribus in locis, præcipue vero in opere, quod scripsit contra Julianum, in quo Capite 3. hæc habet: *opus aliquod, in quantum non est ex Fide, peccatum est; non quia per se ipsum, factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum*. Merito igitur *si quis dixerit: opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri . . . anathema sit*. Testatur sane Sanctus Augustinus *Lib. 5. de Civ. Dei cap.* 15. Deum amplitudinem Imperii Romanis contulisse, eo quod Virtutibus moralibus naturalibus essent ornati; quamvis tales Virtutes non mereantur æternam gloriam, & ideo veras non esse Virtutes aliquando affirmet.

Ibi cap. 14. 23.

Conc. Later. sub Innoc. III. Can. 41.

Trid. Sess. 6. Can. VII.

V. S. Aug. ep. 130. & lib. cit.

Sed, cum jam satis dixerimus, quærentes quænam debeat esse Fides nostra, modo progrediamur ulterius, & observemus, necessarium prorsus esse, Fidem nostram exterius etiam profiteri, cum *ore confessio fiat ad salutem*. Profecto *quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre, quod corde conceptum est? Intus Fidem Deus videt, sed parum est. Fides officium a nobis exigit & cordis, & linguæ*. Quamobrem omni jure Innocentius XI. sequentem propositionem recentium Casistarum solemniter proscripsit: *si a Potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum, per se non damno*. Vide hac de re D. Tho. 2. 2. q. 111. a. 11. & S. Aug. Ser. 53. de Temp.

Rom. 10. 10.

S. Aug. Ser. 24. Id. de Fid. & Symb. c. 1.

Hinc etiam falsam Religionem simulare vestibus, verbis, aut actionibus; v. g. adeundo Hæreticorum Conciones, edendo carnes

nes diebus a Romana Ecclesia vetitis, nisi ratio appareat evidens dispensationis, lethale peccatum similiter est. Hinc patet quoque ratio, cur *Helcescitæ*, (*Hæretici* ita dicti ab Elxaio, aut Elci & Texeo Fratribus, hujus Sectæ Ducibus) *ab Ecclesia damnati fuerint Sæculo II., qui inter alios errores asserebant, simulationem in Professione Religionis licitam esse, & crimen ullum esse negabant, Idola venerari, non tamen ex animo, aut ore tenus, quid contra Fidem profiteri*. Verum etiam nostris hisce temporibus in hanc Hæresim inciderunt, eamque defenderunt, plures Pseudapostoli inter Paganos Malabaricos, & Cinenses, licet in eum errorem lapsos pluries anathemate Ecclesia percusserit.

DD. com.

S. Epiph. Hær. 19.

Hoc declarant Tertullianus *Apologet. cap.* 27. & S. Cyprianus *tract. de lapsis*, ubi sermonem habent de *Libellaticis*, idest, de Christianis illis, qui metu mortis libellos ab Ethnicis numerata pecunia obtinuerant, quibus vel vetabatur, ne in judicium adducerentur propter Fidem, vel fiebat fides Idola coluisse. Horum crimen ferme ac Idololatria ab Ecclesia puniebatur. Præsto nobis est in libris Machabæorum pii ac generosi Eleazari, jam senis, exemplum, qui potius quam fingere se violare aliquo modo Religionis suæ sanctitatem, constanti intrepidoque animo, mortem subire non recusavit.

Lib. 2. cap. 6.

Sed vide, quantum, cum agitur de profitenda Fide, debeat ingenuus esse Christianus homo, quantaque in hoc sit Ecclesiæ Religio. *Ad detegendos* etiam *Hæreticos, sese verbo tenus, Hæreticum fingere, lethale peccatum est. Tolerabilius* enim *hæretica impietas occultaretur, quam lingua catholica præcipitaretur. Tolerabilius in suis foveis delitescerent vulpes, quam propter illas capiendas in blasphemiæ foveam caderent venatores . . . Nam si propterea justa sunt, non qualiacunque, sed blasphema mendacia, quia hoc animo fiunt, ut occulti Hæretici detegantur, poterunt isto modo, si eodem animo fiunt, casta esse adulteria, scilicet, si fœmina Hæretica invitet Catholicum Joseph, eique promittat prodituram se latebras eorum, si ab illo impetraverit stuprum. Interest quidem plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat; sed ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla veluti bona intentione facienda sunt*. Quibus verbis quorumdam imprudentium Missionariorum impia praxis damnatur, qui in China, aliisque Regionibus, ut Neophytorum numerus augeretur, & alias etiam multo pejores ob causas, Idolis

S. Tho. q. 9. a. 14.

S. Aug. cont. Mend. cap. 7.

lis genuflectebant, mentes tamen erigentes in Deum. *V. Bancel. Theol. Mor. S. Tho. verbo* Idololatria.

S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 7. *Lethalis* etiam *peccati reus est*, *qui cum Infidelibus de Fide disputat*, *tanquam dubitans*; vel si sit *Laicus*, & tunc potest
(a) Cap. quicunque de Hær. in 6. excommunicari (a); idest, *si sit indoctus circa Controversias*; *Laici* enim voce eo tempore, quo Alexander IV. tulit Decretum, si-
V. Oicet. Vital. lib. 3. gnificabatur *vir indoctus*. *Illi* igitur, *qui sunt simplices & infirmi in Fide*, *de quorum subversione probabiliter timeri possit*, *prohibendi sunt ab Infidelium communione*, *& præcipue ne magnam*
S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 9. *familiaritatem cum eis habeant*, *vel absque necessitate cum eis communicent*, juxta illud: *si quis venit ad vos*, *& sanam Doctrinam non affert*, *nolite recipere eum in domum*, *nec ave ei dixeri-*
2. Joan. 10. 11. *tis*. *Qui enim dicit illi ave*, *communicat operibus ejus malignis*. Aliter tamen erit dicendum, *si aliqui fuerint firmi in Fide Christi suscepta*, *& periculum subversionis non timeatur*, etiamsi
S. Tho. loc. cit. communicent cum Hæreticis. *Nemo* autem *Hæreticus censendus est*,
Clem. de Sum. Trinit. *nisi*, *Fide Christi suscepta*, *sit in errore*, *eidem Fidei manifesto repugnante*, *pertinax*. Consulatur hac de re S. Aug. lib. 6. de Bapt. cap. 16. & alibi.

Ritus etiam *Hæreticorum a Principibus Catholicis tolerari non*
S. Tho. 2. 2. q. 11. a. 11. *possunt absque lethali peccato*, *cum ipsos probibere*, *& extirpare possunt sine periculo gravioris cujuspiam mali*. *Quomodo* enim *Reges Domino serviunt in timore*, *nisi cum ea faciunt ad serviendum*
S. Aug. ep. 50. *illi*, *quæ non possunt facere nisi Reges?*

Qui vero *libros Hæreticorum de Religione tractantes*, *atque hæretica Dogmata sustinentes*, *legunt absque licentia*, *auctoritate Sedis Apostolicæ concessa*, *lethale peccatum committunt*, *& Excom-*
Trid. Sess. 25. *municationem incurrunt*. Ita profecto sapientissime ab Ecclesia decretum fuit, ut tali pacto Fideles tutius a pluribus caverent erroribus, qui passim in pestiferis Hæreticorum libris occurrunt.
Escob. Theol. Mor. l. 1. Sect. 2. c. 31. Prob. 59. cum Filliuc. & Sanch. Fuerunt tamen nonnulli ex recentioribus Casistis, qui, temeritate illa sua, ausi sunt asserere, quod *si quis non legit libros Hæreticorum de Religione tractantes*, *sed audit illum*, *qui*, *ipso incitante*, *aut petente*, *legit*, *non incidit in Excommunicationem*, *nec eget Bullæ indulto*, *ut absolvatur*; *quia audire*, *& inducere alium*, *ut legat*, *non est legere*. Verumtamen quis unquam sanæ mentis stultissimæ huic, atque ridiculæ distinctioni poterit acquiescere? Sive enim quis legat, sive hosce pessimos libros legentem audiat, an non eodem modo pravis illis Doctrinis, quæ ipsis

ipsis consulto, callideque insertæ fuerunt, vitiari potest, & corrumpi? Hinc prudentissime, ne Christiani talibus Probabilistarum impiis cavillationibus deciperentur, qui, non animarum utilitate, sed plerumque turpissimis rationibus ducti, *consuunt pulvillos sub omni cubito manus*, *& faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*, prudentissime, inquam, ab Ezech. 13. 18.
Alexandro VIII. damnata fuit sequens eorum propositio: *libri probibiti*, *donec expurgentur*, *possunt retineri*, *usque dum adhibita diligentia corrigantur*.

Verum enimvero quantum hæc nostra tempora, in quibus ipsæ mulierculæ, Hæreticorum libros, non solum clam retinere, & absque licentia privatim legere, non verentur, sed eos, ut eruditæ habeantur, ostentant omnibus, eosque, se non semel legisse, publice etiam gloriantur, quantum, inquam, distant ab il-
lis Apostolorum, in quibus *multi ex eis*, *qui fuerant curiosa se-* Act. 19. 19.
ctati, *contulerunt libros*, *& combusserunt coram omnibus*? Nun- V. S. Leon. Pap. ep. 93.
quam sane satis caute in hac materia procedi potest. Si quis igitur certo sciat aliquem esse Hæreticum, tenetur statim denuntiare, ut constat ex sequenti propositione ab Alexandro VII. proscripta: *quamvis evidenter tibi constet Petrum esse Hæreticum*,
non teneris denuntiare, *si probare non possis*. Concludamus ergo S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 3.
Infidelitatem esse maximum scelus. *Hoc est* enim *peccatum*, *quo te-* S. Aug. tract. 89. in Joa.
nentur cuncta peccata.

ARTICULUS SECUNDUS

De Spe.

SPes *virtus est a Deo infusa*, *per quam certa cum fiducia Vi-* Id. de Verb. Dom. Ser. 29. c. 4.
tam æternam a Deo expectamus, *& tanquam gratiam Filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissam*, *& tanquam merce-*
dem ex ipsius Dei promissione bonis operibus, *& meritis fideliter* Trid. Sess. 6. cap. 16.
reddendam.

Post Fidem ergo *Spem firmam habere discite*, *quæ animum nostrum ad invisibilia trabit*, *& intentionem nostram in cœlestia & æterna inserit*, *& quodammodo nexibus insolubilibus ligat*, *quæ non decipit*, *sed fideliter obsequentes ad æternam beatitudinem perducit*. *Nemo igitur*, *quamvis ingenti peccatorum pondere prematur*, *de bonitate Divinæ pietatis desperare debet*, *sed spe certæ misericordiæ illius indulgentiam sibi quotidianis deprecari lacrymis*, *quam* recte

recte ſperare poſſunt, ſi ab actione pravi operis ceſſabunt. Ideo non propter ſpem veniæ perſeveranter peccare debemus; neque quia Deus juſte peccata punit, veniam deſperare debemus, ſed, utroque periculo evitato, & a malo declinemus, & de Dei pietate veniam ſperemus. Similiter & in omnium tribulationum anguſtia ſpe in ſolatium ſupernæ pietatis currendum eſt, quia in illo ſolo omnis ſpes, & ſalus ſine dubio conſiſtit, dicente Propheta: [Pſal. 61. 8.] in Deo ſalutare meum, & gloria mea; Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt. [S. Aug. de Temp. Ser. 53.]

Sed allatæ definitionis ſingula verba perpendamus, ut perfectam habeamus Spei noſtræ cognitionem. Dicitur ergo *Virtus a Deo infuſa*, quia Spem a Deo accepimus, cui dicitur: *in quo mihi Spem dediſti.* [Pſal. 118. 49.] *Certa cum fiducia;* quia *per duas res immobiles*, ſcilicet per Dei promiſſum, juramento firmatum, *quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ, tutam ac firmam.* [Hebr. 6. 18. & 19.] *Quemadmodum* vero *de navi, quæ in anchoris eſt, recte dicimus, quod jam in terra ſit, adhuc tamen fluctuat, ſed in terra quodammodo educta eſt contra ventos, & contra tempeſtates; ſic contra tentationes hujus peregrinationis noſtræ ſpes noſtra, fundata in illa Civitate Jeruſalem, facit nos non abripi in ſaxa.* [S. Aug. in Pſ. 64.]

Spes autem *in hoc differt a Fiducia, quia, etſi Spes non ſit de impoſſibili, tamen habet timorem conjunctum quandoque, & tunc proprie dicitur Spes. Spes quandoque eſt firma, & ſine timore, & tunc proprie dicitur Fiducia.* [S. Tho. in ep. ad Hebr. lect. 2.]

Expectamus Vitam æternam. Spes enim *noſtra, non de iſto tempore, neque de hoc mundo eſt, neque in ea felicitate, qua excæcantur homines, qui obliviſcuntur Deum. Hoc noſſe primitus, & Chriſtiano corde tenere debemus, non, ad præſentis temporis bona, nos factos eſſe Chriſtianos, ſed ad neſcio quid aliud, quod Deus jam promittit, & homo nondum capit. De hoc enim bono dictum eſt: quod* oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. [1. Cor. 2. 9.] *Ergo quia hoc bonum, tam magnum, tam ineffabile, non invenit hominem perceptorem, tenebit Deum promiſſorem. Quia autem amant homines vivere in hac terra, promiſſa eſt illis vita; & quia multum timent mori, promiſſa eſt illis æterna.* [S. Aug. de Verb. Dom. Ser. 64.]

Quoniam vero *Spes ad hoc nos hortatur, ut præſentia contemnamus, futura expectemus; ea, quæ retro ſunt obliviſcentes, cum*

Apo-

Apoſtolo in anteriora extendamus. Sic enim dicit: unum autem, [Philip. 3. 13. & 14.] quæ retro oblitus, in ea, quæ ante ſunt extentus, ſecundum intentionem ſequor ad palmam, ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Jeſu. *Nihil ergo tam inimicum Spei quam retro reſpicere; ideſt, in eis rebus, quæ præterlabuntur, & tranſeunt, ſpem ponere; ſed in his, quæ nondum datæ ſunt, ſed dandæ quandoque, quæ nunquam tranſibunt. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. In illa ergo, quæ non videntur, extende ſpem,* [S. Aug. de Verb. Dom. Ser. 19.] *expecta, ſuſtine. Quia, quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus, & merito nobis in Pſalmo dicitur:* ſuſtine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. [Pſal. 26. 14.] *Mundi enim promiſſa ſemper fallunt, Dei autem promiſſa nunquam fallunt.* [S. Aug. de verb. Apoſt. Ser. 23.]

Spes autem *peregrinationis neceſſaria eſt; ipſa eſt, quæ conſolatur in via. Viator enim, quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat, quia ſperat pervenire. Tolle illi ſpem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi. Ergo ſpes, quæ hìc eſt, ad juſtitiam pertinet peregrinationis noſtræ. Apoſtolum audi.* Adoptionem, *inquit*, expectantes in nobiſmetipſis, ingemiſcimus adhuc. *Quare?* Spe *enim* ſalvi facti ſumus; ſpes *enim*, quæ differtur, non eſt ſpes. [Rom. 8. 23.] Si enim videt quis, quid ſperat? Si autem, quæ non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. [Ibi 24. & ſeq.] *In hac ergo patientia Martyres coronabantur.* [S. Aug. de verb. Apoſt. Ser. 16.]

Ex quibus omnibus intelligimus ſperandum eſſe in Deo. *Si enim ſperas* (inquit Auguſtinus) *in pecunia, obſervas vanitatem; ſperas in honore, & ſublimitate aliqua poteſtatis humanæ, obſervas vanitatem.* [In Pſal. 30.] *In his omnibus cum ſperas, aut tu expiras, & ea hìc dimittis; aut cum vivis, omnia pereunt, & in ſpe tua deficis. Ego autem non quomodo illi, qui ſperant in vanitates, & qui obſervant vanitates, ſed in Domino ſperavi, qui non eſt vanitas.* Nam *cum deſtiterint homines ſperare in divitiis, & in aliis hujus Sæculi blandimentis, quærente anima ubi figat ſpem, opportune excipit cognitionem Nominis Dei.* [Id. in Pſal. 11.]

Tota igitur *Spes noſtra in Deo ſit, nihilque de nobis, tanquam de noſtris viribus, præſumamus, ne noſtrum facientes, quod ab illo eſt, & quod habemus, amittamus. Totam Spem in illo ponamus, in quo ſunt vires noſtræ;* [Id. in Pſal. 70.] *ex adjutorio enim ejus vincimus, non ex noſtra præſumptione.* [Id. in Pſal. 90.]

In Deum propterea, & in Jeſum Chriſtum, Filium Dei Unigenitum, deſideria noſtra unice dirigantur. *Caput Eccleſiæ Chri-*

ſtus

stus est, membra Christi Ecclesia. Quod præcessit in capite, sequetur in corpore. Hæc est spes nostra; ad hoc credimus, ad hoc duramus, & perseveramus in tanta malignitate hujus Sæculi, consolante nos spe, antequam spes fiat res. Res enim erit, cum & nos resurrexerimus, &, in cœlestem habitum commutati, æquales Angelis facti erimus. Quis hoc auderet, nisi Veritas promitteret? Joan. 14. 6. ego sum, inquit, via, veritas, & vita. Tanquam diceret: quo S. Aug. de verb. Dom. Ser. 143. vis ire, ego sum via; quo vis pervenire, ego sum veritas; ubi Id. de verb. Apost. Ser. 171. vis permanere, ego sum vita. Via nobis factus est Christus, & desperamus nos perventuros?

Erigat se ergo humana fragilitas, non desperet, non se collidat... tanta præcessit dilectio, quia ubi nos eramus, fuit Christus nobiscum, ut ubi ipse est, nos simus cum illo... Plus est, jam, quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro nobis. Quid promisit? Ut vivamus cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. Jam, quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est victurus mortaId. in Psal. 148. lis in æternum, propter quem mortuus est, qui vivit in æternum?

Tamen hoc loco animadvertendum est damnatam fuisse ab Alexandro VIII. sequentem quorumdam impudentium Casistarum propositionem: quisquis, etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur. Hinc intelligimus, cur de se loquens Psalmista, inclinavi, diceret, cor meum ad faciendas justificationes Psal. 118. 12. tuas propter retributionem; & alibi: Dominus pars hæreditatis Psal. 15. 5. meæ. Quibus verbis hoc videtur significare voluisse: non terrestres, Domine, rogo divitias. Quidquid mihi dederis, vile est. Tu esto hæreditas mea; amo te; totus amo te; toto corde, tota aniS. Aug. Ser. 48. de Sanct. ma, tota mente amo te. Quid erit mihi, quidquid mihi dederis, præter te? Hoc est Deum gratis amare; de Deo Deum sperare; de Deo properare impleri; de ipso satiari. Noli ergo facere opus bonum nisi propter vitam æternam; ideo fac, & securus faId. in Psal. 52. cies. Si quis igitur dixerit: justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & Divina mandata custodiendo, usque in finem Trid. Sess. 6. Can. XXVI. & XXXI. perseveraverint, anathema sit. Item. Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.

Verumtamen & spes, & desperatio timenda est in peccatis. Vide-

Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata, & quomodo utrique voci occurrit providentia, & misericordia Dei. Audi vocem desperantis. Jam, inquit, damnandus sum, quare non facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis. Misericordia Domini magna est, quando me convertero, dimittet mihi omnia; quare non facio, quidquid volo? Desperat ut peccet; sperat, ut peccet. Utrumque metuendum est; utrumque periculosum. Væ a desperatione; væ a perversa spe. Utrique huic periculo, & utrique malo, quomodo occurrit misericordia Dei? Audi tu, qui desperas, Scripturam: nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat. Audi tu, qui spe magis peccas: ne tardes Ezech. 33. 11. converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Deus Eccli. 5. 9. conversioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Quin imo propter illos, qui desperatione pe- S. Aug. in Psal. 144. riclitantur, proposuit indulgentiæ portum; propter illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incer- Id. tract. 33. in Joa. tum. Idem argumentum fusius tractat idem Augustinus in Evang. Joan. Ser. 60., & alibi.

Ergo sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus. Su- Id. in Psal. 36. mus utique mortales, projecti, abjecti, terra, & cinis, sed qui promisit, omnipotens est. Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut vero pro nihilo habet Deus hominem, propter quem mori voluit?... Donavit impiis mortem suam, quid servat justis, nisi vitam suam? Id. in Psal. 148.

Interim unusquisque, sperans Regnum Cœlorum, studeat quammaxime, ut bonæ spei bona opera respondeant. Spera in Domino, inquit David, & fac bonitatem; quibus paucis verbis si- Psal. 36. 3. gnificare voluit, ut docent Sancti Patres, eum semper bene operari, qui omnem spem suam in Deo habet; nec posse recte in Deum sperare, male vivendo; speramus enim vi bonorum operum; & opera bona sunt spei nostræ signa, atque argumenta. Spes & probitas se invicem sustinent, nec una stare potest sine altera. Quare, cum Deus propter opera nostra bona cœleste spei Donum nobis impartitur, terrena hæc omnia despiciamus; Cœlum unice suspiciamus, & nullus erit labor, nullum jugum, onus nullum, quod non leve, immo quod non dulce, nobis videatur. Persecutiones ipsæ, ipsa improperia, calamitates, ærumnæ, omnia adversa, nobis gratissima evadent; immo hisce adversitatibus ultro obviam ibimus, divinis Redemptoris nostri inni-

innixi promissis, qui Discipulis suis, & nobis etiam, olim di-
Matt. 5. 10. & seq. xit: *beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam
ipsorum est Regnum Cœlorum; beati estis, cum maledixerint vo-
bis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus
vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam mer-
ces vestra copiosa est in Cœlis.*

Ad hæc Christi verba animadvertendum est, ipsum Cœlorum
Regnum illis tantum promisisse, qui persecutiones patiuntur *pro-
pter justitiam*, non iis, qui malis afficiuntur, quia mali sunt.
Justi, alacri animo persecutiones sustinentes, Vitam æternam vi
Divinæ promissionis sperare debent; mali autem, licet forti a-
nimo adversitatibus occurrant, Vitam æternam sperare nunquam
possunt, nisi prius pœniteant, humilientur, & fiant justi coram
Domino.

Præceptus porro est actus spei in susceptione Sacramentorum;
DD. com. in periculo mortis; & ingruentis desperationis tentationibus.
Immo etiam in rebus ipsis temporalibus, in Deo tantum speran-
dum esse, satis docet Jeremias Propheta: *maledictus omnis, qui
Cap. 17. 5. sperat in homine*. Speremus igitur semper in Domino; &
in Domino unice speremus. *Deus autem spei repleat nos omni
gaudio & pace in credendo, ut abundemus in spe, & virtute Spi-
Rom. 15. 13. ritus Sancti*. Hinc abs re non erit, aliquas ex Scripturis deprom-
ptas sententias hìc afferre, quibus uti quisque possit ad Spei a-
ctum rite, recteque eliciendum.

(a) Psal. 7. 2. *Domine Deus meus in te speravi* (a), *qui salvos facis sperantes in*
(b) Psal. 16. 7. (c) Psal. 17. 31. *te* (b); *& protector es omnium sperantium in te* (c). *In te sperave-
runt Patres nostri, speraverunt, & liberasti eos; in te sperave-*
(d) Psal. 21. 64. *runt, & non sunt confusi* (d). *In Domino* igitur *sperans non infir-*
(e) Psal. 36. 33. *mabor* (e); quia *non derelinquet omnes, qui sperant in eo* (f). *In*
(f) Psal. 33. 23. (g) Psal. 55. 5. *Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo* (g). *Bonum est spe-*
(h) Psal. 117. 9. *rare in Domino, quam sperare in Principibus* (h). *Spera* igitur, ani-
(i) Osee 12. 6. ma mea, *in Deo tuo semper* (i).

A R-

ARTICULUS TERTIUS.

De Charitate.

ANte omnia *oportet nos scire, quia in omnibus Præceptis Dei
Charitas obtinet principatum, sine cujus perfectione Deo nihil pla-
cere posse Paulus Apostolus testatur, qui nec martyrium, nec Sæ-* 1. Cor. 13.
*culi contemptum, nec eleemosynarum largitionem, sine Charitatis offi-
cio, quicquam proficere posse ostendit. Unde & ipse Dominus a quo-
dam Scriba interrogatus, quod esset mandatum maximum? respon-* Matt. 22. 37.
dit: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex
tota anima tua, & ex tota mente tua. *Addidit quoque:* secun-
dum est simile huic; diliges proximum tuum sicut te ipsum.
In his duobus mandatis universa Lex pendet, & Prophetæ.
Quod vero ait: ex toto corde, & tota mente, & tota anima,
idest, toto intellectu, tota voluntate, & ex omni memoria, Deum S. Aug. Ser. 13. de Temp.
esse diligendum.

*Hoc igitur mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum,
diligat proximum.* Quod *si forte quislibet quærat, quis sit proxi-* 1. Joan. 4. 21.
*mus, sciat omnem Christianum recte proximum dici, quia omnes in
Baptismo filii Dei sanctificamur, ut fratres simus spiritaliter in* S. Aug. Ser. 13.
charitate perfecta. Omnis etiam *homo est omni homini proximus,* de Temp.
nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura commu-
nis. Quapropter, *qui taliter intelligens, proximum diligit, sine du-* Id. in Psal. 118. Id. Ser. 13. de
bio Charitatem veram in semetipso tenebit. Temp.

Charitas autem *est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum,
& se & Proximum, propter Deum;* est *Donum Dei;* est *Virtus a* Id. de Doctr.
Deo infusa, qua Deus propter se ipsum, & super omnia diligi- Christ. cap. 10.
tur, & Proximus propter Deum. Omnia, quæ ad Charitatem DD. com.
pertinent, in duas Sessiones dividimus, in quarum una, ea,
qua semper usi sumus, brevitate, de Charitate erga Deum age-
mus, in alia de Charitate erga Proximum.

 SES-

SESSIO PRIMA

De Charitate erga Deum.

DE *Fide nobis quam multa mandata ſunt, quam multa de Spe.*
Quis poteſt cuncta colligere, quis enumerando ſufficere? Sed in-
Rom. 13. 10. S. Aug. tract. 83. in Joa. *tueamur quid ait Apoſtolus:* plenitudo Legis Charitas. *Hoc er-*
go præceptum Domini teneamus: diliges Dominum Deum tuum
Matt. 22. 37. ex toto corde tuo, ex tota anima, ex tota mente tua. *Verum,*
cum hoc ait, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare de-
beat, & quaſi locum dare, ut alia re velit frui; ſed, quidquid
S. Aug. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 22. *aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus*
dilectionis impetus venit.

Tenetur igitur *homo Divini amoris actum exercere, cum pri-*
mum incipit ratione uti, vitæque rationalis primitias offerre Crea-
S. Tho. 1. 2. q. 89. a. 6. *tori, ad ipſum ſe convertendo, ut ad finem ultimum omnis appe-*
titionis ſuæ, juxta illud: convertimini ad me, & ego conver-
Zach. 1. 3. tar ad vos. *Quod ſi, ut diligamus Deum, neceſſe eſt, ut cum*
S. Aug. in Pſal. 118. *ſciamus, cum noverimus Deum, conſequens eſt, ut diligamus.*
Quid diligendum diligitur, ſi ipſa dilectio non diligitur?

Tenetur præterea actum amoris exercere, cum ingens aliquod
beneficium a Deo accepit; ſi enim nos erimus operum Dei ob-
Oſee 1. 6. liti, *oblivione obliviſcetur* noſtri Deus. Rurſus, cum gravi aliqua
tentatione pulſamur, *in charitate radicati, & fundati*, reſiſtamus
Diabolo. Tunc etiam, cum Deum gravi quopiam ſcelere vide-
118. 139. mus offendi, juxta illud Pſalmi: *tabeſcere me fecit zelus meus,*
quia obliti ſunt verba tua inimici mei. David enim *ad hoc fla-*
S. Aug. ibi. *grabat eos adducere, quod ipſe flagrantiſſime diligebat.* Potiſſi-
mum vero hujuſmodi actus eliciendus eſt, ut mereamur in oſ-
1. Pet. 4. 8. 1. Joan. 3. 14. 1. Cor. 6. 14. culo Domini expirare. Univerſa enim delicta *operit Charitas;*
& qui non diligit, manet in morte. Omnia igitur *noſtra in Cha-*
ritate fiant: ſive manducamus, ſive bibimus, ſive aliud quid fa-
Ibi cap. 10. 31. *cimus, omnia in gloriam Dei faciamus. Ut* enim *homo ſeſe di-*
S. Aug. lib. 10. de Civ. Dei c. 3. *ligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia, quæ age-*
ret, ut beatus eſſet.

Hinc intelligimus, quam fuerint ſtulti, impii, atque teme-
rarii quidam moderni Probabiliſtæ, qui, præter plurimas alias
æque pernicioſiſſimas & ſceleratas, defendere & docere auſi ſunt
etiam ſequentes propoſitiones, a Summis Pontificibus Alexan-
dro

dro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. ſolemniter proſcrip-
tas; nimirum I. *homo, nullo unquam vitæ ſuæ tempore, tenetur*
elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divino-
rum, ad eas virtutes pertinentium. II. *an peccet mortaliter, qui*
actum Dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare
non audemus. III. *probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quin-*
quenniis, per ſe obligare præceptum Charitatis. IV. *tunc ſolum ob-*
ligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam,
qua juſtificari poſſimus. V. *bonitas objectiva conſiſtit in convenien-*
tia objecti cum creatura rationali; formalis vero in conformitate
actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut moralis actus ten-
dat in finem ultimum interpretative. VI. denique *hunc* (Deum) *ho-*
mo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu ſuæ vi-
tæ moralis.

Hæ, & aliæ hujuſmodi propoſitiones, omni quidem jure dam-
natæ fuerunt; *ipſe* enim *Deus fons eſt noſtræ beatitudinis; ipſe*
omnis appetitionis eſt finis.... Bonum noſtrum nullum aliud eſt,
quam illi adhærere ... hic eſt Dei cultus; hæc vera Religio; hæc S. Aug. lib. 10. de Civ. Dei
recta pietas; hæc tantum Deo debita ſervitus. Deus autem *non* cap. 3.
colitur niſi amando (*a*). (a) Id. Enchir.

Sufficit porro etiam dirigere omnes actiones ad Deum virtua-
liter, nec petitur actualis relatio perpetua. Tradunt hanc Do-
ctrinam Eſtius (*a*), Sylvius (*b*), Godeau (*c*), Contenſonius (a) In Ep. ad Cor. cap. 10.
(*d*), omneſque ſaniores Theologi, contra illud, quod, ad pro- (b) 1. 2. q. 28.
pugnandas ſuorum Sociorum nefandas Doctrinas, ſcribere & vul- (c) *Inſtruct. Paſt.* (d) Theol.
gare auſus eſt Auctor Apologiæ Caſiſtarum. *Si* enim *forinſecus* Ment. & cord.
tantum *ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant,*
nemo eſt tam inſulſus, qui præcepta arbitretur impleri. Propter S. Aug. q. 54. in Deuter.
mercedem quidem, *terrenam atque carnalem, Dei mandata conaban-*
tur ſervare Judæi. Neque faciebant; quia non ipſa, ſed aliud di-
ligebant. Verum *quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur;* Id. in Pſal. 108.
neque habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non maneat S. Greg. Pap.
in radice charitatis; quod ſemper requiritur, ut actus bonus me- Hom. 27. in Ev.
reatur vitam æternam, ſicuti ſupra etiam innuimus, ubi ſermo
erat de Fide & Spe.

Nec ex iis, quæ attulimus, concludat aliquis non licere a-
ctus bonos elicere ex Dei timore. Definitum enim fuit in Con-
cilio Tridentino, Contritionem imperfectam, ſive *Attritionem,* Seſſ. 14. c. 4.
eſſe *Donum Dei*, & *impulſum Spiritus Sancti*. Verum tamen eſt V. lib. 2. pag. 223.
quod *Dei mandatum, ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſer-*
vi-

S. Aug. de Spir. & litt. cap. 14.

viliter fit, non liberaliter. Sic faciebant Judæi, ut ſuperius animadvertimus. Et illud inſuper verum eſt quod, *etſi Dei mandatum videtur aliquando a non diligentibus, ſed a timentibus fieri, tamen, ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur*.

Id. de Grat. Chriſ. cap. 26.

Præceptum Charitatis adeo ſtricte obligat, ut nullam interpretationem admittat. *Sub præcepto Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur ad Deum. Et ideo præceptum Charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur ad Deum. Sic ergo, qui honorat parentes, verbi gratia, tenetur ex Charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt, honora parentes; ſed ex vi hujus præcepti: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

S. Tho. 1. 2. Q. 100. a. 10.

Ille ſane *tenet, & quod patet, & quod latet, in Divinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus; quia Scriptura non præcipit niſi charitatem, non damnat niſi cupiditatem, & ita informat mores hominum. Mores* enim *noſtri non ex eo, quod quiſque novit, ſed ex eo, quod diligit, dijudicari ſolent. Nec faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores. Unde etiam duæ Civitates oriuntur, Babylon & Jeruſalem; filia Dei, & filia Diaboli*.

S. Aug. Ser. 39. de Temp.

Id. ep. 52.

V. S. Aug. in lib. de Civ Dei & ep. Joa. tract. 6.

Cum itaque talis, ac tanta ſit neceſſitas Charitatis, *error eſt, imo hæreſis, & illuſio peſſima Dæmonis, perſuaſum habere quod amor Dei puriſſimus, & vitæ, quam Theologi myſtici* unitivam *vocant, proprius curare non debeat obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, Sacramentorum frequentationem, pugnam contra tentationes, Orationem, ſeu vocalem, ſeu mentalem, Jejunia, cæteraſque carnis mortificationes, &, quod a cæterarum virtutum operibus ceſſare debeat, qui Deum amat*. Stultiſſima aſſertio! Quæ enim tunc eſſet hujuſmodi Charitas? *Si diligitis me*, ait *vita & veritas*, Salvator noſter, *mandata mea ſervate* (*a*): *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me* (*b*). *Nunquam* enim *eſt amor Dei otioſus. Operatur magna, ſi eſt; ſi vero operari renuit, amor non eſt. Habet amor*, inquit Auguſtinus, *vim ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis. Neceſſe eſt, ut ducat; ſed quo ducet? ad Deum*. Motiva Deum amandi; Charitatis excellentiam, ejuſque effectus, & alia hujuſmodi, exponit idem Auguſtinus clare, & fuſe, præſertim tom. 8. & 10. Pſalmus 118. videtur nonniſi ferventes actus amoris continere. Divus etiam Bernardus in Cantica plura habet, & quidem egre-

Bul. Innoc. XI. cont. Mol.

(*a*) Joan. 14. 6.
(*b*) Ibi. 15.

S. Greg. Pap. Hom. 30. in Ev.
In Pſal. 121.

gregia, ad hanc rem; cujus hæc ſunt verba Ser. 20. *Ego hanc arbitror præcipuam inviſibili Deo fuiſſe cauſam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus homo converſari, ut carnalium videlicet, qui niſi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad ſuæ carnis amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritalem*.

Verumtamen *hoc præceptum juſtitiæ, quo jubemur Deum diligere, in illa vita implebimus, cum eum videbimus facie ad faciem; ſed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, ut admoneremur quid Fide expoſcere, quo Spem præmittere, & obliviſcendo, quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus*.

Id. de Spir. & Litt. cap. 6.

Interim vero *quia modo Deum videre non poſſumus, officium noſtrum in deſiderio ſit. Ideo ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipſum deſiderium quodam modo tepeſcit, certis horis, ad negotium orandi, mentes revocantes*, ſupplices fidenteſque, Deo ſæpe ſæpius dicamus: *ſancti Nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem, fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis. Da nobis, Domine, Fidei, Spei, & Charitatis augmentum; & ut mereamur aſſequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis. O Domine, Deus noſter, ut veniamus ad te, fac nos beatos de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis; nolumus de terrenis iſtis, & vaniſſimis, & caducæ vitæ tranſitoriis. Non loquatur os noſtrum vanitatem; fac nos beatos de te, quia non perdemus te, cum tenuerimus te; nec te perdemus, nec nos peribimus. Fac nos beatos de te, quia beatus populus, cujus eſt Dominus Deus ipſius*.

Id. tract. 4. in ep. Joa.

Id. ep. 121.

Orat. Eccl.

Orat. Eccl.

S. Aug. Ser. 35. de verb. Dom.

SESSIO SECUNDA.

De Charitate erga Proximum.

Quæret a me aliquis quare bis datus Spiritus Sanctus Apoſtolis? Dedit ante Aſcenſionem: accipite Spiritum Sanctum. *Dedit poſt Aſcenſionem, ut memorant Acta Apoſtolorum. Multi multa dixerunt, & ſicut homines quæſiverunt... Ego arbitror bis datum Spiritum Sanctum, ut commendarentur duo præcepta Charitatis. Duo ſunt enim præcepta, & una Charitas... quia non alia Charitas diligit Proximum, quam illa, quæ diligit Deum. Qua Charitate Proximum, ipſa Charitate diligimus & Deum*.

Joa. 20. 22.

Cap. 2. 4.

S. Aug. Ser. 6 edit. Pariſ.

Dei

Dei tamen *dilectio prior est ordine præcipiendi ; Proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim, qui tibi præceperat dilectionem istam in duobus præceptis, prius tibi commendavit Proximum, & postea Deum ; sed prius Deum, postea Proximum. Tu autem, quia Deum nondum vides, diligendo Proximum, promereris, quem videas. Diligendo Proximum, purgas oculum ad videndum Deum, evidenter Joanne dicente : si fratrem, quem vides, non diligis, quem non vides, quomodo diligere poteris ? Ecce dicitur tibi : dilige Deum. Si dicas mihi : ostende mihi, quem diligam, quid respondebo, nisi quod ait ipse Joannes ;* Deum nemo vidit unquam. *Et ne te alienum omnino a Deo videndo esse arbitreris,* Deus, *inquit,* Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Dilige ergo Proximum, & intuere in te, unde diligis Proximum, ibi videbis, ut poteris, Deum. Incipe ergo diligere Proximum.*

1. Joa. 4. 20.
Cap. 1. 18.
S. Aug. tract. 17. in Joa.

Sed rursus alio modo *ostendam, unde coneris videre, quod istis oculis non potes videre.* Ecce *amas amicum. Quid in illo amas ? Gratis eum amas. Sed forte amicus tuus, ut alia omittam, senex est ; fieri enim potest, ut habeas amicum senem. Quid amas in sene ? Incurvum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam ? Et tamen aliquid amas ; & corpus, quod vides, non amas, quia deforme est. Quare igitur amas ? Responsurus es mihi : homo fidelis est. Ergo fidem amas. Si fidem amas, quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus. Incipe ergo Deum amare, & amabis hominem propter Deum.*

Id. Hom. 38.

Nec jam illa Questio moveat quantum fratri Charitatis debeamus impendere, quantum Deo. Incomparabiliter, plusquam nobis, Deo ; fratri autem, quantum nobis ipsis. Nos autem ipsos tanto magis diligimus, quanto magis diligimus Deum. Ex una igitur, eademque Charitate, Deum, Proximumque diligimus ; sed Deum propter Deum, nos autem & Proximum, propter Deum. Dilige igitur Deum tanquam Deum, Proximum sicut te ipsum. Non enim invenis parem Deo, ut possit tibi dici : dilige Deum, sicut diligis illum. De Proximo inventa est tibi regula, quia inventus es Proximo tuo par tu ipse.

Id. lib. 8. de Trin. cap. 8.
Id. de Disc. Chris. cap. 3.

Quoniam vero *tunc est optimus homo, cum tota sua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi . . .* hinc *te ipsum non propter te debes diligere, sed* solummodo *propter illum, ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est,* sic non erit *cur succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Nec* enim *propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet.* Nam, *si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale, non illum amas, sed illud, quod præstat.*

Id. de Doctr. Chris. cap. 12.

Id. Hom. 38.

Sane *si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tamquam se ipsum, sed tanquam jumentum, aut balneas, aut aviculam pictam, vel garrulam, idest, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis, aut commodi capiat, serviat necesse est, non homini, sed, quod turpius est, tam fœdo & detestabili vitio, quo non amat hominem, sicut homo amandus est.*

Id. de Doct. Christ. cap. 22.

His igitur positis, *dilectionis hic ordo est ; primum, ut nulli noceat ; deinde ut etiam prosit, cui poterit.* Memorandæ interim sunt hoc loco Patris Suarez, & aliorum ejusdem Societatis Probabilistarum, duæ propositiones, utpote quæ sanctissimæ Jesu Christi Doctrinæ omnino contrariæ, ab Innocentio XI. solemniter proscriptæ, quarum una hæc erat : *non tenemur proximum diligere actu interno formali.* Altera vero : *præcepto Proximum diligendi sasisfacere possumus per solos actus externos.*

Id. lib. 19. de Civ. Dei c. 14.
Disp. 5. de Præp. char.

Quisquis autem *recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Bonum* quippe *nostrum adhærere Deo. Ad hoc Bonum debemus, & a quibus diligimur, duci, &, quos diligimus, ducere. Finis noster adhærere Deo. Jam igitur scienti diligere se ipsum, cum mandatur de Proximo diligendo sicut se ipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei, quantum potest, commendet diligendum Deum ?*

S. Aug. de Doct. Chris. cap. 22.
Id. lib. 10. de Civ. Dei c. 4.

Quare, *si te ipsum non nosti amare, quomodo Proximum poteris in veritate diligere ? Putant enim nonnulli homines legitimo ordine se amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini serviunt, quando per diversas calumnias injusta lucra conquirunt. Isti tales audiant Scripturam dicentem :* qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Si ergo amando iniquitatem, te ipsum non diligis, sed etiam odio habes, quomodo aut Deum, aut Proximum diligere poteris ? Jam ergo, qui diligis iniquitatem, quomodo volebas tibi committi Proximum, ut diligeres eum tanquam te ? Homo, quid perdis te ? Si enim tu ipse sic te diligis, ut perdas te, sic profecto perditurus es & eum, quem diligis sicut te. Nolo ergo quemquam diligas, vel solus peri. Aut corrige dilectionem, aut respue societatem. Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quam te diligis Deum. Quod ergo agis te-*

Psal. 10. 6.
S. Aug. Hom. 37.
Id. de Discip. Chris. cap. 4.

Id.de mor. Eccl.Cath. c.26. *cum , id agendum cum Proximo tuo eſt ; hoc eſt , ut ipſe etiam*
perfecto amore diligat Deum .

Hæc autem duobus modis præſtari poſſunt , *coercitione , & inſ-*
tructione . Coercitio timore , Inſtructio vero amore , perficitur . Qui
ergo diligit Proximum , agit , quantum poteſt , ut ſanus corpore ,
ſanuſque animo ſit ; ſed cura corporis ad ſanitatem animæ referen-
da eſt . Agit ergo his gradibus , quod ad animum pertinet , ut
Id. ibi cap.28. *primo timeat , deinde diligat Deum .*

Caveat autem quammaxime unuſquiſque, ne proximum ſuum
ad peccandum aliquo modo adducat . *Si ducis* enim *Proximum*
Id.in Pſal.140. *ad iniquitatem , dilectio tua laqueus eſt dilecti . Amor iſte tarta-*
reus eſt ; viſcum habet , quod ejiciat in profundum ; non pennas ,
Id. ibi. *quibus levet in Cœlum . Ille* autem *veraciter amat amicum , qui*
Id. Ser.256. de temp. *Deum amat in amico , aut quia eſt in illo , aut ut ſit in illo .*
Quare veraciter amet , ſi Deus ſit in amico , rationem affert D.
Auguſtinus *de Doct. Chriſt.* c. 29., egregiamque apponit ſimilitudi-
nem , qua id præclare explicatur . Vide etiam hac de re *lib. de ver.*
Relig. ejuſdem Auguſtini cap 47. & loc. ſæpe cit. Sed ſatis di-
xiſſe puto , ut ſignificarem qualis eſſe debeat hujuſmodi amor
Proximi ; videamus modo in hujuſmodi amore quis ordo tenen-
dus ſit .

Primitus igitur ineſt unicuique ſuorum cura . *Ad eos* quippe
habet opportuniorem facilioremque aditum conſulendi , vel naturæ
1. Tim. 5. 8. *ordine , vel ipſius ſocietatis humanæ . Unde Apoſtolus dicit :* ſi
quis ſuorum , & maxime domeſticorum , curam non habet , Fi-
dem negavit , & eſt Infideli deterior . *Sic uxori , ſic filiis , ſic*
domeſticis , ſic cæteris , quibus potuerit , hominibus , ad diligendum
S. Aug. de Civ. Dei lib.19.c.14 *Deum conſulat , quem jubetur ſicut ſe ipſum diligere .*

Ille autem vere filios ſuos diligeret , qui Chriſtum filiis præ-
ferret . *An ideo eos videris diligere , quia eorum voluptatibus fa-*
ves ? Audis blaſphemantes , & patienter fers , Chriſtiane , quod
Dan. 3. *Rex Nabuchodonoſor , alienigena , non potuit ſuſtinere ? Vides fre-*
quentare ſpectacula , & non revocas ? Vides luxuriantes , & non
verberas ? Nec potes te talem exhibere patrem , qui paratus ſis in-
diſciplinatos filios vel exhæredare , vel abjicere , cum paratus eſſe
Gen. 22. *debueras ſicut Abraham etiam filium immolare ? Omnis enim , qui*
filiorum trucidat voluptates , ſacrificium tale , quale Abraham , of-
fert Deo . Sed dum iſta non fiunt , & his moribus depravatis ma-
li nutriuntur , qui iſto mundo utuntur , labeſit mundus ; nec im-
meri-

merito ait Propheta : defluxit terra , & omnes inhabitantes in ea . Iſa. 24. 4.
Non quieſcunt uſque nunc murmurare homines , laudare tempora præ-
terita , accuſare tempora Chriſtiana . Magna erant tempora Pa-
trum noſtrorum , dicunt . O quam bona tempora habuerunt Patres
noſtri ! Sed videte quid fecerint Patres noſtri , Phinees , Moyſes ,
Jephte , Sampſon , Daniel . Quid tale facimus ; immo e contrario
quæ mala non facimus ? Nolite diligere vitia in filiis , in ami-
cis , in ſervis , in omnibus notis . . . ſed exhibeamus timorem , & S. Aug. de temp. Barb. cap. 3.
amorem Deo .

Quid illi in aure inſuſurrabis , homo avare , niſi fili , aut fra-
ter , aut pater , bonum eſt nobis , ut , cum hic vivimus , bene ſit
nobis ? Quantum habebis , tantus eris . Frange lunam , fac fortu-
nam . . . O qui accipis verbum ſanum in domo diſciplinæ , ſepi au-
res tuas ſpinis . Corrumpunt bonos mores colloquia prava . *Sepi* Eccli. 28. 28. 1. Cor. 15. 33.
aures tuas ſpinis . Sepi , & ſpinis ſepi , ut ille , qui importune
intrare auſus fuerit , non ſolum non repellatur , ſed etiam compun-
gatur . Repelle illum a te . Dic : Chriſtianus es ; Chriſtianus ſum .
Non hoc accepimus in domo diſciplinæ ; non hoc didicimus in illa
Schola , quam gratis intravimus ; non hoc didicimus ſub illo Ma-
giſtro , cujus cathedra in Cœlo eſt . Noli mihi iſta dicere ; aut no- S. Aug. de Diſcip.Chr. c.9.
li ad me accedere . Hoc eſt enim ſepi aures tuas ſpinis .

Seducentibus hujuſmodi peccatorum verbis aurem ne intendas .
Si enim *conſentias , jam tua peccata te premunt , non alterius .*
Quiſquis enim conſenſerit peccatori , non alienis , ſed ſuis gravatur
peccatis . Quare , *fili mi , ſi te lactaverint peccatores , ne acquieſ-* Id. in Pſal.109.
cas eis . Si dixerint : veni nobiſcum , inſidiemur ſanguini . . . om-
nem pretioſam ſubſtantiam reperiemus , implebimus domos noſtras
ſpoliis . Sortem mitte nobiſcum ; marſupium unum ſit omnium noſ-
trum . Fili mi , ne ambules cum eis ; proibibe pedem tuum a ſemi-
tis eorum ; pedes enim illorum ad malum currunt . Vir iniquus la- Prov. 1. 10. & ſeq.
ctat amicum ſuum , & ducit eum per viam non bonam . Ibi 16. 29.

Sed *væ* vobis , *qui trahitis iniquitatem in funiculis ;* & *funes* Iſ. 5. 18.
extenditis in laqueum ! Væ ſcilicet illis peccatoribus , *qui ſuadent* Pſal. 139. 6.
facere mala , quæ ipſi faciunt . Ideo dixit : funes extenderunt in
laqueum ; *ideſt , de peccatis ſuis me dejicere voluerunt . Et ubi*
hoc ? Juxta ſemitas ſcandalum poſuerunt mihi . *Non in ſemitis ,* Ibi.
ſed juxta ſemitas . Semitæ tuæ præcepta Dei ſunt . Illi ſcandala
juxta ſemitas poſuerunt ; tu noli recedere a ſemitis , & non irrues S. Aug. in eumd. Pſal.
in ſcandala . Sed væ homini illi , per quem Scandalum venit
(*a*) . Sic *enim* peccantes in fratres , & percutientes conſcientiam (a) Matt.18.7.
eo-

1. Cor. 8. 12. corum infirmam, in Christum peccatis. *Nemo dicat: in hominem pecco, quando non diligo fratrem.* S. Aug. tract. 7. in Ep. Joan. *Quomodo non peccas in Deum, quando in dilectione peccas? Deus dilectio est.* Verum ut magis gravissimi hujus peccati malitia omnibus appareat, aliquanto fusius de ipso hic agamus.

Quod igitur *græce Scandalum dicitur, nos offensionem, vel ruinam,* S. Hier. *vel impactionem pedis, possumus dicere. Contingit* enim, *quod quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam, & talis obex dicitur Scandalum; & similiter in processu viæ spiritalis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritalem per dictum, vel factum alterius, inquantum scilicet aliquis sua admonitione, vel inductione, aut exemplo, alterum trahit ad peccandum, & proprie dicitur Scandalum .... Et ideo convenienter dicitur, quod dictum, vel factum minus rectum,* S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 1. *præbens occasionem ruinæ, sit Scandalum.*

Dictum vero, *vel factum alterius, potest esse dupliciter alteri causa peccandi; uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis, suo malo verbo, vel facto, intendit alium ad peccandum inducere; vel etiam, si ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum; puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati; & tunc ille, qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ; unde vocatur Scandalum activum. Per accidens autem aliquod verbum, vel factum unius, est alteri causa peccandi, quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis aliquis male dispositus, ex hujusmodi opere, inducitur ad peccandum; puta, cum aliquis invidet bonis aliorum; & tunc ille, qui facit hujusmodi actum rectum, non dat occasionem, quantum est in se, sed alius sumit occasionem,* Rom. 7. 8. *secundum illud,* occasione accepta; *& ideo hoc est Scandalum passivum sine activo; quia ille, qui recte agit, quantum est de se, non dat occasionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque activum simul est cum passivo; ut cum ad inductionem unius alter peccat. Quandoque activum sine passivo, ut cum aliquis suadet alteri peccatum, nec ille consentit. Quandoque passivum* S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 1. *sine activo, ut dictum est.*

Porro *Scandalum passivum potest esse peccatum veniale; ut cum aliquis, ex inordinato dicto, vel facto alterius, commovetur motu venialis peccati. Quandoque vero est peccatum mortale; ut cum aliquis, ex inordinato dicto, vel facto alterius, procedit usque ad peccatum*

catum

catum mortale. Scandalum autem activum, si sit per accidens, potest esse quandoque quidem peccatum veniale; ut cum aliquis vel actum venialis peccati, vel actum, qui non est secundum se peccatum, sed aliquam speciem mali cum aliqua levi indiscretione committit. Quandoque vero est peccatum mortale, sive quia committit actum peccati mortalis, sive quia contemnit salutem Proximi; ut si, pro ea conservanda, non prætermittat aliquis facere, quod sibi libuerit. Si vera Scandalum activum sit per se; puta, cum intendit inducere alium ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale; & similiter, si intendat inducere ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis. Si vero intendat inducere Proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale. Id. ib. art. 4. *Peccaret* tamen *mortaliter, cum ex aliquibus circumstantiis existimari probabiliter posset, quod infirmi aspicientes peccarent mor-* Id. In 4. dist. 38. q. 2. a. 2. q. 3. *taliter.*

Et de hoc præcipue *intelligitur illud Matt. 18. v. 7.* væ illi, per quem Scandalum venit. *Væ autem importat damnationem æternam; & signanter dicit:* venit. *Quasi dicat: etiamsi hoc non intenderet, scilicet scandalizare; tamen ejus opus tale est, quod* S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 4. *inde venit Scandalum.* Et sane, *etiamsi graviter quis peccet, atque clam hoc faciat, & neminem scandalizet, minorem dabit pœnam, quam qui leviter peccavit, idque impudenter, & cum mul-* S. Joan. Chrys. Ser. cont. concub. *torum scandalo.*

Sed *oh! quam hoc miserabile peccatum in mundo abundat, & nullam sibi videntur homines facere conscientiam! Ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, cantus, quid sunt nisi magnum Scandalum, & laqueus animarum?* Ecce mulier in habitu ornata meretricio ad capiendas animas; Prov. 7. 10. *quasi dicat: operatur ille ornatus ad scandalizandum, & capiendum animas peccato luxuriæ. Verba, & gestus, lasciviis plena, quæ dicunt quotidie juvenes invicem, ex loquacitate, vel solatio, quid sunt nisi magnum scandalum sibi, & aliis audientibus?* Corrumpunt bonos mores colloquia mala. 1. Cor. 15. 33. *Contumeliæ, detractiones, derisiones, susurrationes, contentiones, & perturbationes generant utique magnum scandalum aliis .... Blasphemiæ, perjuria, maledictiones, fraudes, non audire Divina, & non sumere Sacramenta, quæ vident filii in parentibus suis* (vel servi in Dominis suis) *quid sunt nisi magna scandala eis, ut & similia discant operari? Mala vita manifesta Rectorum, & Prælatorum Ecclesiæ, ambitio, avaritia, simonia, pompa vestium, exquisitæ epulæ, species variæ luxuriæ, nonne magnum scandalum*

totius

[Malach. 2. 8. S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 4.] *totius populi Christiani? Unde Dominus ait:* scandalizatis plurimos in lege; *scilicet propter exempla mala vitæ vestræ.*

Omnis tandem, qui jussu, suasione, consilio, precibus, consensu, cooperatione, aliove quovis modo, auctor est alteri, ut id faciat, quod absque peccato fieri nequit, reus est Scandali. [DD. com.] Et *sicut furtum est speciale peccatum propter speciale Proximi nocumentum, ita etiam scandalum est speciale peccatum.* [S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 4.] Proh dedecus! *Quemadmodum habet Deus ministros suos, habet & Diabolus adjutores suos. Deus enim per homines bonos, tanquam per ministros suos, agit omne, quod bonum est; Diabolus vero per homines malos, velut per satellites suos, exercet omne, quod malum est.* [S. Aug. Ser. 85. de temp.]

Adulatio etiam *contrariatur Charitati; ut cum aliquis laudat alicujus peccatum*, vel lætatur, cum male fecerit, & exultat in rebus pessimis. [Prov. 2. 14.] *Hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus justitiam homo loquitur; & contra dilectionem Proximi, quem in peccato fovet.* [S. Tho. 2. 2. q. 116. a. 2.] Quid gloriaris, *sic hujusmodi hominem alloquar*, quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? [Psal. 51. 3.] Usquequo, Domine, peccatores gloriabuntur? [Psal. 93. 3.] Hæc via illorum scandalum ipsis (*a*). [(a) Psal. 48. 14.] *Quare* custodi me, Domine, a scandalis operantium iniquitatem (*b*); [(b) Psal. 140. 9.] *quoniam* laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. [Psal. 10. 3.] *Adulantium* siquidem *linguæ* plerumque *alligant animas in peccatis. Delectat enim facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur;* & per hujusmodi adulantium verba *turpitudo ipsa confidentius perpetratur.* [S. Aug. in Ps. 9. Id. lib. 2. Conf. cap. 16.]

Maximum vero *scelus foret, ubi non subesset, quo admisso, æquaretur quis perditis hominibus, fingere se fecisse malum, quod non fecit, ne videatur abjectior, quo fuerit innocentior;* quod se olim fecisse luget Augustinus in suis Confessionibus lib. 2. cap. 3. & 8. & in expositione etiam Psalmorum, quos citavimus.

Peccant igitur *in hanc partem blandi homines, & assentatores, qui, blanditiis & simulatis laudibus, influunt in aures, & in animos eorum, quorum gratiam, pecuniam, & honores aucupantur, dicentes, ut est apud Prophetam,* malum bonum, & bonum malum. [Isa. 5. 20.] *Quos ut arceamus, & pellamus a consuetudine nostra, monuit nos David oratione illa:* corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. [Psal. 140. 5.] *Quamquam enim isti Proximo minime maledicant, tamen ei maxime nocent, quod, laudando ejus peccata, afferunt ipsi causam perseverandi in vitiis.* [Catech. Rom. P. III. c. 9. n. 11.]

Sed quid dicendum de illis mulieribus, quæ secum conversantes, vel loquentes, vel ipsas tantummodo aspicientes, inhonesto vestitu, vel alia ratione, trahunt ad concupiscentiam? *Si mulier perpendens, vel æstimans, ex signis aliquem trahi ad concupiscentiam sui extra Matrimonium, offerat se indifferenter aspectui illius, non intendens illum inducere ad concupiscentiam suam, sed nec etiam de hoc curans, sed volens satisfacere voluntati suæ, seu levitati, in discurrendo per loca, vel morando ad ostium domus, vel ad fenestras, ex quadam curiositate, vel vanitate, ut laudetur de pulchritudine, mortale esset. Secus autem si hoc non æstimaret, vel non bene posset illa dimittere; ut, quia oportet ire ad Ecclesiam, vel alia loca, & aliquando cum vicinis morari in via, ne reddat se aliis onerosam, & de ea re displicentiam habeat. Similiter, cum quis habet nimiam familiaritatem cum aliqua persona suspecta, & sentit homines scandalizari, nefaria de eis judicando, & loquendo, nec vult dimittere, non curans quod alii scandalizentur, quamvis non intendat aliquod nefarium, nec illos scandalizare, cum non subsit causa necessaria illius familiaritatis, peccat mortaliter, dando occasionem talis ruinæ.* [S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 4.] Quandonam superfluus ornatus sit lethale peccatum, docet apertissime Sanctus Carolus in suis Instructionibus, & nos aliqua referemus infra, cum de Superbia sermo erit. Scripsit etiam pulcherrimos, & lectu dignissimos, plures libros Tertullianus de fœminarum cultu.

Sed fœminis multo *gravius peccat, & peribit, qui in fœmineo languore mollitus, comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, & ad speculum comitur, quæ proprie passio, & insania fœminarum est.* [S. Hier. in c. 1. Sophon.]

Lethalis scandali rei sunt etiam, Histriones & Mimi, qui, verbis & factis illicitis, ad ludum utuntur, aut locis, & temporibus indebitis ludunt. Verba autem illicita censeri debent quæcunque, amori prophano, cæterisque pravis animi cupiditatibus inserviunt; non ea tantum, quæ aperte obscœna sunt, & turpia, & scurrilia. *V. Epit. Can. Card. Lauræa. Tertul. de Spect. S. Cypr. ep. 61. Quando, & quales Comœdiæ non officiant pietati, colligi poterit ex S. Tho. 2. 2. q. 168. a. 2. & 3.* [DD. com.]

Peccata non minus gravia ex malis, violentisque ludis evenire solent. Hinc *dans domum, ut intus ludatur, fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt. Dans tabulam, & præstans taxil-*

xillos, toties peccat mortaliter, quoties præstat. Nullus Confessor poterit eum absolvere, donec removerit domum a tali pessimo usu ludendi. Impossibile est illum salvari, nisi relinquat illas suas ar-
S. Ber. Sen. Ser. 33. *tes maledictas*. Hoc tamen dictum volumus de illis ludis, unde *jurgiis, furto, maledictis, blasphemiis, & aliis malis, ma-*
S. Car. Instruct. Prædic. *leficiisque, quasi fores aperiuntur.*

Gravius vero peccat, qui domum publicis concubinariis, me-
DD. com. retricibus, lenonibus, & lenis locant. Pictores quoque turpium figurarum; Auctores librorum, aut cantionum turpium, lethaliter peccare nullus ex sanis doctisque Theologis dubitat, atque ita ex dictis, quid sentiendum de cooperantibus aliorum peccatis colligi potest. Huc etiam facit propositio damnata ab Innocentio XI., a recentioribus quibusdam Casistis temere jam propugnata, de famulo adjuvante herum ad turpia patranda, a nobis superius allata, parte nimirum secunda de Quarto Decalogi præ-
V. pag. 172. cepto.

Deum igitur, ejusque sanctissimam Legem semper diligamus. *Pax* quippe *multa diligentibus Legem tuam, Domine, &*
Psal. 118. 165. *non est illis scandalum. Securius* enim *diligimus eam, etiamsi in ea*
S. Aug. ibi. *multi peccant;* & ideo *in his, qui perfecte Deo adhærent per a-*
S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 5. *morem, scandalum non invenitur.*

Inter hæc autem *scandala unum est remedium, ne male sentiamus*
S. Aug. in Ps. 30. *de fratre nostro*. Si tamen peccatum ita evidens est, ut non possit excusari, non tibi dico, ut non doleas. *Qui* enim *ita non*
Id. ep. 127. *dolent, non est in eis charitas Christi.*

Illud interim attente animadvertamus in scandala plerumque illos offendere, qui minus de Lege Dei stricte observanda solliciti sunt. Quare cavendum quammaxime nobis est, ne contemnamus pusillos, qui credunt in eum; non enim omnes perfecti
Matth. 18. 6. sunt. Ideo *propter eos, ne scandalum patiantur, abstinere debe-*
S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 5. *mus, nedum ab actu in se malo, sed etiam ab actu putato indifferenti, apto tamen ad scandalizandum pusillos.*

Hinc Apostolus Paulus suadet abstinendum a cibo alias lici-
1. Cor. 8. 13. to, si tamen sit periculum scandalizandi pusillum. *Quapropter si esca*, inquit ille, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Hoc judicate,*
Rom. 14. 13. & seq. *ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum ... Si enim propter cibum* (idem dicito de qualibet alia actione putata indifferenti) *frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo* (actione illa tua) *illum perdere, pro quo Chri-*

Christus mortuus est ... Omnia quidem erunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat, vel qui exemplo tuo Ibi 20.
scandalizatur.

Omnia mihi licent (sic idem Apostolus), *sed non omnia ex-* 1. Cor. 10. 23. & seq.
pediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant ... Noli igitur illud facere, quod aliquis pusillus putat esse peccatum, *propter illum, qui judicavit, & propter conscientiam; conscien-*
tiam autem dico, non tuam, sed alterius. Sine offensione, pergit Ibi. 32.
ille, *estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut ego ... non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*
Omnia probate, sic scribebat idem Apostolus Thessalonicensibus, 1. Thess. 5. 22.
quod bonum est, tenete; ab omni specie mala abstinete vos.

Nec inquias, *novit Deus cor meum; frater* enim *tuus non novit cor tuum. Si infirmus es, cave majorem ægritudinem; si firmus es, cura infirmitatem fratris .... Nolite contemnere, si non vultis deleri de libro vitæ .,. Quicunque voluerint ista contemnere, in Christum peccant; videant quid agant ... Quem vis con-*
temnere, pretium ipsius attende, & cum morte Christi totum mun- S. Aug. Ser. 6.
dum appende. Eadem repetit Sanctus Augustinus lib. 2. de mo- de verb. Dom.
rib. Manich. cap. 14. & lib. cont. Adim. cap. 14.

Nec *attendendi sunt, qui docent licere cuiquam agere, quod putant non esse peccatum, quamvis indocti, & simplices scandalum patiantur. Hoc scandalum pusillorum voluit cavere Dominus,*
cum jussit Petro solvere tributum, ut non scandalizaret eos. Un- Matt. 17. 26.
de propter tale scandalum passivum consilia sunt ad tempus inter- S. Tho. in 4. dist. 38. q. 11. a. 4.
mittenda, vel occulte agenda; non autem omnino dimittenda, quia homo plus sibi, quam Proximo, in spiritalibus providere debet.

Sic agendum est, *quousque, reddita ratione, hujusmodi scandalum cesset. Si autem, post redditam rationem, hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse; & sic, propter ipsum, non*
sunt hujusmodi spiritalia bona dimittenda, differenda, vel occul- Id. 2. 2. q. 47. a. 7.
tanda.

Attendenda est tamen *quantitas scandali, & boni, quod contingit ex consilio servato; & secundum hoc aliquando consilia sunt*
prætermittenda propter scandalum pusillorum, vel scandalum con- Id. in 4. dist. 38. q. 11. a. 4.
temnendum propter consilia.

Dicamus modo quædam de bonis temporalibus, ut illis absque scandalo uti possimus. *Circa temporalia* igitur *bona distinguendum est. Aut enim sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa; sicut bona Ecclesiæ committuntur Præla-tis,*

tis , & bona communia quibuſcumque Reipublicæ Rectoribus ; &
talium conſervatio , ſicut & depoſitorum , imminet his , quibus ſunt
commiſſa , ex neceſſitate ; & ideo non ſunt propter ſcandalum di-
Id. 2. 2. q. 47. a. 7. *mittenda .*

Idem dicendum de eo , qui rem ſuam *quandoque non poteſt*
dare ſine peccato , vel quia ſcit illum , cui dat , uſurum re data
in malos uſus , vel quia non poteſt dare rem temporalem uni ſine
præjudicio alterius ; ſicut ſi illi , qui gerunt alicujus Communi-
tatis curam , dent aliqua , ex quorum ſubtractione fiat pejor con-
ditio illius Communitatis . Et tunc non debent dare temporalem rem
Id. in 4. diſt. *propter ſcandalum vitandum , quia hoc eſſet facere contra verita-*
38. q. 11. a. 4. *tem juſtitiæ , aut vitæ .*

Sed *temporalia bona , quorum ſumus domini , dimittere , ea tri-*
buendo , ſi penes nos ea habeamus , vel non repetendo , ſi apud a-
lios ſint , propter ſcandalum , quandoque quidem debemus , quando-
que autem non . Si enim ſcandalum ex hoc oriatur vel propter igno-
rantiam , vel infirmitatem aliorum , quod eſt ſcandalum puſillo-
rum , tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia , vel aliter
Id. ibi. *ſcandalum eſt ſedandum , ſcilicet, per aliquam admonitionem .*

Matt. 5. 42. Adverte *quod* omni petenti , *inquit Chriſtus , non omnia pe-*
tenti , da ; *ut id des* , quod *dare honeſte , & juſte potes . Quid ſi*
enim pecuniam petat , qua innocentem conetur opprimere ? Quid ſi
poſtremo ſtuprum petat ? Sed ne multa perſequar , quæ ſunt innu-
merabilia , id profecto dandum eſt , quod nec tibi , nec alteri no-
ceat , quantum ſciri , aut credi ab homine poteſt , & cui juſte ne-
gaveris , quod petit , indicanda eſt ipſa juſtitia , ut non eum ina-
nem dimittas . Ita omni petenti te dabis , quamvis non ſemper id ,
quod petit , dabis , ſed aliquando melius aliquid dabis , cum pe-
S. Aug. lib. 1. de *tentem injuſta correxeris* . Uſque huc appoſite Auguſtinus , cujus
Ser. Dom. in verba ſerio ſunt perpendenda , ad detegendos errores , quibus non
Mont. cap. 20. pauci Chriſtiani , non admodum cauti , imbuti ſunt .

Aliquando Scandalum naſcitur etiam *ex malitia , quod eſt Scan-*
dalum Phariſæorum ; & propter eos , qui ſic Scandala concitant ,
non ſunt temporalia dimittenda , quia hoc & noceret bono commu-
ni ; daretur enim malis rapiendi occaſio ; & noceret rapientibus ,
S. Tho. in 4. *qui , retinendo aliena , in peccato remanerent* . Hæc Divi Thomæ
diſt. 38. q. 11. Doctrina , quam rationi ſit conſona , nemo non videt . Quare
a. 4. excuſari nullo modo poſſunt quidam incauti Chriſtiani , qui pe-
nes ſe retinent libros recentiorum Caſiſtarum , innumeris ſcaten-
tes

ces erroribus , qui , & ſanæ tanti Doctoris ſententiæ , & publi-
co , privatoque hominum bono , omnino opponuntur .

Quando autem *Scandalum oritur ex malitia illius , qui in pec-*
catum impingit , Phariſaicum dicitur ; & iſtud contemnendum eſt ,
& ideo Dominus , non obſtante offenſione Phariſæorum , publice ve-
ritatem docebat , quam illi oderant , & eorum vitia arguebat ; &
ideo dicitur , quod Diſcipulis Domino dicentibus : ſcis quod Pha-
riſæi , audito verbo hoc , ſcandalizati ſunt ? *reſpondit* : ſinite il- Matt. 15. 14.
los ; cæci ſunt , & duces cæcorum . S. Tho. 2. 2. 1. p. q. 42. a. 2.

Ea igitur , *quæ ſunt de neceſſitate ſalutis , prætermitti non de-*
bent propter ſcandalum vitandum . . . In veritate vitæ , doctrinæ ,
& juſtitiæ , non ſolum comprehenditur id , quod eſt de neceſſitate
ſalutis , ſed etiam id , per quod perfectius pervenitur ad ſalutem .
Unde neque conſilia prætermittenda ſunt propter ſcandalum Pha-
riſæorum . *Eadem enim eſt ratio de hujuſmodi , ſicut de aliis ,* Id. 2. 2. q. 43. a. 7.
quæ ſunt de neceſſitate ſalutis . Ita neque venialiter peccare licet , & V. in 4. diſt.
ut alterius etiam grave peccatum impediatur . Certiſſimum enim 38. q. 12. a. 4.
eſt illud Apoſtoli effatum : *non ſunt facienda mala , ut veniant* Rom. 3. 8.
bona . Quamvis igitur *debitores ſimus mundo & hominibus , ſa-*
pientibus & inſipientibus , obedire tamen *oportet Deo magis , quam* Ibi cap. 1. 14.
hominibus ; præcipue cum *perditio illorum* ex propria malitia ſit (*a*) ; Act. 5. 29.
& ideo *contemnenda , juxta Apoſtolorum , & Sanctorum exempla ;* (a) Oſ. 19. 3.
ſervata tamen ſemper debita prudentia . Idem docetur lib. 5. De- S. Aug. ep. 199.
cret. cap. *cum ex injuncto .*

In ſermonibus autem ſemper *dicatur verum , maxime ubi ali-*
qua quæſtio , ut dicatur , impellit ; & capiant , qui poſſunt , ne
forte , cum tacetur propter eos , qui capere non poſſunt , non ſolum
veritate fraudentur , verum etiam falſitate capiantur , qui verum Id. de Don.
capere , quo caveatur falſitas , poſſunt . Perſev. cap. 16.

Scandalum porro *activum potiſſimum caveant ii , qui in conſpe-*
ctu populi ſunt , quia , quantum in eis eſt , eum , a quo attendun-
tur , occidunt . Non ſibi blandiatur v. gr. Prælatus , *quia ille* , ſci-
licet ſubditus , *non eſt mortuus . Et iſte vivit , & ille homicida*
eſt . Quomodo , cum laſcivus homo intendit in mulierem ad concu-
piſcendam eam , ecce illa caſta eſt , & mæchus eſt iſte ; ſic om-
nis , qui male vivit in conſpectu eorum , quibus præpoſitus eſt ,
quantum in ipſo eſt , occidit ſubditos . *Qui ergo imitatur Præpoſi-*
tum malum , moritur ; qui non imitatur , vivit ; tamen , quantum Id. lib. de Paſtor. cap. 4.
ad illum pertinet , ambos occidit .

Verumtamen ille , *in quo ſcandalum non eſt , utique perfectus*
eſt

est.... *Quid enim est, quæso, quod exardescimus, cum audimus, & legimus:* ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; nullam in quoquam dantes offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus commendantes nosmetipsos, ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus... in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia... in charitate non ficta? *Quid est*, inquam, *quod accendimur in dilectione Pauli Apostoli, cum ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non ab aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos, in ipsa veritate conspicimus.*

2. Cor. 6. 2. & seq.

S. Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 9.

Nemo igitur *se circumveniat; nullus homo sibi solummodo vivat; & quantoscumque aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis, & pro tantis, mercedem beatæ vitæ retributionis accipiet; & quantiscumque exemplum malæ conversationis, etiamsi non eum illi sequantur, præbuerit, pro tantis se malis rationem noverit redditurum.*

Id. Ser. 163. de temp.

Sed *parum est non nocere, nisi etiam præstes beneficium, quantum potes* (a). Hinc Apostolus singulos, etiam atque etiam, hisce verbis hortatur: *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi* (b). *Nihil* enim *sic probat amicum quam oneris amici portatio. Hoc est dilectionis officium invicem onera portare. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tantum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi; & omnes in uno Spiritu potati sumus... ut non sit Schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Vos autem estis corpus Christi, & membrum de membro.*

(a) Id. lib. 1. de Ser. Dom. in Mont. cap. 23.
(b) Gal. 6. 2.
S. Aug. lib. 83. qq. q. 71.
1. Cor. 12. 12. & seq.

Invicem porro fratrum onera portamus, primum, si fundamus orationes pro omnibus hominibus; *hoc enim bonum, & acceptum coram Salvatore nostro, Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Amicitia* quidem *non angustis finibus terminanda est. Omnes enim, quibus amor, & dilectio debetur, amplectitur, quamvis in alios propensius, in alios suspensius inclinetur.*

1. Tim. 2. 4.
S. Aug. ep. 121.

Orandum autem est imprimis pro Sacerdotibus, & Prælatis Ecclesiæ. Sic *a familia Christi oratum est pro Petro* (a); *oratum est pro Paulo* (b); *& nos in ejus familia esse gaudemus, & incomparabiliter, plusquam Petrus & Paulus, orationum fraternarum auxiliis indigemus.* Orandum etiam *pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus.* Oremus & *pro incredulis, ut eos Deus convertat ad Fidem; & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret; & pro Fidelibus, ut in eo, quod esse cœperunt, manere perseverent.*

(a) Act. 12.
(b) Coloss. 4.

S. Aug. ep. 121.
1. Tim. 2. 2.
S. Aug. ep. 107.

Bonum præterea *est, & orare debemus, ut nos Deus eruat de manibus inimicorum nostrorum. Sed intelligendi sunt inimici, pro quibus orandum sit, & contra quos orandum sit. Inimici homines, qualescunque fuerint, non sunt odio habendi, ne, cum odit malus, quem patitur, malum, sint duo mali. Diligat bonus, & quem patitur, malum, ut vel unus sit malus. Illi inimici sunt, contra quos, orandum est, Diabolus, & Angeli ejus.*

Id. in Psal. 30.

Multo vero magis orandum est *pro infirmis; pro carnaliter sapientibus; pro animalibus, & carnalibus; tamen pro fratribus nostris, eadem Sacramenta celebrantibus; & si non nobiscum eadem, tamen unum amen respondentibus; & si non nobiscum unum amen, hortamur medullas charitatis vestræ fundatis ad Deum preces pro eis.*

Id. in Psal. 32.

Verumtamen non sunt *prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus, in Christiana & Catholica societate, defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcunque, sub generali commemoratione, suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi. Sancta* sane, *& salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

Id. de cur. pro mort. ger. c. 4.
2. Mach. 12. 46.

Præterea aliorum onera portamus secundo modo, si consilio juvemus indigentes. *Fili, sine consilio nihil facias;* quia *dissipantur cogitationes, ubi non est consilium. Salus* autem, *ubi multa consilia* (a). *Consilio* igitur *indiget quis? tu plenus es consilio? In consilio ille pauper, tu dives es? Ecce nec laboras, nec aliquid perdis. Das consilium, & præstitisti eleemosynam.* Plerumque enim *consilio non opus est, nisi in adversis.*

Eccli. 32. 24.
Prov. 15. 22.
(a) Ibi c. 11. 14.
S. Aug. in Psal. 125.
Id. ibi.

Tertio onera fratrum portas, *si afflictos solari cures; quia injustum est gaudere velle cum gaudentibus, & flere non velle cum flentibus. Absit itaque, ut recusemus audire etiam, quæ amara & tristia sunt erga charissimos nostros. Nescio quo enim modo minus fit, quod patitur unum membrum, si compatiuntur alia membra. Nec ipsa mali relevatio fit per communionem cladis, sed per solatium charitatis, ut, quamvis alii ferendo patiuntur, alii cogno-*

Id. ibi.
1. Cor. 12. 26.

gnoſcendo compatiuntur, communis ſit tamen tribulatio, quibus pro-
S. Aug. ep. 133. *batio, ſpes, dilectio, ſpirituſque, communis eſt.* Verum enim ve-
Prov. 17. 5. ro, *qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Hac de
re plura habet, valde pulchra, Divus Auguſtinus Hom. 15. ex
50., quam tamen perperam ipſi adſcribi quidam opinantur.

Quarto *onera proximi tui portabis, cum tu adverſus eum non
iraſceris, ut rurſus eo tempore, quo te ira præoccuparit, ille te,
lenitate & tranquillitate ſua, ſupportet... & in hujuſmodi af-
fectionibus ſuſcipienda eſt aliquantulum ipſa ægritudo, de qua vis
alium per te liberari, & ſic ſuſcipienda, ut, ad auxilium, non
ad æqualitatem miſeriæ, valeat, quemadmodum ſe inclinat, qui
manum jacenti porrigit. Non enim ſe projicit, ut ambo jaceant,
ſed incurvat tantum, ut jacentem erigat... Et conſiderare debe-
mus, quod ægritudinem, ſive animæ, ſive corporis, quam in a-
lio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut poſſumus.
Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod*
S. Aug. lib. 83. *ab illo nobis vellemus exhiberi, ſi forte nos in ea eſſemus, & ipſe*
qq. q. 71. *non eſſet.*

*Eſt etiam illud cogitandum, nullum eſſe hominem, qui non poſ-
ſit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamſi lateat,
in quo ſine dubio poſſit te eſſe ſuperior; quæ cogitatio, ad con-
tundendam, edomandamque ſuperbiam, valet, ne arbitreris, quo-
niam tua bona quidem eminent, & apparent, ideo alterum nulla
habere, quæ lateant, & fortaſſe majoris ponderis, bona, quibus
te ſuperet neſcientem... Iſtæ cogitationes, deprimentes ſuperbiam,
& acuentes charitatem, faciunt onera fraterna invicem, non ſolum*
Id. ibi. *æquo animo, ſed etiam libentiſſimè, ſuſtinere.*

Quod *ſi illum infirmum, propter vitium, quo infirmus eſt,
minus diligimus, illum in eo conſideremus, qui mortuus eſt propter
illum. Chriſtum autem non diligere, non infirmitas, ſed mors eſt.
Quapropter ingenti cura, & implorata Dei miſericordia, cogitan-
dum eſt, ne Chriſtum negligamus propter infirmum, cum infirmum*
Id. ibi. *debeamus diligere propter Chriſtum.*

Igitur unuſquiſque ſic *debet Proximum diligere propter Deum,
ut, quem potuerit, hominem, vel beneficentiæ conſolatione,* ut
mox dicebamus, *vel informatione Doctrinæ, vel Diſciplinæ coer-
citione*, quod dicendum modo ſupereſt, *adducat ad colendum*
Id. ep. 52. *Deum.*

Docere, & corrigere pertinet quidem primario ad Epiſco-
pos, & Parochos, quibus jubet Apoſtolus: *attende tibi, & Do-*

ctrinæ, ut potens ſis exhortari in Doctrina ſana; & eos, qui con- 1. Tim. 4. 16.
tradicunt, arguere. In hac materia videri poſſunt Decreta *de Re-* Tit. 1. 9.
form. Concilii Tridentini *Seſſ. 5. cap. 2. Seſſ. 6. cap. 3. Seſſ. 13.
cap. 1. & Seſſ. 24. cap. 4.*

Epiſcoporum & Parochorum nomine, intelligimus etiam om-
nes illos, qui Miniſtri Dei appellantur, quibus dicitur: *ubi
ſum ego, illic & Miniſter meus erit.* Quare, *cum auditis Domi-* Joan. 12. 26.
*num ita dicentem, nolite tantummodo bonos Epiſcopos, & Cleri-
cos cogitare; etiam vos pro modo veſtro miniſtrate Chriſto, bene
vivendo, eleemoſynas faciendo, nomen, doctrinamque ejus, quibus
potueritis, prædicando, & unuſquiſque, etiam Pater familias, hoc
nomine agnoſcat, paternum affectum ſuæ familiæ debere. Pro Chriſ-
to, & pro vita æterna, ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur,
corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam. Ita, in do-
mo ſua, Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale, implebit offi-* S. Aug. tract. 51.
cium, miniſtrans Chriſto, ut in æternum ſit cum ipſo. in Joan.

Multiplex autem *diſtingui poteſt Inſtructio; una converſiva ad
Fidem, quam Sanctus Dionyſius tribuit Epiſcopo, & poteſt com-* Lib. 2. Eccl. Hier.
*petere cuilibet Prædicatori, vel etiam cuilibet Fideli. Secunda eſt
Inſtructio, qua quis eruditur de Fidei rudimentis, & qualiter ſe
debeat habere in ſuſceptione Sacramentorum; & hæc pertinet ſe-
cundario quidem ad Miniſtros, principaliter autem ad Sacerdotes.
Tertia eſt inſtructio de converſione Chriſtianæ vitæ; & hæc per-
tinet ad Patrinos. Quarta eſt Inſtructio de profundis myſteriis Fi-
dei, & perfectione Chriſtianæ vitæ; & hæc ex officio pertinet ad* S. Thò. 3. p. q.
Epiſcopos. 71. a. 4.

Privatim quidem *ad unum, vel paucos, familiariter colloquen-
do, gratia ſermonis, poteſt competere etiam mulieribus. Publice* au- Id. 2. 2. q. 177.
tem, *alloquendo totam Eccleſiam, mulieri non conceditur.* De o- a. 2.
bligatione Parentum erudiendi filios, diximus alibi. De obliga- V. lib. 2. pag.
tione vero Patrinorum dicemus infra. Interim attendant omnes 173. & ſeq.
ad hæc Eccleſiaſtici verba: *unicuique mandavit Deus de Proximo ſuo;* Cap. 17. 2.
& ad illa etiam Magni Gregorii: *qui prodeſſe utilitati Proximo-* In Paſtor.
*rum prædicatione refugiunt, ſi diſtricte judicentur, ex tantis pro-
cul dubio rei ſunt, quantis, venientes ad publicum, prodeſſe po-
tuerunt.*

Docere ignorantes eſt etiam *opus miſericordiæ ſpiritalis. Ad do-
ctrinam* tamen *alterius non obligatur homo propter debitum offi-
cium, niſi in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, & quando non*

S. Tho. in 4. *esset, qui instrueret, vel quando aliquis alium errantem videret,*
dist. 15. q. 2. a. 3. *nisi esset alius, qui ex officio id facere teneretur.*

Sed *quandoque observatio consiliorum, & impletio operum mise-
ricordiæ sunt de necessitate salutis. Quod patet in his, qui vo-
verunt consilia; & in his, quibus, ex debito, imminet defectibus
aliorum subvenire, vel in temporalibus, puta, pascendo esurien-
tem; vel in spiritalibus, puta, docendo ignorantem; sive hujus-
modi fiant debita propter injunctum officium, ut patet in Præla-*
Id. 2. 2. q. 43. a. 7. *tis, sive propter necessitatem indigentis. Ignorans* quippe *Legem
Dei sæpius ignoranter peccat, quam ille, qui scit. Sicut cæcus si-*
S. Aug. Ser. 112. de Temp. *ne ductore, sic homo sine Doctore rectam viam vix graditur.* Qua-
re non docens ignorantem necessaria ad salutem, cum facile po-
2. 2. q. 3. test, reus est peccati lethalis ex S. Thoma, & etiam ex Divo
De Doct. Chris. cap. 29. Augustino pluribus in locis. *Hoc* enim *est Proximum diligere,*
Id. in Joa. tract. 65. *ut, quantum possumus, invicem, ad habendum in nobis Deum,
cura dilectionis attrahamus.*

Hoc præsertim agere debent Confessarii, si advertant pœni-
tentes laborare ignorantia, etiam inculpabili, in genere morum,
(nam in genere Fidei omnes conveniunt) etiamsi, quidquid
contra hoc reponant quidam incauti & audacissimi Probabilistæ,
quos egregie & invicte refellit Eusebius Eranistes in sexta sua-
rum Epistolarum ad quemdam Regium Ministrum, etiamsi, in-
DD. com. quam, nulla appareat spes emendationis. Primo, quia Confes-
sarius Doctor est; debet igitur docere Legem Dei. Secundo,
quia, si verum esset, quod temere volunt Probabilistæ, erudien-
dos non esse peccatores, qui ignorantia, etiam in necessariis,
laborant, ne, qui antea materialiter tantum peccabant, postea
& formaliter peccent, consulenda esset quoque fuga talibus pœni-
tentibus ab omni Concione, Instructione, Catechismo, &c. ne di-
scerent esse peccatum, quod non credunt esse peccatum. Quis hoc
Psal. 118. 2. & seq. non videt absurdum? *Beati*, inquit Regius Propheta, *qui scru-
tantur testimonia tua, Domine; in toto corde exquirunt eum. Tu
mandasti mandata tua custodiri nimis. In quo corrigit adolescen-
tior viam suam? In custodiendo sermones tuos. Doce me justifica-
tiones tuas* &c., Tenetur igitur extra omnem dubitationis aleam
Confessarius docere pœnitentes suos, cum ad ipsum etiam perti-
2. Tim. 4. 2. neant illa Apostoli verba: *insta opportune, importune, argue, ob-
secra, increpa in omni patientia, & doctrina. Insta*, inquam,
*opportune; quod si hoc modo non proficis, importune, ita ut tu
oppor-*

*opportunitatem omnino non deseras; & sic accipias, quod dictum
est importune, ut illi videaris importunus, qui non libenter audiat,
quæ dicuntur in eum; tu tamen scias hoc illi esse opportunum, &
dilectionem, curamque sanitatis ejus animo teneas, mansueto, mo-
desto, & fraterno. Multi enim postea cogitantes, quæ audierint,
ipsi se gravius, & severius arguerunt; & quamvis perturbatio-
res a medico viderentur abscedere, paulatim, verbi rigore in me-
dullas penetrante, sanati sunt; quod non foret, si semper expecta-*
S. Aug. in ep. 2. ad Tim. *remus periclitantem putrescentibus membris, quando eum liberet,
aut uri, aut secari.*

Verum hoc multo minus foret, si pessimæ, quæ in Probabi-
listarum libris continentur, sententiæ admittantur. Patres enim
Layman & Escobar, Patris Suarez auctoritate suffulti; Pater
de Lugo, citatus a Patre Tamburino, qui *lib. 3. Meth. Conf.
cap. 4. n. 7.*, enixe commendat, ut hæc sua, de Confessione Do-
ctrina, *notetur permaxime pro Confessariis mercatorum, & Princi-
pum;* pluresque alii cum Patribus Taberna & Gobat, qui acri-
ter eamdem doctrinam propugnant, etiamsi sermo habeatur de
V. Lit. IV. Ab. Cover. turpissimis peccatis, & de illis etiam contra naturam; ii om-
(a) lib. 2. de Matr. Disp. 38. nes cum Patre Sanchez (*a*) consentiunt, quod, *quamvis ignoran-
tia sit circa jus Divinum, & naturale, si tamen probabiliter credat*
Confessarius *consilium non profuturum, tenetur non admonere, quando
ea ignorantia invincibilis est. Idem dicendum*, quemadmodum pergit
Ibi n. 10. citatus audacissimus Probabilista, *quando peccatum illud per igno-
rantiam invincibilem excusatum, sit in detrimentum proximi.* Ex
hac impia, & execranda doctrina, admissa & propagata ab om-
nibus Probabilistis, ab iis etiam, quorum libris plerumque nos-
tri Confessarii temere utuntur, consequitur, ut optime animad-
vertit, & clare evidenterque demonstrat Eusebius Eranistes in
supralaudata sexta suarum Litterarum ad quemdam Regium Mi-
nistrum *num. 23. & seqq.*, non teneri Confessarium instruere
pœnitentem ad Tribunal accedentem, credentemque, quod *fas sit
viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si
aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis
impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam,
vel ictum fustis, fugiat;* quod *liceat interficere falsum accusato-
rem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet
sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare;* quod
*vir equestris, ad Duellum provocatus, possit illud acceptare, ne ti-
miditatis notam apud alios incurrat;* quod *permissum sit furari,*

 non

non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi; quod *famuli, & famulæ domesticæ possint occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario,* quod *recipiunt;* quod *liceat procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella, deprehensa gravida, infametur;* quod *non sit obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Idem statuendum de Casibus, in centum & ultra propositionibus, expressis, a Summis Pontificibus damnatis, quarum plerasque, a Jesuitis defensas ac vulgatas fuisse, certissimum est, & de pluribus aliis, æque pessimis, atque impiis, quæ passim offenduntur, non solum in eorumdem Jesuitarum, sed & aliorum etiam Probabilistarum libris, qui stulte eas adoptarunt, iisque temerarie etiam novas, æque execrandas ac perniciosissimas, adjunxerunt. In omni enim Casu, in quo Confessarius, ut verbis Patris Tamburini utar, loco citato reg. 3., *nescit, aut dubitat,* admonitionem suam utilem fore, in ignorantia sua pœnitentes, *in Domino,* debet dimittere, eisque assentiri, ut Sacramenta suscipiant, ne eorumdem Sacramentorum gratia & fructu destituantur. Hæc, quæ attulimus, pauca sane, si cum iis, quæ afferre possemus, conferantur, evidentissime probant damnandam esse illorum Fidelium imprudentiam, vel incuriam, qui animam suam talibus Confessariis committunt, qui, ipsis non ignorantibus, studium omne suum collocant in lectitandis hujusmodi damnosissimis libris, pessimis sententiis usquequaque refertis, quæ apertissime Divinis Præceptis, & Evangelicæ veritati opponuntur; ut egregie, supra cæteros omnes, valde commendandos Antiprobabilistas, demonstrat & evincit, in variis locis Theologiæ suæ Christianæ, celeberrimus Pater Concina, ex Sancti Dominici Instituto.

Doceamus igitur *iniquos vias Domini, ut impii ad Deum convertantur;* ad Deum, inquam, *qui inclinandorum hominum cordium habet omnipotentissimam voluntatem;* ad Deum, *in cujus manu sumus nos, & sermones nostri;* ad Deum, *qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Neque enim, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus. Admonet homo, sed Christus docet,* ut fuse tradit Augustinus lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 15. *Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt, & admonitiones. Cathedram in Cœlo habet, qui corda docet.* Hinc judicare, pœnitentem non esse bene usurum admonitione, est judicare ipsum esse a Deo derelictum; quod absit; vel bonum usum admonitionis pendere tantum a vi verborum; quod falsum omnino est.

Psal. 50. 15.
S. Aug. de gr. cap. 14.
Sap. 7. 16.
Philip. 2. 13.
1. Cor. 3. 7.

S. Aug. tract. 3. in ep. Joan.

A quibusdam ignaris, & malitiosis Probabilistis afferri solent in contrarium hæc Augustini verba: *si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Sed nihil faciunt contra id, quod supra posuimus. Textus enim iniquissime, & callidissime mutilatus est. En integra verba, quæ habentur Hom. 41., quæ ab aliquibus tribuitur Sancto Ambrosio, ubi loquitur Sanctus Doctor de pœnitentia, ad mortem usque producta. *Si agis,* inquit, *veram pœnitentiam, dum sanus es, securus es, quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde? Nescio. Illud scio, hoc nescio; nam ideo do tibi pœnitentiam, quia nescio,* an forte Deus dimittat; *nam si scirem tibi nihil prodesse* pœnitentiam in morte, *non tibi darem.* Item *si scirem tibi prodesse* pœnitentiam in morte, *non te admonerem, non te terrerem,* ut pœniteret te in vita, ne moriaris in peccatis tuis. Ista certe est vera sententia verborum Sancti Augustini, quæ pessime ab aliis interpretantur; sicut etiam pessime interpretantur illa *dissimulare poteris* ex Cap. *quia circa* de Consanguin. & Affinit., ut late ostendit Prosper Fagnanus in suis Canonicis Commentariis; quamvis fateamur, si agatur de Matrimonio, Confessarium prudenter admodum se gerere debere, ne, admonendo de occulto errore, pejus faciat, quam dissimulando. *Rejectis omnibus laxæ Doctrinæ Scriptoribus, legantur hac de re Sanctus Antoninus, Sanctus Thomas, Melchior Canus, aliique sani Theologi; & attendant omnes ad hæc Isajæ verba:* væ mihi, quia tacui. Cap. 6. 5.

Lib. 4. Decr. tit. 14.

Quod vero attinet ad Correctionem Proximi, sciendum est, *quod Correctio duplex est. Una quidem, quæ est actus charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem; & talis Correctio pertinet ad quemlibet, charitatem habentem, sive sit subditus, sive Prælatus. Est autem alia Correctio, quæ est actus justitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non solum procuratur per admonitionem fratris, sed etiam interdum per punitionem, ut alii a peccato timentes desistant,*

S. Tho. 2. 2. q. 33. a. 3. *sistant ; & talis Correctio pertinet ad solos Prælatos, qui non solum habent admonere, sed etiam corrigere puniendo.* Videatur quid hac super re definierit Concilium Tridentinum *Sess. 6. de Refor. cap.* 3., quod alibi declarat: *nullum Clericum per hujus Sanctæ Synodi statuta, cujusvis privilegii prætextu, tutum censendum esse, quominus juxta canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi possit.* Alios Canones memorat Cardinalis Lauræa in sua Epitome. Sess. 14. de Reform. cap. 4.

Hinc *a malis Pastoribus inquiret Deus oves suas, & de manibus eorum inquiret mortem earum... Videtis quam sit periculosum tacere. Moritur ille, & recte moritur in impietate sua, & peccato suo moritur ; negligentia enim ejus occidit eum... sed cum fuerit negligens, non admonente illo, qui ad hoc est præpositus, & speculator, ut admoneat, & ille juste moritur, & iste juste damnatur.* S. Aug. Ser. 165. de Temp.

Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti ; quia longe graviorem habent pœnam Ecclesiarum Præpositi, qui in Ecclesiis constituti sunt, ut non pereant, objurgando peccata ; quia ad eos pertinet, non solum charitativa correctio, sed etiam punitiva. Primum igitur *charitativa*, tum vero, si hæc non prosit, *ut & cæteri timorem habeant, punitiva* adhibeatur *correctio*, ut habetur ex can. *ipsa pietas* ; ex can. *quid faciat* ; & can. *ea vindicta* ; & ex aliis pluribus, contextis ex verbis Sancti Augustini, & ex Tridentino *Sess.* 13. *cap.* 1. *de Reform.* Ezech. 3. 19. S. Aug. de ver. Dom. 1. Tim. 5. 20.

Cæterum *tam Sacerdotes, quam reliqui Fideles omnes, summam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenus, eorum redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut, si incorrigibiles apparent, ab Ecclesia separentur.* Verum *si neglexeris corrigere, pejor eo factus es, qui peccavit. Ita* quoque *peccat, qui, videns fratrem suum peccasse, tacet, sicut si peccanti indulget* (a). Caus. 14 q. 3. can. 14. S. Aug. de verb Dom. (a) Glos. in cap. 18. Matt.

Potest quidem aliquando omitti Correctio fraterna meritorie, quando, scilicet ex charitate, aliquis Correctionem omittit. Dicit enim Augustinus: *si propterea quisque objurgandis, & corripiendis parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel, ad bonam vitam & piam, erudiendos, impediant alios infirmos, & premant, atque avertant a fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.* Lib. 1. de Civ. Dei cap. 9.

Ipsa tamen plerumque *cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad fratris emendationem ; non quidem ita, quod, quolibet loco, vel tempore, frater delinquens corrigatur ; sed quod non omittatur sub pœna peccati mortalis ; quando scilicet formidatur, ut inquit idem Augustinus, judicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio, si hæc ita dominantur in animo, quod fraternæ charitati præponantur ; & hoc videtur contingere, quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quod posset eum a peccato retrahere, & tamen, propter amorem, vel cupiditatem, prætermittitur.* S. Tho. 1. 2. q. 33. a. 2.

Si vero *secretum fuit, quod in te peccavit* frater, seu proximus, *secretum quære, cum corrigis, quod peccavit. Nam, si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* In hoc casu *peccatores coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* S. Aug. Ser. 16. de verb. Dom. 1. Tim. 5. 20.

Nec putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis ; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam ; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Non est ista charitas, sed languor. Ferveat charitas, ad corrigendum, ad emendandum. Sed si sunt boni mores, delectent ; si sunt mali, emendentur, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem. Hominem enim Deus fecit ; errorem ipse homo fecit. Ama illud, quod Deus fecit ; noli amare, quod ipse homo fecit. Cum illum amas, illud tollis ; cum illum diligis, illud emendas. S. Aug. tract. 7. in ep. 1. Joan.

Verum etiam *Prælati aliquando a subditis corrigendi sunt ; sed debet modus congruus adhiberi*, juxta illud: *seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.* Tamen, *ubi periculum Fidei immineret, etiam publice Prælati a subditis corrigantur.* Ita *Sancto Petro Sanctus Apostolus Paulus restitit in faciem, quia exemplo suo cogebat Gentes judaizare.* S. Tho. 2. 2. q. 33. a. 2. 1. Tim. 5. 1. S. Tho. loc. cit. V. S. Aug. ep. ad S. Hieron.

Cave præterea, *ne quæras impietatem in domo justi. Admonet* enim *nos Dominus noster, non negligere invicem nostra peccata, non quærendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Qui* autem *habet specialiter curam alicujus, ille debet eum quærere ad hoc, quod eum corrigat de peccato.* Prov. 24. 15. S. Aug. Ser. 16. de verb. Dom. S. Tho. 2. 2. q. 33. a. 2.

Nemini unquam, quamvis obdurato, neganda est fraterna Correctio. *Nescientes enim quis pertineat ad Prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut* omnes

omnes velimus ſalvos fieri ... ac proinde omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt a nobis medicinaliter ſevera correptio. Dei autem *eſt illis eam facere utilem, quos ipſe præſcivit, & prædeſtinavit conformes imaginis Filii ſui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat, cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat?* Ut autem noſcas quid a te in hac materia præſtandum ſit, lege totum Librum, quem mox citavimus, & ep. etiam 87.

S. Aug. de corrcp. & gr. c. 5.

Id. ibi. cap. 16.

Verumtamen *ſi cui diligentia medicinæ impenſa non prodeſt, ſufficit, ad rationem reddendam, quod non ceſſarit impendi. Sicut enim malignus ſuaſor peccati, etiamſi non perſuaſerit, merito pœnam deceptoris incurrit; ita fidelis juſtitiæ prædicator, etiamſi ab homine reſpuatur, abſit, ut apud Deum ſui officii mercede fraudetur. Res enim certa fit ad incertum. Incertum eſt enim nobis, utrum aſſenſurus ſit, cui veritas prædicatur; ſed certum eſt etiam talibus veritatem prædicari oportere, & certum eſt, fideliter eam prædicantes, dignam retributionem manere, ſive ſuſcipiantur, ſive ſpernantur, ſive etiam propterea quælibet temporalia adverſa patiantur.* Utilia & digna ſcitu ſunt, quæ ſequuntur cap. 6. & 8. ejuſdem libri, etiam ad eam firmandam ſententiam, quam paulo ſupra adverſus Probabiliſtas, aſſeruimus; nimirum Confeſſarium docere debere ignorantes, quamvis nulla appareat ſpes emendationis.

Id. lib. 1. cont. Creſc. cap. 5.

Fraterna porro *Correctio facienda eſt animo manſueto, modeſto, & fraterno. Corripiet me juſtus*, inquit Pſalmiſta (*a*) *in miſericordia*; & Auguſtinus in eumdem Pſalmum, *arguet me*, inquit, *ſed in miſericordia*. Tamen, *ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpiritales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, ne & tu tenteris.*

Id. de correp. & gr. cap. 15.

(*a*) Pſal. 140. 5.

Gal. 6. 1.

Nunquam autem *alieni peccati objurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi, cum internis interrogationibus examinantes noſtram conſcientiam, liquido nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere... ne forte carnalibus motibus ad nocendum conſentiamus, & exhibeamus linguam noſtram arma iniquitatis peccato, ad reddendum malum pro bono, aut maledictum pro maledicto... Quod ſi forte, ut plerumque accidit, dilectione quidem talem ſuſcipimus actionem, & ad eam corde dilectionis accedimus, ſed inter agendum ſubrepſerit aliquid, dum nobis reſiſtitur, quod nos auferat ab hominis vitio percutiendo, & ipſi homini faciat infeſtos.... multo ſalubrius memi-*

meminiſſe oportebit, quam non debeamus ſuper aliorum ſuperbire peccata. S. Aug. in ep. ad Gal.

Quare *in ipſa correctione, vel coercitione aliorum peccatorum, cavendum eſt, ne ſe extollat, qui alterum corripit, & Apoſtolica illa cogitanda ſententia eſt:* quapropter, qui ſe putat ſtare, videat, ne cadat. *Foris terribiliter perſonet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio... Neque ergo conſentientes ſitis malis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque ſuperbientes, ut inſultanter arguatis.*

1. Cor. 10. 12.

S. Aug. Ser. 18. de verb. Dom. cap. 18.

Caveant interim, Concionatores præſertim, *ne quemquam nominatim, aut, tacite illum deſignantes, inſectentur; ne in ordinem ullum, ſtatum, aut vitæ genus ab Eccleſia receptum, invehantur; ne Epiſcopos, alioſque Prælatos, neve civiles Magiſtratus, cum auditorum offenſione, aſperius objurgent, ſed pie potius admoneant, populumque doceant, Præpoſitis ſuis, etiam diſcolis, obedire;* quin immo *Religioſis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ, diſtrictius inhibeatur, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant;* & *ne, cum reprehenderit Concionator, id hominum, ſed peccatorum, odio, immo pietatis & charitatis, officio ductus, faciat. Ne vitiis exagitandis, quaſi furenter iratus, excandeſcat nimis. Ne injurioſa verba proferat, neve ignominioſa. Ne obtrectationibus, quæ aliquando fiunt, & querimoniis, de ſuggeſtu reſpondeat.*

S. Car. Inſtruct. Concion.

Clem. 1. de Privil.

S. Car. loc. cit.

Præterea *nec ea reprehendamus, quæ neſcimus quo animo fiant... quia, & bono, & malo, fieri poſſunt, de quibus temerarium eſt judicare, maxime ut condamnemus.*

S. Aug. lib. 2. de Ser. Dom. in Mont. cap. 18.

Concludamus tandem Divi Bernardi verbis, monentis, *in corrigente requiri compaſſionem, zelum, & diſcretionem, juxta illud:* bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, *ut ſervet modeſtiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in perſuadendo.* Vide etiam Divi Auguſtini lib. 2. *de Serm. Dom. in mont.* cap. 19.

Ser. 1. in Paſch.

Pſal. 118. 66.

Si te igitur *audierit, lucratus es fratrem tuum* (*a*); *quia perierat, niſi faceres* (*b*). *Si* autem *non te audierit; ideſt, peccatum ſuum quaſi juſtitiam defenderit, adhibe tecum duos, vel tres, quia in ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum. Si nec ipſos audierit, refer ad Eccleſiam; ſi nec Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Noli illum deputare jam in numero fratrum tuorum; nec ideo tamen ſalus ejus negligenda eſt. Nam & ipſos Ethnicos, ideſt, gentiles & paganos, in*

(*a*) Matt. 18. 15.

(*b*) S. Aug. Ser. 16. de verb. Dom.

Matt. 18. 16.

in numero quidem fratrum non deputamus, ſed tamen eorum ſalutem ſemper inquirimus.

S. Aug. loc. cit.

Hiſce verbis apertiſſime ſignificatur præceptum denuntiandi Prælatis publicos peccatores, Hæreticos, Sollicitantes in Confeſſione, Incantatores &c. etiam non præmiſſa fraterna correctione, ut in Bulla Pii V. & Gregorii XIII.: quod intelligendum eſt etiam de aliis materiis ad S. Inquiſitionem ſpectantibus. *Circa fraternam Correctionem conſulantur Sanctus Thomas in 4. Sent. diſt. 19. a. 3. & q. 3. de Virtut., necnon Sanctus Auguſtinus loc. cit. & alibi etiam, ut in Indice verbo* Correctio.

De Denuntiatione diximus aliqua alibi, cum de Fide agebamus. Aliquos Canones refert Cardinalis Lauræa; & conſuli poterit Sanctus Thomas apud Bancellum in Morali Theologia verbo *Denuntiatio*; nos interim hoc loco tres propoſitiones iterum notabimus, omni jure in audaciſſimis Probabiliſtis ab Alexandro VII. damnatas, ut, detectis erroribus, facilius, quæ nobis facienda injunguntur, agnoſcamus. En igitur hujuſmodi propoſitiones. I. *quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.* II. *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitare in Confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus.* III. *modus evitandi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.*

Scias autem in hiſce Caſibus, & in aliis, cum de fide agitur, Denuntiationem faciendam eſſe, etiam non præmiſſa correctione fraterna; etiamſi innoteſcant ſub ſigillo naturali, & ſub juramento non manifeſtandi; etiamſi ſit ſpes emendationis; immo etiamſi appareat jam emendatus; etiamſi immineat periculum vitæ denuntianti, vel amiſſionis bonorum &c. ne ſcilicet periclitetur Fides; etiamſi agatur de uxore, patre, matre, filiis, fratribus, juxta illud: *ſi tibi perſuadere voluerit frater tuus, aut filius tuus, vel filia, ſive uxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: eamus, & ſerviamus Diis alienis . . . non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miſerearis, & occultes eum; ſed ſtatim interficies. Sit primum manus tua ſuper eum, & poſtea omnis populus mittat manum.*

Deuter. 13. 6. & ſeq.

Delicta vero denuntianda hæc ſunt; Apoſtaſia a Fide, Blaſphemia hæreticalis, etiam ex iracundia, vel ſub conditione; v. gr. *re-*

nego

nego Deum, ſi hoc accidit, Sortilegium, Meleficium, Aſtrologia judiciaria, abuſus Sacramentorum, vel ſacrarum rerum ad malum, Sacerdotes non conſacrantes, Revelantes Confeſſiones, inſurdeſcentes in Excommunicatione per annum, comedentes carnes diebus vetitis, non communicantes in Paſchate, Receptores Fautoreſque Hæreticorum, & alii hujuſmodi, denuntiandi ſunt Inquiſitoribus, vel Epiſcopis, ut docent ſaniores Moraliſtæ, ad quos Lectores noſtros amandamus; legant etiam opus Felicis Poteſtatis Ord. Min. Oſſerv., qui fuſe de hac materia agit, alioſque ab eodem citatos.

Verum licet modis pluribus, ut ſupra notavimus, Charitatem ſuam poſſit quis Proximis amiciſque ſuis ſignificare, tamen majorem Charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam (ideſt vitam) ponat quis pro amicis ſuis. *In hoc* quidem *cognovimus Charitatem Dei, quoniam ipſe animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quare *temporalem plane etiam pro æterna vita Proximi non dubitabit Chriſtianus amittere; hoc enim præceſſit exemplum, ut pro nobis Dominus ipſe moreretur. Non enim quiſque eſt ita deſipiens, ut dicat aliud quam ſaluti ſempiternæ hominum Dominum conſuluiſſe, vel faciendo, quod præcepit, vel præcipiendo, quod fecit.*

1. Joa. 3. 16.

S. Aug. de Mend. cap. 6.

Hoc tamen *intellige, ſi aliter ſaluti æternæ Proximi ſubveniri non poſſit, & ſpes affulgeat, quod ex morte juvetur.* Ad hoc autem tenentur præſertim Epiſcopi & Paſtores, quia *bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis; mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Conſule Sanctum Auguſtinum in ep. 180. & Sanctum Athanaſium in Apol. ſuæ fugæ.

S. Tho. 2. 2. q. 26. a. 5.

Joa. 10. 11. 12.

Verum ſi nullo ex his modis prodeſſe vales Proximo tuo, in omnibus ſaltem *te ipſum præbe exemplum bonorum operum; exemplum eſto Fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Luceat*, inquit Matthæus, *lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* Sane *ſi nemo videt facta ejus bona, nemo invitatur ad imitandum. Erunt cæteri ſteriles, quantum in ipſo eſt, dum putant a nemine fieri, quod præcepit Deus, ſi hoc homines agant, ut non videantur bona opera eorum, cum major miſericordia in eum fiat, cui proponitur bonæ imitationis exemplum, quam cui porrigitur reficiendi corporis alimentum.*

Tit. 2. 7.

1. Tim. 4. 12.

Cap. 5. 16.

S. Aug. Ser. 36. de Div.

Si times igitur *ſpectatores, non habebis imitatores. Debes er-*

 go

Id. tract. 8. in ep. Joa. *go videri; sed non ad hoc debes facere, ut videaris; idest*, ut a-
Lib. 5. de Civ. Dei cap. 14. libi id explicat apposite idem Augustinus, *hac intentione, ut eos ad vos converti velitis, quia non per vos aliquid estis, sed ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est, ad quem conversi fiant, quod estis. Tunc* quidem *recta sunt opera, cum ad hunc unum finem diriguntur. Finis enim præcepti Charitas est de corde puro,*
Id. in Psal. 89. *& conscientia bona, & fide non ficta*. Hinc Prov. 21. v. 31. legimus: *exemplo didici disciplinam*.

Vidimus huc usque, quomodo debeamus consulere saluti Proximorum quoad animam, agendum nunc est de modo, quo pos-
Id. de mor. Eccl. Cath. c. 27. simus etiam corpori benefacere; *partim enim corpori, partim vero animæ hominis benefacit, qui hominem diligit. Duobus* itaque
Id. ibi cap 25. *modis peccatur in hominem* quoad corpus; *uno si lædatur, alio si, cum fieri potest, non adjuvetur. Ea* enim *est regula dilectionis, ut, quæ sibi quis vult bona provenire, & illi velit; & quæ ac-*
Id. de vera Rel. cap. 46. *cidere sibi mala non vult, & illi nolit*, juxta illud: *diliges Proximum tuum sicut te ipsum*.

Primo itaque agendum est, ne noceas. Hinc *non adulterabis; non occides; non furaberis; non falsum testimonium dices; non concupisces; & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur:* diliges Proximum tuum sicut te ipsum. *Dilectio* sane *pro-*
Rom. 13. 10. *ximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio; ut*
S. Aug. de mor. Eccl. Cath. c. 26 *nulla malitia, nullo dolo malo, adversus hominem utamur*. Valde bene de hac re scripsit Augustinus lib. *de Disc. Chris.* cap. 5. & 6.

Verum, antequam ulterius procedamus, memoranda est hoc loco impia propositio, a modernis Casistis temere propugnata, & ab Innocentio XI. sapienter proscripta, cujus hæc erat sententia: *si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*. Extant aliæ eorumdem imprudentium Scriptorum propositiones ab eodem Innocentio XI. & ab Alexandro VII. damnatæ, quarum aliquas superius attulimus in explicatione quarti, quinti, & sexti præcepti Decalogi.

Animadvertendum præterea illud etiam est, quod *Charitas* non
1. Cor. 13. 5. solum *non operatur malum*, sed neque *cogitat malum*. Quare præcepit Dominus: *nolite judicare secundum faciem, sed justum ju-*
Joa 7. 24. *dicium judicate*. Quemadmodum ergo *aperte mala & judicari, & argui debent*, sic *illa, quæ ignoramus, & utrum bono, an*

malo animo fiant, scire non possumus, judicare penitus non debemus. Verbi gratia, vides hominem frequentius jejunantem, congaude, & noli nimis laudare, quia potest hoc & pro humana gloria fieri; sed & noli vituperare, quia potest, & pro Deo, & pro animæ remedio, jejunare. Vidisti alium, indicto publico jejunio, velle prandere, cum dilectione admone. Si dixerit pro stomachi lassitudine se jejunare non posse, crede, & noli judicare, quia utrumque potest fieri, ut, per gulam, vel luxuriam, prandere velit, & præ infirmitate, jejunare non possit. Vidisti alterum subditis suis cum severitate disciplinam imponere, & indulgentiam tardius dare, noli judicare crudelem, quia forsitan non hoc facit morbo iracundiæ, sed zelo disciplinæ, & amore justitiæ, propter illud, quod scriptum est: zelus domus tuæ comedit me. *Forte aliquis vici-* Psal. 68. 10.
nus, & amicus tuus, dum animum suum habet in rebus satis sibi necessariis occupatum, tardius te salutarit, aut tardius occurerit, quam debuit, noli eum superbum judicare, noli malignum credere; sed magis hoc, aut per oblivionem, aut per negligentiam quam per despectum, vel superbiam, factum crede: quia forte & tibi hoc, ut est humana fragilitas, frequenter evenit, ut, in rebus aliis nimis intentus, aliquid minus caute, ac minus sollicite, fecisse videaris, & tamen noluisse te pro hac re malo animo judicari. In istis ergo, & in his similibus, quæ, utrum bono, an malo animo fiant, scire non possumus, melius est, ut ad partem dexteram nostrum animum declinemus, quia tolerabilius est nos in hoc præfiniri, ut eos, qui mali sunt, bonos esse credamus, quam, ex consuetudine judicandi, etiam de bonis, quod malum est, suspicemur. De istis ergo, quæ sunt Deo nota, & nobis incognita, periculose nostros proximos judicamus. De ipsis enim Matt. 7. S. Aug. Ser. 102. de temp.
v. 1. Dominus dixit: nolite judicare, ut non judicemini.

De illis autem, *quæ aperta sunt, & publica mala, judicare, & redarguere, cum charitate tamen & amore, & possumus, & debemus, odio habentes, non homines, sed peccatum, non vitiosum, sed vitium, detestantes potius morbum quam ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, assidue ebriosus, proditor, superbus, si judicati, vel castigati non fuerint, implebitur in eis illud, quod Beatus Martyr Cyprianus de talibus dixit:* qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati fomitem subministrat .... *Hæc igitur si diligenter, sicut credimus, considerare, & cum grandi sollicitudine, Deo donante, observare volumus, non de parvo peccato cum Dei adjutorio liberamur. Maxima enim pars generis hu-*

mani indiſcreto judicio ad reprehendendum prompta, & parata eſſe probatur, cum tamen non ita ſe velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare.

Id. ibi.

Conſiderandum interim eſt, quod *duo* ſunt, *in quibus temerarium judicium cavere debemus. Cum incertum eſt, quo animo quidque factum ſit, vel cum incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc, vel bonus, vel malus, apparet. Si ergo quiſpiam v. gr. conqueſtus de ſtomacho, jejunare noluit, & tu, id non credens, edacitatis id vitio tribueris, temere judicabis. Item ſi manifeſtam edacitatem, ebrioſitatemque cognoveris, & ita reprehenderis, quaſi nunquam ille poſſit corrigi, atque mutari, nihilominus temere judicabis. Non ergo reprehendamus ea, quæ neſcimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus, quæ manifeſta ſunt, ut deſperemus ſanitatem; & vitabimus judicium, de quo dicitur:* nolite judicare, ne judicetur de vobis.... *Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere judicatur; ei autem, qui temere judicat, ipſa temeritas neceſſe eſt, ut noceat.*

Id. lib. 2. de Ser. Dom. in Mont. cap. 18.

Certiſſime autem abſque omni dubio peccat lethaliter, ſi judicium verſetur in re gravi, ſi ex levibus conjecturis, ſi ſit plene deliberatum, & denique ſi actus perfectus ſit judicii. *In his* enim *rerum tenebris humanarum, ſuſpiciones intelligere non poſſumus, quia homines ſumus; judicia tamen, hoc eſt, definitas, firmaſque ſententias continere debemus, nec ante tempus quicquam judicare, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique Deo.*

DD. com.

S. Aug. tract. 90. in Joa.

Hæc tamen dicta intelligantur *de judicio perſonarum, in quo, ex defectu alicujus conditionis ex recenſitis, judicium eſſe poteſt peccatum veniale; ſed judicium de rebus ſemper eſt mortale; puta, dicere quod dare eleemoſynam ſit malum.* Unde Auguſtinus ait: *ſi erramus in judicio perſonarum, non erremus in judicio rerum.*

S. Tho. quodl. 12. a. 1.

Lib. 2. de Ser. Dom. in Mont. cap. 18.

Nec tamen minus cavendæ ſunt ſuſpiciones malæ, quas accenſet peccatis mortalibus Paulus Apoſtolus. *Pleraque* ſane *mala generis humani non aliunde oriuntur, niſi de ſuſpicionibus falſis. Credis de homine, quod oderit te, qui forte amat te; & per pravam ſuſpicionem fit inimiciſſimus amiciſſimo. Mementote, quod ait Apoſtolus Petrus*, quoniam adverſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, *& quem non poteſt devorare ſeductum ad nequitiam, famam ipſius inquinare conatur, ut, ſi fieri poteſt, opprobriis hominum, & malarum linguarum de-*

1. Tim. 6. 4.

S. Aug. Ser. 212. de Div.

1. Petr. 5. 8.

tra-

tractione deficiat, & ſic in fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc & perſuadere tentat, ut per malevolas ſuſpiciones de fratre ſuo judicet, & ſic ab illo implicatus abſorbeatur; eo vel maxime quia *omnes, aut pene omnes homines, amamus noſtras ſuſpiciones vel vocare, vel exiſtimare cognitiones, quando credibilibus rerum ſignis movemur, cum credibilia nonnulla ſint falſa, ſicut incredibilia nonnulla ſunt vera.*

S. Aug. ep. 137.

Id. ep. 54.

Animadvertendum autem eſt, quod *Suſpicio eſt quid imperfectum in genere judicii, & ideo eſt imperfectus motus; & ideo non eſt mortale ex genere, quamvis, ſi fiat ex odio, erit aliquando mortale.*

S. Tho. quodl. 12. a. 4.

Hujuſmodi habitus ſuſpiciendi mala de proximo *contingit ex tribus. Uno modo ex hoc, quod aliquis ex ſe ipſo malus eſt, & ex hoc ipſo, quod conſcius ſuæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur, ſecundum illud:* in via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat. *Quamobrem etiam David ait:* amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum; *& ideo ſuum dixit opprobrium, quod de aliis eſt ſuſpicatus, quia & hoc, quod Apoſtolus ait:* comparantes ſemetipſos ſibimetipſis, *non intelligunt. Hoc enim proclivius homo ſuſpicatur in alio, quod ſentit in ſe ipſo. Hoc itaque opprobrium ſuum petebat auferri, quod in ſe ſenſerat, & in aliis fuerat ſuſpicatus, ut non eſſet Diabolo ſimilis, qui de occultis Sancti Job ſuſpicatus eſt, quod non gratis Deum coleret, quem popoſcit tentandum, ut crimen, quod objecerat, inveniret.*

Id. 2. 2. q. 60. a. 3.

Eccli. 10. 3.

Pſal. 118. 39.

2. Cor. 10. 12.

Job. 1.

S. Aug. in Pſal. 118.

Alio modo ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum; cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel invidet ei, ex levibus ſignis opinatur mala de ipſo. Hinc *maxime judicant de incertis, & facile reprehendunt, qui magis amant vituperare, & damnare, quam emendare atque corrigere; quod vitium vel ſuperbiæ eſt, vel invidentiæ. Libenter* quidem *alterius opprobrium nonniſi æmulatio ſuſpicatur, dum bonum opus reprehendi non poteſt, quia ſe exerit, quod apertum eſt; quo fine fiat, reprehenditur, quia non ſe exerit, quod occultum eſt.... Contra hoc malum charitas habenda eſt*, quæ non æmulatur (1. Cor. 13. v. 4.), *quam Dominus præcipue commendat.*

S. Aug. lib. 2. de Ser. Dom. in Mont. cap. 18.

S. Aug. in Pſal. 118.

Tertio modo provenit ex longa experientia... Si homo, ex levibus indiciis, de bonitate alicujus dubitare incipiat, leve peccatum eſt. Pertinet enim ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur. Si vero pro certo malitiam æſtimat, & ex levibus

indi-

indiciis, & in re gravi, mortale peccatum eſt. Similiter de Judice hominem cendemnante, quia graviter contemnit, & injuratur Proximo . . . Pejus eſt, ſi hanc ſuſpicionem, vel judicium temerarium, alteri patefecerit; teneretur enim quoque ad reſtitutionem famæ.

S. Tho. 2. 2. q. 60. a. 3.

Quid igitur agit pax, ſeu charitas, in hujus adhuc regionis incertis, in iſta peregrinatione mortalitatis noſtræ, cum adhuc nemo eſt alteri conſpicuus, nemo videt cor alterius? Quid agit pax? De incertis non judicat; incognita non confirmat. Proclivior eſt ad bene credendum de homine, quam ad male ſuſpicandum. Non ſe multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo. Perniciosa autem, cum male ſenſerit forte de bono, neſciens qualis ſit. Quid perdo, ſi credo quia bonus eſt? Si incertum eſt, licet ut caveas, ne forte verum ſit; non tamen damnes, tanquam verum ſit. Hoc pax jubet. Quære pacem, & ſequere eam.

S. Aug. in Pſal. 147.

Aliquando tamen interpretari aliquid in deteriorem partem, per quamdam ſuppoſitionem, veluti cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, ſive noſtris, ſive alienis, expedit ad hoc, ut ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id, quod eſt deterius; quia remedium, quod eſt efficax contra majus malum, multo magis eſt efficax contra minus malum; & in hoc nulla eſt culpa. Definiendo autem, & determinando, ſi judicium ſit de rebus, debet aliquis niti, ut interpretetur quodlibet, ſecundum quod eſt; in judicio perſonarum, ut interpretetur in melius; quod etiam ſupra notavimus.

S. Tho. 2. 2. q. 60. a. 3.

Agendum præterea quoque eſt, ut benevoli ſimus, non tantum amicis, ſed omnibus, & omnibus prodeſſe ſtudeamus. Charitas enim requirit, ut homo, etiamſi non actu aliquibus bene faciat, habeat tamen hoc in animi ſui præparatione, ut bene faciat cuicumque, ſi tempus adeſſet. Sic ſane amare non debemus homines, quomodo audivimus guloſos dicere: amo turdos. Quæris quare? ut occidat, & conſumet . . . & quidquid ad cibandum amamus, ad hoc amamus, ut illud conſumatur, & nos reficiamur. Nunquid ſic amandi ſunt homines, tanquam conſumendi? Sed amicitia quadam beneficentiæ, ut aliquando præſtemus eis, quos amamus. Quid ſi non ſit, quod præſtemus? Sola benevolentia ſufficit amanti. Non enim optare debemus eſſe miſeros, ut poſſimus exercere opus miſericordiæ . . . Tolle miſeros, ceſſabunt opera miſericordiæ. Opera miſericordiæ ceſſabunt, nunquid ardor Charita-

Id. ibi. q. 31. a. 2.

ritatis extinguetur? Germanius amabis felicem hominem, cui non habes, quod præſtes; purior ille amor erit, multoque ſincerior.

S. Aug. in ep. Joa. tract. 8.

Sed hoc non erit niſi in Cœlo, ubi nulla miſeria; hic in terra, in noſtra miſeria utique miſericordia. Nam quis ignorat ex eo appellatam eſſe miſericordiam, quod miſerum cor faciat condolentis alieno malo? Si tamen miſeria hominum communis eſt, non debet malitia eſſe communis. Quare ante omnia miſericordiæ operam detis, & in quibuſcunque poſſitis, proximos veſtros adjuvetis.

Id. in Pſal. 56.
Id. de mor. Eccl. Cath. c. 27.
Id. Ser. 34. de verb. Apoſt.
Id. Ser 203. de Temp.

Opera autem Miſericordiæ alia dicuntur ſpiritalia, alia temporalia. Spiritalia ſunt; docere ignorantem; conſulere dubitanti; conſolari triſtem; corrigere peccantem; remittere offendenti; portare oneroſos, & graves, & pro omnibus orare; de quibus paulo ante ſermonem habuimus.

S. Tho. 2. 2. q. 32. a. 2.

Corporalia vero ſunt; paſcere eſurientem; ſitientes potare; nudos veſtire; hoſpitem colligere; viſitare infirmum, & in carcere detentum; redimere captivum; ſepelire mortuum.

Id. ibi.

Variis Scripturarum locis pia hæc officia indicantur. Satis ſint pro omnibus terribilia Chriſti verba, ſic reprobos in die univerſalis Judicii redarguentis: diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non cooperuiſtis me; infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. In hiſce verbis fere omnia Miſericordiæ opera innuuntur. Ultimum vero opus Miſericordiæ, ſepelire nimirum mortuos, ſignificatur maxime ſequentibus Raphaelis Arcangeli verbis, Tobiam alloquentis: quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos . . . . ego obtuli orationem tuam Domino.

Matt. 25, 41. & ſeq.
Tob. 12. 12.

Summa quoque liberalitas eſt captivos redimere . . . & maxime fœminas turpitudini ſubtrahere, neci homines, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ reſtituere . . . & maxime ab hoſte barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad miſericordiam, niſi quod avaritia reſervaverit. Æs alienum ſubire, ſi debitor ſolvendo non ſit, atque arctetur ad ſolutionem, quæ ſit jure debita, & inopia deſtituta; enutrire parvulos; pupillos tueri. Sunt etiam, qui virgines orbatas parentibus, tuendæ pudicitiæ gratia, connubio locent, nec ſolum ſtudio, ſed etiam ſumptu adjuvent.

S. Ambr. lib. 2. de off. cap. 15.

Sanctus Paulinus, Nolæ Epiſcopus, ut filium cujuſdam viduæ ab hoſtibus redimeret, ſe ipſum pro illo in ſervitutem tradidit. Vaſa etiam ſacra ad redemptionem captivorum, & alimoniam pau-

Brev. Rom. 22. Jun.

S.Amb. lib.2. *pauperum, in extrema neceſſitate, frangi, conflari, vendi poſſe, E-*
de off. cap. 21. *piſcoporum tamen auctoritate, conſtat exemplo veterum Sanctorum.*
Licet vero hæc Miſericordiæ opera maxime ſint commendanda,
quia tamen Eleemoſyna cætera antecellit, de ea præſertim nunc
ſermo erit.

Quia igitur *non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ,*
Cap. 17. 11. *idcirco ego præcipio tibi*, inquit Dominus in Deuteronomio, *ut*
aperias manum fratri egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in
Pſal. 40. 2. *terra. Beatus*, aït Pſalmiſta, *qui intelligit ſuper egenum & pau-*
perem; in die mala liberabit eum Dominus. Cave, *ne dicas a-*
mico tuo: vade, & revertere; cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis
Prov. 3. 28. *dare. Benefacit* enim *animæ ſuæ vir miſericors (a); & fœnera-*
(a) Ibi 11. 17. *tur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam red-*
Ibi. 19. 17. *det ei. Qui dat pauperi, non indigebit; qui deſpicit deprecantem,*
Ibi 28. 27. *ſuſtinebit penuriam. Honora* ergo *Dominum de tua ſubſtantia.*
(a) Ibi 3. 9. *(a) Pauperi porrige manum, ut perficiatur propitiatio, & bene-*
(b) Eccli. 7. 36. *dictio tua (b). Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna*
(c) Ibi 3. 33. *reſiſtit peccatis (c). Benefac juſto, & invenies retributionem ma-*
Ibi 12. 2. *gnam, etſi non ab ipſo, certe a Domino. Propter mandatum* ſal-
tem *aſſume pauperem, & propter inopiam ejus, ne dimittas eum*
Ibi 29. 12. *vacuum. Quomodo* autem *potueris, ita eſto miſericors. Si multum*
tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exi-
Tob. 4. 9. *guum libenter impertiri ſtude. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam,*
& noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut
nec a te avertatur facies Domini... Eleemoſyna ab omni peccato,
& a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras....
Ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, &
Ibi & cap. 12. *vitam æternam.... Fiducia magna erit coram ſummo Deo elee-*
moſyna omnibus facientibus eam. Peccata ergo *tua eleemoſynis re-*
dime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum; forſitan igno-
Dan. 4. 24. *ſcet tibi Deus.* Verum *cum facis eleemoſynam, noli tuba canere*
ante te; imo, *te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid*
Matt. 6. 2. & ſeq. *faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito; & Pa-*
ter tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Date, quæſo, *elee-*
moſynam; facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum
non deficientem in Cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea cor-
Luc. 12. 33. *rumpit.* Quod *ſi frater, & ſoror, nudi ſint, & indigeant vi-*
ctu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis: ite in pace, calefa-
1. Jac. 2. 15. 16. *cimini & ſaturamini; non dederitis autem ei, quæ neceſſaria ſunt*
corpori, quid proderit? Quod ergo *ſupereſt, date eleemoſynam,*
& ecce

& ecce omnia munda ſunt vobis; omni petenti te tribue (a); & Luc. 11. 41. (a) Id. cap. 6. 30.
ſic recte uteris ſubſtantiis, & divitiis, quas ad hoc tibi largi-
tus eſt Deus.

Multa ex his Scripturarum teſtimoniis colligi poſſunt, ſi re-
cte perpendantur. Ante omnia placet advertere damnatam fuiſ-
ſe ab Innocentio XI. hanc propoſitionem, quam, Patris Vaſquez De Eleem. cap. 4. n. 14.
auctoritate ſuffulti, defenderunt, & propugnarunt plures recentes
Caſiſtæ, quæ talis erat: *vix in ſæcularibus invenies, etiam in*
Regibus, ſuperfluum ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemo-
ſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui. Solo enim ra-
tionis lumine apertiſſime perſpicitur, quam abſurda, erronea, &
temeraria ſit hujuſmodi aſſertio.

Superflua igitur *divitum, neceſſaria ſunt pauperum; res alie-*
næ poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur. Multa autem ſuperflua
habemus, ſi nonniſi neceſſaria teneamus. Nam, ſi inania quæra-
mus, nihil ſufficit. Quærite igitur, pergit Auguſtinus, *quod ſuf-*
ficit operi Dei, non quod ſufficit cupiditati veſtræ. Cupiditas veſ-
tra non eſt opus Dei. Forma veſtra, corpus veſtrum, anima veſ-
tra, hoc totum eſt opus Dei. Quærite, quæ ſufficiunt, & videbi-
tis quam pauca ſint... Non ſolum pauca ſunt, quæ vobis ſuffi-
ciunt, ſed nec ipſe Deus multa a vobis quærit... Viduæ ſuffe- Matt. 12. 42.
cerunt duo nummi ad faciendam miſericordiam; ſuffecerunt duo S. Aug. in Pſal. 147.
nummi ad emendum Regnum Dei.

Noli interim *ſub imagine pietatis augere pecuniam. Filiis, inquis,*
meis ſervo. Magna excuſatio, filiis mei ſervo. Videamus. Servat
tibi pater tuus, ſervas tu filiis tuis, filii tui filiis ſuis, & ſic per
omnes, & nullus facturus eſt præcepta Dei. Quare non illi potius
impendis omnia, qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipſe te paſcit.
Ex his, quæ fecit, ipſe paſcit & filios tuos. Neque enim melius
committis filiis patrimonium tuum, quam Creatori tuo. Et mentiun-
tur quidem homines. Mala eſt, inquiunt, avaritia. Palliare ſe vo-
lunt nomine pietatis, & dealbare, ut quaſi videantur ſervare ho-
mines, quod propter avaritiam ſervant. Nam ut noveritis, quia
ſic plerumque contingit, dicitur de quodam, quare non facit elee-
moſynam? Quia ſervat filiis ſuis. Contingit, ut amittat unum.
Si propter filios ſervabat, mittat poſt illum partem ſuam... Red-
de illi, quod ſuum eſt; redde, quod illi ſervabas. Pars ipſius de-
betur pauperibus. Illi debetur, ad quem perrexit. Chriſto debe-
tur; ad ipſum enim perrexit; & ille dixit: quod uni ex mini- Matt. 25. 40.
mis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. *Sed quid dicis? Servo fratribus*
ipſius.

ipsius. Si viveret ille, non erat cum fratribus suis divisurus?.. Quidquid dicas, mortuo debes, quod vivo servabas... Qua fronte venturus es ad filium tuum, qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in Cœlum? An non potest mitti in Cœlum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem: thesaurizate vobis thesauros in Cœlo. Si ergo iste thesaurus melius est custoditus in Cœlo... tenebitur hic, ubi potest perire? non mittetur illuc, ubi Christus est custos?

Ibi 6. 20.

S. Aug. de 10. Chor. cap. 12.

Supervacaneum omnino esset morari modo in recensendis, & examinandis pravis quorumdam hominum, & impiis propositionibus; cum enim dilectio Proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio Proximi non conservatur. Ad hoc pertinet, ut non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate; & ad hoc requiritur, ut ejus necessitati subveniamus; quod fit per eleemosynarum largitionem; & ideo eleemosynarum largitio est in præcepto... ex parte dantis... & ex parte recipientis.... scilicet dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Alias autem eleemosynas dare est in consilio, sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia.

1. Joa. 3. 18.

S. Tho. 2. 2. q. 32. a. 5.

Homo igitur peccat mortaliter, si eleemosynam dare omittat; ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat; ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ, secundum statum præsentem, non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum; hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus (Matt. 6. v. 34.) probibet; sed debet dijudicari superfluum, & necessarium secundum ea, quæ, probabiliter, & ut in pluribus, occurrunt.

Id. ibi.

Neque vero expectanda est ultima necessitas; quia tunc forte non potest juvari natura... Sufficiunt signa probabilia extremæ necessitatis futuræ, nisi ei subveniatur. Nec ad quosdam tantum determinatos homines coarctanda charitas est. Omnes homines æque diligendi sunt, æque succurrendi. Sed cum omnibus prodesse non possis, hoc potissimum consulendum est, qui, pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi, quasi quadam sorte, junguntur. Sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dare oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dare posset, si tibi occurrerent duo, quorum neutrum, alium, vel in-

Id. in 4. dist. 15. q. 2. a. 5.

di-

digentia, vel erga te aliqua necessitudine, superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non posset; sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatius adhærere potuerit.

S. Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 28.

Quia vero nullius benefactoris beneficium est tantum, sicut Parentum, ideo Parentes, in recompensandis beneficiis, sunt omnibus aliis præferendi, nisi necessitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio; puta, communis utilitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ. In aliis autem est æstimatio habenda & conjunctionis, & beneficii suscepti; quæ similiter non potest communi regula determinari... In necessitatis extremæ articulo magis licet deserere filios, quam parentes... Multo sanctiori, magis indigentiam habenti, & magis utili ad commune bonum, est magis eleemosyna danda, quam personæ propinquiori; maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis foris non immineat, etsi magnam necessitatem non patiatur.

S. Tho. in 4. dist. 15. q. 2. & 32.

Ordo autem subventionis talis debet attendi quantum ad duo. Primo ex parte eorum, quibus subvenitur, ut primo sibi, postea sibi conjunctis, subveniat, deinde extraneis. Secundo ex parte necessitatis talis debet esse ratio, ut prius absolutæ necessitati subveniatur, quam necessitati conditionatæ; quæ est, cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conservationem. Hinc necessitati extraneorum absolutæ primo subveniendum, quam necessitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ &c.

Id. ibi dist. 15. q. 2. a. 1.

Nec ab hujusmodi charitatis lege ullus unquam solvi potest. Qui enim habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Ecce ergo, unde incipit charitas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Jam percutiat viscera tua charitas; & non de jactantia facias, sed de intimo adipe misericordiæ, ut consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes ponere pro fratre? Jacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre; & si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiamsi te illa viventem non deserat. Quid inde facturus es? Esurit frater tuus; in necessitate positus est; fortasse suspenditur; a creditore angustiatur; non habet ipse; habes tu. Frater tuus est; simul empti estis; unum est pretium vestrum; ambo sanguine Christi redempti es-

1. Joa. 3. 17.

tis ... Quid ad me pertinet, forte dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderet cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes. Quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?

S. Aug. in 1. Joa. cap. 3.

Cur non miseri intelligunt, quod apud Aggæum, loquens Dominus, propterea dixerit meum est aurum, & meum est argentum, *ut & ille, qui non vult cum indigentibus communicare, quod habet, cum audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat, Deum, non de re illius, cui jubet, sed de re sua, jubere donari; & ille, qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne forte non tam confirmetur misericordiæ nomine, quam infletur superbiæ vanitate?* Meum est argentum. *Quid* ergo *dubitatis pauperi dare de meo? aut quid extollimini, cum datis de meo?*

Cap. 2. 9.

S. Aug. Ser. 15. de diver.

Multo vero minus excusari possunt, qui negant eleemosynam indigentibus, si consideretur quam mitis sit hujusmodi lex, quæ pauperibus superflua tantum danda jubet; animadvertimus enim supra, plerosque hominum, rebus pluribus supervacaneis, abundare. Præcipue cum superflua reputanda sint etiam ea, *quæ, etsi sint necessaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens.*

S. Tho. in 4. dist. 15. q. 2. a. 1.

Verum nec pauperibus improbis neganda est eleemosyna, dummodo eorum non foveatur improbitas. *Tenemur* enim *operari bonum ad omnes. Cum* ergo *esuriet nescio quis, si habes unde des, da; si vides dandum esse ad subveniendum, da. Ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ, quia tibi peccator occurrit. Tibi enim homo peccator occurrit. Cum dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi; hæc duo nomina non superflua sunt; aliud, quod homo, aliud, quod peccator; quod homo, opus est Dei; quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei; noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum.*

Gal. 6. 10.

S. Aug. in Psal. 102.

Attamen non ita facile eroganda est eleemosyna hominibus validis & robustis, mendicantibus, quia ignavi & otiosi. *Servo malevolo*, inquit Dominus, *tortura, & compedes; mitte illum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas.* Et Apostolus 2. ad Thess. *cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis; quoniam, si quis non vult operari, nec manducet.* Quare *utilius esurienti tollitur panis, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat.*

Eccli. 33. 28. 29.

Cap. 3. 10.

S. Aug. ep. 43.

Fieri vero aliquando potest, ut *de illo paupere, quem suscepisti in domum tuam, dubitet aliquantulum, & hæsitet animus tuus, utrum verax homo sit, an forte fallax, simulator, hypocrita; titubat animus in facienda misericordia, quoniam cor inspicere non potes. Fac & cum malo, ut pervenias ad bonum. Qui timet, ne bona sua semina, in vias, in spinas, in lapides, caderent, piget seminare hyeme, seminavit æstate.*

Id. Ser. 11. ex ed. Sirmon.

Beatus ergo *ille, qui intelligit super egenum & pauperem, qui præoccupat vocem petituri ... Alius ad te venit, ut petat; alium præveni, ne petat. Sicut enim de illo, qui te quærit, dictum est: omni petenti te, da, sic de illo, quem tu debes quærere, dictum est: sudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui eam tradas ... Curiosus esto, & intellige super egenum & pauperem ... Non reprehendetur ista curiositas tua ... Curiosi estote ad ista, fratres mei, & invenietis multorum Dei servorum indigentiam, tantum ut velitis invenire. Sed quia delectat vos excusatio, qua vultis dicere, nesciebamus, ideo non invenistis.*

Id. in Psal. 103.

Verumtamen (& id attente considerandum est) *de justis laboribus facite eleemosynas. Non enim corrupturi estis Judicem Christum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis.* Immo *non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur ... Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Quidquid enim in Dei sacrificio offertur ex scelere, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat.*

Id. de verb. Dom. Ser. 31. cap. 2.

Ex S. Greg. Pap. caus. 1. q. 1. caus. 27 & 14 q. 5. c. 7

Potius furari desine; *tollere noli, & dedisti. Cui dederis, gaudet; cui abstuleris, plorat. Quem duorum istorum exauditurus est Dominus? .. Dicet tibi Deus: stulte, jussi, ut dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo; si non habes, quod des, de tuo, melius nulli dabis, quam alteros spoliabis.*

S. Aug. Ser. 35. de verb. Apost.

Qui vero *est sub potestate alterius constitutus, secundum Superioris potestatem regulari debet .... nec eleemosynam facere, nisi quatenus ei a Superiore fuerit commissum. Ita Monachus se gerere debet circa bona Monasterii; uxor relate ad bona mariti; Filii familias relate ad bona patris; & denique famuli relate ad bona Dominorum.*

S. Th. in 4. dist. 5. q. 2. a. 1.

Id. 2. 2. q. 32.

Quid modo dicendum de iis, *qui sceleratissime vivunt, nec curant talem vitam, moresque corrigere, &, inter ipsa facinora & flagitia sua, eleemosynas frequentare non cessant? Frustra* pro-

fecto

Luc. 11. 41. fecto sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait: date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hoc enim quam late pateat, non intelligunt ... Qui vult eleemosynam ordinate dare, a se ipso debet incipere, & eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est: miserere a-
Eccli. 30.24. nimæ tuæ, placens Deo. Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus, cui merito displicet, quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna, quam nobis dedimus ... Non ergo se fallant, qui, per eleemosynas quaslibet largissimas, fructuum suorum, vel cujuscunque pecuniæ, impunitatem se emere existimant, in facinorum suorum immanitate, ac flagitiorum nequitia, permanendi; non solum enim hæc faciunt, sed ita diligunt, ut in eis semper optent, tantum si possint, impune versari. Qui autem diligit iniquitatem,
Psal. 10. 6. odit animam suam; & qui odit animam suam, non est in eam
S. Aug. Enchir. cap. 15. & seq. misericors, sed crudelis. Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, ut, cum de præteritis deprecamur, exaudiamur, non ut, in
Id lib. 1. de Civ. Dei cap. 27. eis perseverantes, licentiam malefaciendi, nos per eleemosynas comparare credamus.

Sed hilari quoque animo danda est eleemosyna. Plerumque enim fit a tristibus & murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. Hilarem autem dato-
2. Cor. 4. 7. rem diligit Deus. Si panem dederis tristis, & panem, & meri-
S. Aug. in Psal. 4. tum perdidisti. Ergo ex animo fac.

Considera præterea, quod plures mendici, qui professionem habent petendi in ærumna, & ipsi habent, quod præstent invicem. Non illos deseruit Deus, unde probentur, quia faciunt eleemosynas. Iste non potest ambulare, pedes suos accomodat claudo. Qui videt, oculos suos accomodat cæco; & qui juvenis est, & sanus, vires suas accomodat vel seni, vel ægroto, & portat illum. Ille indiget, ille dives est. Aliquando & dives invenitur pauper, & a paupere præstatur illi aliquid. Venit nescio quis ad flumen, tanto delicatior, quanto ditior; transire non potest. Si nudatis membris transierit, frigescit, ægrotabit, morietur. Accedit pauper exercitatiore corpore; trajicit divitem; eleemosynam facit in divitem. Ergo nolite tantum eos putare pauperes, qui non habent pecuniam. In quo quisque pauper est, ibi illum vide, quia forte tu in eo dives es, in quo ille pauper est; & habes unde accomodes. Forte membra tua accomodas, & plus est, quam si pecuniam acco-
Id. in Psal. 125. modares. Innumera pene sunt, quæ ex Sancto Augustino afferri possent ex Tom. 10., ubi plures pulcherrimæ sententiæ passim occur-
runt.

runt. Casus Conscientiæ in hac re legi possunt apud Bancellum Theol. mor. S. Thomæ.

Non solum autem, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro, vel incluso, visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuicunque necessarium est, indigenti; verum etiam & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat; & qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur, non solum in eo, quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo, quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, elee- Id. Enchir. cap. 72.
mosynam dat, quia misericordiam præstat.

Nihil porro misericordia est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multo grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, &, si potest, facit, tu bonum semper velis, faciasque, cum possis, illius memor exempli, qui, in Cruce pendens, pro suis exorat persecutoribus, suosque admonuit dicens: diligi- Matt. 5. 44.
te inimicos vestros; benefacite eis, qui vos oderunt; & orate pro eis, qui vos persequuntur. Et si quæras quam mercedem accipies, audi, quod sequitur: ut sitis filii Patris vestri. Advertite igitur, quod, Ibi 45.
si inimicos non diligimus, filii Dei esse non possumus; & qua fronte dicimus in oratione: Pater noster, qui es in Cœlis, sancti-
ficetur nomen tuum; aut qua conscientia dicere poterimus: di- S. Aug. Ser. 61. de temp.
mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus?

Sed dicit fortasse aliquis: amat anima mea amantem se. Amas amantes te, filios, & parentes? Amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & ursi. Si enim amantes non diligamus, si filios, vel pauperes despicimus, pejores leonibus, & supradictis bestiis existere videmur. Sic & ipse Dominus dicit: si enim Matt. 5. 46. 47.
diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Qui ergo solos amicos diligunt, sicut & ipsi videtis, adhuc & in hac parte Publicanis, & Gentibus, & bestiis similes sunt. Ut ergo superiores simus & Gentibus, & bestiis, etiam inimicos, & adversarios diligamus. Et timeamus illud, quod Dominus in E-
van-

Id. cap. 18. 32. & seq. *vangelio dicit:* serve male, omne debitum dimisi tibi, quoniam
rogasti me; nonne oportuit & te misereri conservo tuo, sicut
& ego tui misertus sum? *Et quid postea?* tradidit eum tortori-
bus, donec redderet universum debitum. Sic, *inquit Dominus*,
Pater meus cœlestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque
Ibi 35. fratri suo de cordibus vestris. *Et iterum ipse Dominus ait:* in
hoc cognoscent omnes, quia mei Discipuli estis, si vos invi-
Joa. 13. 34. cem diligatis. *Et iterum:* qui universam Legem complevit, of-
fendat autem in uno, est omnium reus. *Quid est hoc unum, nisi*
Id. ibi. *quod supra diximus:* mandatum novum do vobis, ut vos invi-
cem diligatis? *Quid, inquam, & hoc unum, nisi illud, quod A-*
Gal. 5. 14. *postolus dicit;* omnis Lex in uno sermone completur; diliges
Proximum tuum sicut te ipsum? *Sed ne forte aliquis dicat, lo-*
cum hunc non sic debere intelligi, audiat de hoc mandato iterum
1. Cor. 13. 3. *Apostolum sublimi voce clamantem:* & si tradidero corpus meum,
ita ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi pro-
dest. *Ipsa est vera & germana Charitas, quæ non solum usque*
ad amicos, sed etiam usque ad ipsos pervenit inimicos; sicut Do-
minus noster tantam circa genus humanum cognoscitur habere chari-
tatem, ut, non solum supra bonos, sed etiam supra malos, pluviam
dare, & Solem suum quoque oriri concedat. Etiam illud ante om-
nia cum grandi reverentia, & timore recolere, & retinere debe-
Matt. 6. 14. 15. *mus, quod Dominus in Evangelio dixit:* si dimiseritis, *inquit*,
hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœle-
stis peccata vestra; si non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis
dimittet debita vestra.

In potestate igitur *nostra positum est qualiter in die Judicii ju-*
dicemur. Unde nescio, qua fronte indulgentiam peccatorum suorum
ante tribunal Christi obtinere poterit, qui, Deo præcipiente, ini-
micis suis veniam dare non acquiescit. Apostolus etiam prædicat
Rom. 12. 17. *dicens:* nemini malum pro malo reddentes; benedicite persequen-
1. Pet. 3. 9. tibus vos; benedicite, & nolite maledicere. *Et iterum:* non
reddentes malum pro maledicto, sed e contrario benedicentes.
Beatus quoque Evangelista Joannes, qui supra pectus Domini in
1. Joa. 3. 15. *cœna recubuit, in Epistola sua ita nos admonet, dicens:* qui odit
fratrem suum, homicida est; & scitis, quia omnis homicida
1. Pet. 2. 11. non habet in se vitam æternam. *Et iterum:* qui dicit se in lu-
mine manere, & fratrem suum odit, in tenebris est, & in te-
S. Aug. Ser. 61. de temp. nebris ambulat; & nescit quo vadat, quia tenebræ obcæcave-
runt oculos ejus.

Hoc

Hoc loco placet animadvertere, quod nomine fratris *omnem*
hominem debemus accipere. Dicit enim ipse Beatus Joannes ep. 1.
cap. 4. v. 20.: si quis dixerit: diligo Deum, & fratrem suum
odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem
videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? *Sed*
etiam, si jubetis, sufficiunt ista. Sunt enim innumerabilia tam in
novo, quam in veteri Testamento, quæ causam, de qua loquimur,
validissimis testimoniis confirmare longum est, ut nunc omnia cha-
ritatis vestræ auribus non intimentur. Nam in sanctis animabus
etiam parva pro magnis accipiuntur, quia & revera, cum pauca
non sufficiunt, magna non prosunt, plura prodesse nihil poterunt.
Vos autem considerantes, quo omnis Lex uno sermone impletur in
nobis, idest, diliges Proximum tuum sicut te ipsum, *non solum*
amicos, sed etiam inimicos diligite, quia, quicunque hoc implere
nolunt, reliqua illis opera bona prodesse non poterunt. Et ideo ita Id. ibi.
omnibus inimicis vestris dimittite, ut secura conscientia possitis in
oratione dicere, dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debito-
ribus nostris.

Tenemur ergo, & stricte tenemur, inimicos diligere. Sed ad-
vertendum est, quod *dilectio inimicorum tripliciter considerari po-*
test. Uno quidem modo, ut inimici diligantur, in quantum sunt ini-
mici; & hoc est perversum, Charitati repugnans, quia hoc est
diligere malum alterius; unde Sanctus Augustinus: hæc regula Lib. 19. cont. Faust. cap. 24.
est, *inquit*, qua & oderimus inimicum propter id, quod in eo
malum est, idest, iniquitatem; & diligamus inimicum propter
id, quod in eo bonum est, idest, socialem, rationalemque na-
turam. *Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad*
naturam; scilicet, in universali; & sic dilectio inimicorum est de
necessitate charitatis; ut scilicet aliquis, diligens Deum, & Pro-
ximum, ab illa generalitate dilectionis Proximi inimicos suos non
excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in spe-
ciali; ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad
inimicum; & istud non est de necessitate charitatis absolute, quia
nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines
singulariter, est de necessitate charitatis secundum præparationem
animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in
singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod abs-
que articulo necessitatis homo hoc etiam actu impleat, ut inimi-
cum diligat propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charita-
tis. S. Th. 2. 2. q. 25. a. 8. & 9.

Sunt

Sunt tamen aliqua signa, vel beneficia dilectionis, quæ exhi-
bentur proximis in communi; puta, cum aliquis orat pro omnibus
Fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium im-
pendit aliquis toti Communitati; & talia beneficia, & dilectio-
Id. ibi. nis signa, inimicis exhibere est de necessitate præcepti.
Lev. 19. 17. Non oderis igitur fratrem tuum in corde tuo; non quæres ul-
Ibi 18. tionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum; qui enim vindi-
cari vult, a Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans
Eccli. 28. 1. servabit. Ne dicas: reddam malum. Expecta Dominum, & libe-
Prov. 22. 22. rabit te. Mihi enim vindicta, ego retribuam, dicit Dominus (a).
(a) Rom. 12. 19.
1. Theff. 5. 15. Quapropter videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. Sed
supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus
aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita &
Coloff. 3. 13. vos. Nihil profecto mirabilius in rebus humanis, quam diligere
S. Aug. lib. Conf. inimicos. Hoc sane magnificentissimæ Charitatis est signum, ut
tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, &
Id. Enchir. c. 73 facit, tu bona semper velis, faciasque, cum possis.

Potes quidem mihi dicere: non habeo, quod retribuam indigen-
ti... nunquid potes mihi dicere charitatem te habere non posse?
Ipsa est, cujus possessio tanto plus augetur, quanto plus eroga-
tur..... Aurum, argentum, vestem, frumentum, vinum, & o-
leum potest fieri, ut aliquoties non habeas, unde pauperibus tri-
buas; ut autem omnes homines diligas, & hoc aliis, quod tibi,
ipse velis, & ut inimicis tuis indulgeas, nunquam te poteris ex-
cusare, quia... de thesauro cordis tui potes proferre, quod tri-
buas. Et cum omnibus hominibus, etiamsi sola bona voluntas sit,
Id. Hom. 6. ex 50. sufficiat, & eleemosyna cordis multo major sit, quam eleemosyna
corporis, quis est, qui vel umbram excusationis possit prætendere?

Quare, cum aliquid mali patitur Christianus, non debet facile
velut odio ire in eum, a quo patitur, & velle ventum vincere;
sed convertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque e-
nim timendum est, ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim
facturus est? Multa mala dicturus, opprobria jaculaturus, in con-
viciis sæviturus. Sed quid tibi? Gaudete, inquit, & exultate,
Matt. 5. 12. quoniam merces vestra magna est in Cœlo. Ille in terra gemi-
nat convicia, tu in Cœlo lucra. Sed sæviat amplius, possit & a-
Id. cap. 10. 25. liquid amplius. Quid te securius, cui dictum est: nolite timere
eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occide-
re? Quid est ergo timendum, quando pateris inimicum? Ne con-
turbetur in te dilectio, qui diligis inimicum. Etenim inimicus ille
homo,

homo, caro & sanguis, quod videt in te, appetit. Alius autem
inimicus occultus, Rector harum tenebrarum, quas tu pateris in
carne & sanguine, alterum occultum tuum appetit; thesauros tuos
interiores deprædari, & vastare molitur. Duos ergo inimicos con-
stitue tibi ante oculos; unum apertum, & alterum occultum. A-
pertum, hominem; occultum, Diabolum. Homo ille hoc est, quod
tu, secundum naturam humanam, secundum fidem autem & di-
lectionem, nondum quod tu, sed poterit esse, quod tu. Cum ergo
sint duo, unum vide, alterum intellige; unum dilige, alterum ca-
ve. Namque & inimicus ille, quem vides, hoc in te vult hu-
miliare, unde vincitur. Verbi gratia, si divitiis tuis vincitur,
pauperem te vult facere; si honore tuo vincitur, humilem te vult
facere; si viribus tuis vincitur, debilem te vult facere. Ea er-
go attendit in te vel dejicere, vel auferre, quibus vincitur; &
ille occultus inimicus illud tibi vult tollere, unde vincitur. Ho-
mo enim hominem vincis humana felicitate, Diabolum autem vin-
cis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi, &
detruncare, aut avertere, felicitatem, qua vincitur; sic & Diabo-
lus hominem vult vincere, auferendo unde vincitur. Sed cura in
corde servare inimici dilectionem, qua Diabolum vinces. Sæviat ho-
mo, quantum potest, auferat quidquid potest, si diligitur aperte S. Aug. in Psal.
sæviens, victus est occulte sæviens. 54.

Colligitur ergo ex his omnibus, nos teneri salutationem, col-
loquium, speciales orationes inimicis exhibere, ne graviter pec-
cemus. Id enim necessarium est, vel ad vincendum odium,
quod in inimicum jam concepimus, vel ad scandalum averten-
dum, vel ad ipsum inimicum nobis reconciliandum, ipsumque
ad charitatem, & ad Deum reducendum. Sic docent unanimi
sententia saniores Theologi. Etiam in veteri Lege hoc jussum
fuisse legimus. Si occureris bovi inimici tui, sic Ex. 23. v. 5.,
aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te ja-
cere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Quanto
ergo magis nos charitatem debebimus inimicis exhibere? Quare si
ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet
cor tuum; ne forte videat Dominus, & displiceat ei; & aufe- Prov. 24. 17. 18.
rat ab eo iram suam.

Potest tamen aliquis, salva charitate, optare malum temporale
alicui, & gaudere, si contingit; non in quantum est malum il-
lius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem
plus tenetur diligere, vel Communitatis, aut Ecclesiæ. Similiter
de

de malo ejus, qui in malum temporale incidit, ſecundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ illius... Quantum vero ad bona gratiæ, nullus, ſalva charitate, poteſt malum alteri optare, vel de malo gaudere, niſi in quantum, in malo culpæ, vel damnationis alicujus, relucet bonum Divinæ Juſtitiæ, quod plus tenetur, diligere, quam aliquem hominem. Sed hoc non eſt per ſe de malo gaudere, ſed de bono, quod adjunctum eſt malo.

S. Tho. in 3. diſt. 30. a. 1.

Matt. 5. 39. & ſeq.

Sed videamus modo *quale eſt illud, quod Chriſtus præcipit*, ut nulli malum pro malo reddere debeamus; & percutienti aliam præbere maxillam; & pallium dare ei, qui tunicam auferre perſtiterit; & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere ſpatio itineris duplicato.... *Quid eſt hoc autem niſi abhorrere ab ulciſcendi libidine? Quid eſt accepta injuria ignoſcere malle, quam perſequi, & nihil niſi injurias oblivisci? Hoc quippe fit, ut vincatur bono malus, immo in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur a malo, non exteriore & alieno, ſed intimo ac ſuo, quo gravius & pernicioſius, quam cujuſvis hoſtis extrinſecus immanitate vaſtatur.... ac ſic injurioſus ab eo ipſo, cui fecit injuriam, diſcat qualia ſint, propter quæ fecit injuriam, atque in concordiam, qua nihil eſt utilius Civitati, pœnitens acquiratur, victus non ſævientis viribus, ſed benevolentia patientis.*

S. Aug. ep. 5.

Hoc ſane faciendum, & *hoc certe animo faciendum eſt, etiamſi alius exitus conſequatur, neque corrigi velit, atque placari.... Denique iſta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus eſt, pertinent, quam ad opus, quod in aperto fit, ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia; in manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus... Sunt ergo iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda; ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt.*

Id. ibi.

Sed quomodo in gratiam reconciliabuntur? *Debent inter vos*, inquit Auguſtinus, *eſſe alii pacifici, qui illum objurgent, ut a te prius veniam petat; tu tantum paratus eſto ignoſcere; prorſus paratus eſto ex corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimiſiſti. Habes adhuc, quod ores. Ora pro illo, ut petat a te veniam, quia ſcis ei nocere, ſi non petat; ora pro illo, ut petat.*

Hom. 40.

Neque mihi dicas: compellavi, ſæpe rogavi, ſupplicavi, ſed reconciliationem impetrare non potui. Ne prius abſiſtas, quam reconcilieris... Non enim ſufficit, quod non lædis, quod nulla inju-

ria

ria afficis inimicum, & quod non malignum animum adverſus eum geris; ſed enitendum eſt, ut ipſe quoque adverſus nos benevolum animum induat. Multos enim audio dicentes; ego nihil infenſus ſum, nihil doleo, neque quicquam commune cum illo habeo. Verum non id a Deo præceptum eſt: remitte fratri tuo, quæ adverſus eum habes; ſed vade, ut cum eo prius reconcilieris; *& ſi ille aliquid habet adverſum te, ne prius incœptum omittas, quam membrum illud, concordia junctum, coaleſcat.*

Matt. 5. 24.

S. Chriſ. Hom. 22.

Verum enim vero quam pauci ſunt ex Chriſtianis, qui huic Præcepto, ut par eſt, ſatisfaciant? Id autem fit, quia *hic negligens, inimicitias finire oblivifcitur; ille pertinax, veniam non vult concedere, cum rogatur; alius ſuperbe verecundus, veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitiæ vivunt, ſed animas, in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinaciam miſericordia, contra ſuperbam verecundiam ſubmiſſa prudentia. Petat veniam, qui fecit injuriam, ut non poſſideamur a Sathana, cujus triumphus eſt diſſentio Chriſtianorum.* Plurima de dilectione inimicorum, eaque ſcitu digna, legere unuſquiſque poteſt Tom. 8. & 10. operum Divi Auguſtini. Caveant omnes, monemus iterum, a peſſimis Probabiliſtarum libris, qui ſententias adeo impias etiam hac de re continent, ut legi abſque horrore ab homine Chriſtiano non poſſint. Plura diximus ſupra; multa dicemus infra, cum ſermo erit de ira; & non pauca habentur in Catechiſmo Romano in quintum Decalogi præceptum.

S. Aug. Ser. 73 de Div.

Id. ibi Ser. 74.

Erat animus aliqua addere hoc loco de peculiaribus paucorum amicitiis; verum cum Julius Nigronus, amplum valde & eruditum de re hac Tractatum ediderit, ſupervacaneum ducimus multa afferre, & ad ipſum Lectores noſtros amandamus. Sententia tamen Divi Baſilii prætermittenda non eſt. *Charitatem*, inquit, *habere inter ſe mutuam fratres debent; non ita tamen, ut duo, treſve, ſeorſum a cæteris ſodalitatem inter ſe coeant; quandoquidem hoc non charitas eſt, ſed ſeditio, & diviſio; & eorum, qui ſic coeunt, improbitatis inditium. Solent* enim, ut optime advertit Sanctus Laurentius Juſtinianus, *in converſationibus familiaribus, nimiumque aſſiduis, niſi caute agantur, intermiſceri vaniloquia, ſcurrilitates, detractiones, & effrenati riſus.* Cum quibus plane convenit Divus Chryſoſtomus; *quando bini*, inquit, *vel terni conjunguntur, a reliquis vero nos ipſos avellimus, ... illud charitatis eſt diviſio, non charitas. Quid proderit, quod*

Cap. 3. Conſt. Mon.

Cap. 22. de diſcip. & perſev. Conv. Monaſt.

Ser. 2. in ep. ad Theſſ.

ali-

aliquem vehementer amas? Humana est ista dilectio. Si vero non est humana, sed propter Deum illum diligis, dilige omnes. Nam Deus ita praecipit, ut & inimicos diligamus.

Acceptor sane *personarum est, qui charitatem, omnibus debitam, peculiariter erga unum ostendit, non erga alium.* Profecto vera, & recta esse non potest hujusmodi charitas. *Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Triplex ad hanc rem distinguenda est charitas; *est enim affectio, quam caro gignit, & est, quam ratio regit, & est, quam condit sapientia. Prima dulcis, sed turpis; secunda sicca, sed fortis; ultima pinguis, & suavis est.* Quia vero plerique proximum suum prima affectione diligunt, *illa sublimia dilectionis praemia non assequuntur, qui amorem suum non spiritaliter, sed carnaliter impendunt.* Sed haec de Virtutibus Theologicis dicta sufficiant, procedamus modo ad Virtutes Cardinales.

S. Tho. 2. 2. q. 63. a. 1.

S. Aug. lib. 10. Conf. cap. 29.

S. Bern. Ser. 50. in Cant.

Hug. de Sanct. Vict. reg. S. Aug. cap. 10.

CAPUT SECUNDUM

De Virtutibus Cardinalibus.

Divinum illud affatum hic rursus proferre juvat, quod apud Matthaeum legimus: *in his duobus praeceptis tota Lex pendet, & Prophetae;* idest in dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & Proximi tanquam sui ipsius. *Hoc, qui sobria discretione eligit, prudens est; qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est; qui nulla alia delectatione, temperans est; qui nulla elatione, justus est. His Virtutibus divinitus impartitis per gratiam mediatoris Dei cum Patre, & nobiscum hominis Jesu Christi, per quem post inimicitias iniquitatis reconciliamur Deo in spiritu charitatis; his, inquam, Virtutibus divinitus impartitis, & bona vita nunc agitur, & postea praemium ejus, quae nisi aeterna esse non potest, beata vita persolvitur. Hic enim sunt eaedem Virtutes in actu, ibi in effectu; hic in opere, ibi in mercede; hic in officio, ibi in fine.* Merito igitur *sobrietatem*, idest, temperantiam, *& prudentiam docet Sapientia, & justitiam, & virtutem*, idest fortitudinem, quibus Virtutibus utilius nihil est in vita hominibus. *Non enim est vera Sapientia, quae intentionem suam in his, quae prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, justeque distribuit, non in illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus, aeternitate certa & perfecta. Flumen*

Cap. 22. 40.

S. Aug. ep. 52.

Id. ibi.

Sap. 8. 7.

Id. lib. 19. de Civ. Dei c. 20.

men ipsum, *quod procedebat ex Edem, dividitur in quatuor partes; & has quatuor Virtutes significat;* quae *ita connexae inter se sunt, ut, si una defecerit, nulla vera sit virtus, etiamsi aliquo modo similis esse videatur; ita Prudentia tunc erit, si & fortis, & justa, & temperans sit; sic & Fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta; sic Temperantia necesse est, ut prudens, fortis, & justa sit; sic Justitia non est, nisi sit prudens, fortis, & temperans.* Dabimus modo pauca de singulis hisce Virtutibus, quibus Fideles hujusmodi Virtutes melius cognoscant, itaque ad ipsas exercendas magis magisque excitentur.

Id. lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 10.

Id. ep. 29.

ARTICULUS PRIMUS.

De Prudentia.

Prudentia est cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum (a); *est amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens* (b); *est virtus, qua dignoscitur inter bonum, & malum* (c); *est recta ratio agibilium; unde oportet quod ille sit praecipuus actus Prudentiae, qui est praecipuus actus rationis agibilium. Cujus quidem tres sunt actus, quorum primus est consiliari, quod pertinet ad inventionem; nam consiliari est quaerere. Secundus actus est judicare de inventis, & hoc facit speculativa ratio; sed practica ratio, quae ordinatur ad opus, procedit ulterius; & est tertius actus ejus praecipere; qui quidem actus consistit in applicatione consiliatorum, & judicatorum ad operandum. Et quia iste actus est propinquior fini rationis practicae, inde est, quod iste est principalis actus rationis practicae, & per consequens Prudentiae.*

(a) Id. lib. 83. qq. q. 61.

(b) Id de mor. Eccl. Cath. cap. 15.

(c) Id. in Psal. 83.

S. Tho. 2. 2. q. 47. a. 8.

Animadvertendum porro est, quod *Prudentia* alia *carnis est*, alia *spiritus. Prudentia carnis mors est; Prudentia autem spiritus vita, & pax. Prudentia carnis dicitur, cum anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit, & haec inimica est Deo; quamdiu enim appetitus talis inest animae, Legi Dei subjecta esse non potest; idest, non potest implere, quae Lex jubet. Sed cum spiritalia bona desiderare coeperit, & temporalia contemnere, desinet esse Prudentia carnis, & spiritui non resistet. Eadem namque anima, cum inferiora appetit, Prudentiam carnis habere dicitur; cum superiora, Prudentiam spiritus habere dicitur; non quia Prudentia carnis substantia est, qua induitur anima, vel exuitur; sed ipsius*

S.Aug. lib. 83. qq. q. 66. *ipsius animæ affectio est, quæ omnino esse desinet, cum se totam ad superna converterit.*

Quæ cum ita sint, patet, quod *prima est in solis peccatoribus; secunda in peccatoribus esse non potest. Prudentia autem imperfecta; puta, cum aliquis adinvenit vias accomodatas ad negotiandum, vel navigandum, unde dicitur prudens negotiator, vel nauta, est communis bonis, & malis, nisi sit imperfecta propter defectum principalis actus; puta, cum aliquis recte consiliatur, &*
S. Tho. 2. 2. q. 47. a. 13. *bene judicat etiam de his, quæ pertinent ad totam vitam, sed non efficaciter præcipit; & hæc etiam non est nisi in malis.*

Sanæ & veræ *Prudentiæ* partes sunt *Memoria*, *Intelligentia*,
(a) S.Aug. l. 83. qq. q. 31. S.Tho. l. c. a. 9. *Providentia* (a), *Solertia*, *Docilitas*, *Ratio*, *Circumspectio*, *Cautio*, *Sollicitudo*.

Memoria, ut a prima incipiamus, *est*, *per quam animus repetit illa*, *quæ fuerunt*, quod homini prudenti perutile maxime
S.Aug. l. c. est. *Prudentia* enim *est circa contingentia operabilia; in his autem dirigitur homo per ea, quæ solent accidere; unde oportet experimentum considerare. Experimentum autem est ex pluribus memoriis; unde consequens est, quod ad Prudentiam requiritur plu-*
S. Tho. 2. 2. q. 47. a. 1. *rium memoriam habere.*

S.Aug. l. 83. qq. q. 66. *Intelligentia est*, *per quam animus ea perspicit*, *quæ sunt*; perspicit, inquam, quæ sunt Deo accepta, vel ingrata, ut ea amplectatur, hæc fugiat; perspicit, quæ sint aliorum consilia, ut, quæ agenda sunt, cognoscat. Quamvis autem *sicut aqua profunda*, *ita consilium in corde viri*, *homo* tamen *sapiens exhauriet*
Prov. 20. 5. *illud*.

Providentia est, *per quam futurum aliquid videtur*, *antequam*
S.Aug. l. 83. qq. q. 86. *factum sit*. *Quis* enim *est imprudens? Qui non sibi prospicit in futurum.... Esto prudens ergo, & prospice tibi in posterum in*
Prov. 6. 6. *Cælo. Esto prudens; imitare formicam, sicut dicit Scriptura: re-*
S.Aug. in Psal. 48. *conde æstate, ne esurias in hyeme*. Verum heu quanta *gens absque consilio est*, *& sine prudentia*. *Utinam saperent*, *& intelli-*
Deut. 32. 29. *gerent*, *& novissima providerent*. Ille sane prudens apud omnes haberi debet, *qui volens turrim ædificare*, *prius sedens computat sumptus*, *qui necessarii sunt*, *si habeat ad perficiendum*, *ne posteaquam posuerit fundamentum*, *& non potuerit perficere*, *omnes*, *qui vident*, *incipiant illudere ei*, *dicentes*, *quia hic homo cœ-*
Luc. 14. 29. & seq. *pit ædificare*, *& non potuit consummare*. Ille autem imprudens erit apud omnes, *qui ædificavit domum suam super arenam*, *& descendit pluvia*, *& venerunt flumina*, *& flaverunt venti*, *&*

irrue-

irruerunt in domum illam, *& cecidit*, *& fuit ruina illius magna*. Matt. 7. 26. 27.

Solertia est facilis, *& prompta conjecturatio ad consiliandum; quandoque scilicet ex improviso occurrit aliquid agendum; & ideo* S. Tho. 2. 2. q. 49. a. 4.
Solertia convenienter pars prudentiæ ponitur.

Docilitas est dispositio ad aliorum accipienda consilia. Prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus, cum sint quasi infinitæ diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari... unde in his, quæ ad Prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri, & præcipue ex senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium. Unde dici-
tur: ne innitaris prudentiæ tuæ; in multitudine Presbyterorum Prov. 3. 5. Eccli. 6. 35.
prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere... & si videris sensatum, evigila ad eum. *Hoc autem pertinet ad Docilitatem, ut aliquis sit bene disciplinæ susceptivus; & ideo con-* S. Tho. 2. 2. q. 49. a. 4.
venienter Docilitas ponitur pars Prudentiæ.

Ratio, seu recta ratiocinatio est, qua ex aliis cognitis colligitur quid agendum sit; unde illud: *cor prudens possidebit scientiam*. Prov. 18. 15.

Circumspectio est accurata circumstantiarum, loci, temporis, personarum, negotiorum consideratio, ut teneatur bonum, fugiatur malum. Quo spectat illud Apostoli: *hoc oro*, *ut chari-* Philip. 1. 9.
tas vestra magis, *ac magis abundet in scientia*, *& in omni scientia*, *ut probetis potiora*. *Omnia probate*, *quod bonum est*, *tenete*. 1. Thess. 5. 21.

Cautio est malorum, & impedimentorum extrinsecorum, quæ consecutioni finis objiciuntur, consideratio, ut ea vitentur, & amoveantur. Hinc illud: *videte*, *fratres*, *quomodo caute ambu-* Eph. 5. 15. & seq.
letis; non quasi insipientes, *sed ut sapientes; redimentes tempus*, *quoniam dies mali sunt*. *Propterea nolite fieri imprudentes*, *sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*. *Unusquisque* porro *se a proximo suo custodiat*, *& in omni fratre suo non habeat fiduciam; quia* Jer. 9. 4.
omnis frater supplantans supplantabit, *& omnis amicus fraudolenter incedet*. *Nolite omni spiritui credere*, *sed probate spiritus*, *si ex Deo* 1. Joa. 4. 5.
sunt. Cautionis autem pars est Dissimulatio, qua, salva veritate, Dei gloria, Proximi charitate, cogitationes, opera, negotia nostra occultamus. Ita Jesus *non credebat semetipsum* Ju- Joa. 2. 24.
dæis, *eo quod ipse nosset omnes*.

Sollicitudo est quædam solertis animi vigilantia ad ea, *quæ agenda sunt*, *prosequenda*. *Quare nobis dictum fuit:* estote pru- 1. Pet. 4. 7.
dentes, & vigilate in orationibus. *Hujus sane sunt excubiæ*, *at-*

que diligentiſſima vigilantia eſt, ne ſubrepente paulatim mala ſuaſione fallamur. Unde *ſæpe Dominus, vigilate, clamate, & ambulate,* inquit, *dum tempus habetis, ne vos tenebræ comprehendant.* Patet igitur quam neceſſaria ſit *Sollicitudo*, ut revera prudentes ſimus; patet etiam ex his, quæ attulimus uſque modo, Prudentiam mancam fore, ſi in aliqua ex dictis partibus forte deficiat.

Joa. 12. 35. 3. Aug. de mor. Eccl. Cath. c. 2.

Vitia autem, quæ Prudentiæ opponuntur, hæc ſunt: *Imprudentia, Præcipitatio,* Inconſideratio, *Inconſtantia, Negligentia, Prudentia Carnis, Aſtutia, Dolus, Fraus, & immodica de rebus temporalibus Sollicitudo.*

Imprudentia igitur *dupliciter accipi poteſt; uno modo privative, alio modo contrarie. Negative autem non proprie dicitur; ita ſcilicet, quod proprie importet ſolam carentiam Prudentiæ, quæ poteſt eſſe ſine peccato. Privative quidem Imprudentia dicitur, inquantum aliquis caret Prudentia, quam, quis natus eſt, debet habere; & ſecundum hoc Imprudentia eſt peccatum ratione negligentiæ, qua quis non adhibet ſtudium ad Prudentiam habendam. Contrarie vero accipitur Imprudentia, ſecundum quod ratio contrario modo movetur, vel agit, Prudentiæ .... Unde ſi hoc contingat per averſionem a regulis Divinis, eſt peccatum mortale; puta, cum quis quaſi contemnens, & repudians Divina documenta, præcipitanter agit; ſi vero præter eas agat abſque contemptu, & abſque detrimento eorum, quæ ſint de neceſſitate ſalutis, eſt peccatum veniale.*

S. Tho. 2. 2. q. 53. a. 1.

Præcipitatio vero *in actibus animæ metaphorice dicitur ſecundum ſimilitudinem, a corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari ſecundum corporalem motum, quo a ſuperiori in ima pervenit ſecundum impetum quemdam proprii motus, vel alicujus impellentis, non ordinate deſcendendo per gradus. Summum autem animæ eſt ipſa ratio; imum autem eſt operatio per corpus exercita; gradus autem medii, per quos oportet ordinate deſcendere, ſunt memoria præteritorum, intelligentia præſentium, ſolertia in conſiderandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas, per quam aliquis acquieſcit ſententiis majorum; per quos quidem gradus aliquis deſcendit recte conſiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel paſſionis, impertranſitis hujuſmodi gradibus, erit Præcipitatio. Cum ergo inordinatio conſilii ad Imprudentiam pertineat, manifeſtum eſt, quod vitium Præcipitationis ſub Imprudentia continetur.*

Id ibi q. 59. a. 4.

In-

Inconſideratio vero *eſt defectus conſiderationis, ſeu judicii, prout ſcilicet aliquis in recte judicando deficit ex hoc, quod contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit; unde manifeſtum eſt, quod Inconſideratio eſt peccatum;* ut ſupra diximus de Imprudentia. *Oculi tui* igitur *videant recta, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.*

Id. ibi. Prov. 4. 25.

Incoſtantia porro *importat receſſum quemdam a bono propoſito definito ... Sed iſte receſſus non conſummatur niſi per defectum rationis, quæ fallitur in hoc, quod repudiat id, quod bene acceptaverat ... Et ideo Inconſtantia ſecundum ſui conſummationem ad Imprudentiam pertinet; & ſicut Præcipitatio eſt ex defectu circa actum conſilii, & Inconſideratio circa actum judicii; ita Inconſtantia circa actum præcepti; ex hoc enim dicitur aliquis eſſe inconſtans, quod ratio deficit in præcipiendo ea, quæ ſunt conſiliata, & judicata.* Attente igitur ab hoc vitio caveamus. *Inconſtantia* enim *concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum.* Ubi autem *zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum.* Studeamus ſemper cum omnibus ſincere agere, & ingenue. *Vir* enim, *duplex animo, inconſtans eſt.*

S. Tho. 2. 2. q. 53. a. 5. Sap. 4. 12. Jac. 3. 16. Id. 1. 8.

Negligentia præterea *directe opponitur Sollicitudini. Sollicitudo autem pertinet ad rationem, & rectitudo Sollicitudinis ad Prudentiam; unde per oppoſitum Negligentia pertinet ad Imprudentiam ... Provenit autem ex quadam remiſſione voluntatis, per quam contingit, quod ratio non ſollicitatur, ut præcipiat ea, quæ debet, vel eo modo, quo debet. Poteſt ergo dupliciter contingere, quod Negligentia ſit peccatum mortale. Uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per Negligentiam; quod quidem, ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circumſtantia, erit peccatum mortale. Alio modo ex parte cauſæ; ſi enim voluntas, intantum ſit remiſſa circa ea, quæ ſunt Dei, ut totaliter a Dei Charitate deficiat, talis Negligentia ſit peccatum mortale. Et hoc præcipue contingit, quando Negligentia ſequitur ex contemptu. Alioquin ſi Negligentia conſiſtat in prætermiſſione alicujus actus, vel circumſtantiæ, quæ non ſit de neceſſitate ſalutis; nec hoc fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum, tunc Negligentia eſt veniale peccatum.*

S. Tho. 2. 2. q. 54. a. 2. & 3.

Verumtamen certum eſt, quod *ille, qui timet Deum, nihil negligit;* quod *timor Dei operatur ad vitationem cujuslibet peccati; per timorem* enim *Domini declinat omnis a malo. Cave* igitur, *ne quando obliviſcaris Domini Dei tui, & negligas manda-*

Eccli. 7. 19. S. Tho. loc. cit. Prov. 15. 27.

K 2 *ta*

Deut. 8. 11. Hebr. 2. 3.
ta ejus. *Quomodo* enim *effugiemus* judicium Dei, & condemnationem, *si tantam neglexerimus salutem?* Noli negligere disciplinam (*a*); noli negligere gratiam (*b*); etenim *qui negligit viam suam, mortificabitur* (*c*); idest peribit. *De negligentia* ergo *tua purga te*. *Parva oblatio, cum umili mente, & pura dilectione, facta, non solum purgat peccata venialia, sed etiam mortalia*.

(a) Ibi. 12. 5. (b) 1. Tim. 4. 14. (c) Prov. 19. 16. Eccli. 7. 34. S. Tho. 2. 2. q. 34. a. 3.

Prudentia carnis, de qua jam supra aliquid diximus, mors est; scilicet, peccatum grave, quandiu inimica est Deo, & Legi Dei non subjicitur; aliter veniale tantum erit. De hac Prudentia loqui intelligens Apostolus, *nolite*, inquit, *esse prudentes ad vosmetipsos* (*a*); sed *estote prudentes in Christo* (*b*). Scriptum est enim: *perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo* (*c*). *Disce* igitur, *ubi sit prudentia* (*d*); quia *non est sapientia, non est prudentia contra Dominum* (*e*).

V. S. Aug. 2. Disp. cont. Fortun. (a) Rom. 12. 16. (b) 1. Cor. 4. 10. (c) Ibi. 1. 19. (d) Baruch. 3. 14. (e) Prov. 21. 30.

Astutia peccatum esse potest, & Imprudentiæ potest inservire; *eam dico Astutiam, quæ usitatius in malitiosis intelligi, & vocari solet, non sicut nostra loqui Scriptura consuevit, quæ sæpe Astutiam in bono ponit; unde illud*, ut detur parvulis astutia (*a*). *Eam* igitur *dicimus esse vitium Prudentiæ oppositum, quod simulatis viis ad finem tendat. Et est peccatum grave, vel leve, prout finis ipse malus est mortaliter, aut venialiter. Erit quoque veniale peccatum, si quis ea utatur ad bonum finem*. Quare non estote *ambulantes in astutia*. *Timeo* enim, ne *sicut Serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo*. Legi poterit D. Greg. lib. 10. Mor. cap. 16.

S. Aug. ep. 29. (a) Prov. 1. 4. S. Tho. 2. 2. q. 55. a. 3. 2. Cor. 4. 2. Ibi. cap. 11. 3.

Fraus, & *Dolus* Astutiæ consilia exequuntur verbis, & factis. Nihil addimus hoc loco; loquemur enim de ipsis infra, cum sermonem habebimus de Avaritia.

Immoderata de temporalibus rebus Sollicitudo, vitium quoque est Prudentiæ oppositum, quo vel temporalia bona, ut finis, quæruntur, vel superflua, præter vitæ præsentis necessitatem, vel nimium tempus in ea Sollicitudine occupatur. Ideo ait Christus: *ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini . . . Nolite solliciti esse in crastinum*. *Cum* autem *& ipse Dominus loculos habuisse legatur, & a Fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens*, consequens est, *Dominum nostrum hoc non improbare, si quis humano more ista procuret, sed, si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis, non Regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur*. Quare *quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*.

Ex S. Tho. t. 6. 31. Ibi. 34. Bo'a hic. S. Aug. de Ser. Mont. Matt. 6. 33.

ARTICULUS SECUNDUS

De Justitia.

F*Alsum est quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet: id esse jus, quod ei, qui plus potest, utile est*. Hoc si foret, *quid* quæso *essent Regna nisi magna latrocinia? quia & ipsa Latrocinia quid sunt nisi parva regna?* Verum Justitia *ea virtus est, quæ sua cuique distribuit; est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est a natura profectum; deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; postea res & a natura profectas, & consuetudine probatas, Legum metus, & Religio sanxerunt. Naturæ jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit*. *Hæc* itaque *in unoquoque Justitia est, ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo, vel resistendo*.

S. Aug. lib. 19. de Civ. Dei c. 21. Id. ibi. lib. 4. c. 4. Id. ibi. lib. 19. c. 21. Id. lib. 83. qq. q. 31. Id. lib. 19. de Civ. Dei c. 27.

Hinc distinguitur *Justitia universalis*, qua homo *declinat a malo, & facit bonum*; quo sensu, qui Legem Dei servant, *justi* dicuntur. *Qui* enim *facit justitiam, justus est, sicut & ille* (nempe Deus) *justus est*. *Justitia*, hoc itaque modo accepta, complectitur virtutes omnes.

Psal. 36. 27. 1. Joa. 3. 7.

Justitia autem *particularis* est virtus a cæteris distincta, de qua dicitur: *melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate*. Cui consonum est illud Apostoli: *reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, nemini dantes ullam offensionem*.

Prov. 16. 8. Rom. 13. 7. Ibi. 8. 1. Cor. 6. 3.

Justitiæ particularis objectum est Jus, sive Justum; quod aliud est naturale, commune omnium Nationum, eo quod instinctu naturæ, non constitutione aliqua, habetur; ut viri & fœminæ conjunctio, liberorum successio, & educatio, communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ Cœlo, terra, marique capiuntur; item depositæ rei, vel commendatæ, restitutio, violentiæ per vim repulsio. Paucis verbis: *jus naturæ est, quo quis-*

Decr. p. 1. dist. 1. cap. 7.

quisque jubetur alteri facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alteri inferre, quod sibi nolit fieri.

DD. com.

Aliud vero *est Jus positivum*; scilicet jus ab aliquo habente auctoritatem positum; & hoc vel *Divinum* est, vel *Humanum*; *Divinum* in Sacra Scriptura continetur; *Humanum*, aut *Gentium* est, aut *Civile*, *aut Canonicum*. Jus Gentium *est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, Legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita; hoc ideo Jus gentium appellatur, quia eo jure omnes fere gentes utuntur.*

Decr. p. 1. dist. 1. c. 9.

Jus Civile est, quod *quisque populus, vel quæque Civitas, sibi proprium, Divina humanaque causa, constituit*. Constat Legibus, Edictis Principum, & Consuetudinibus municipalibus. Jus Canonicum *ex Canonibus*, idest, *Regulis desumitur, statutis a Conciliis, a Summis Pontificibus, a Decretis, ab Ecclesia probatis, & receptis*.

S. Tho. 1. 2. q. 95. a. 4.

DD. com.

Consuetudo etiam vim Legis habet. Discrimen vero inter *Morem, & Consuetudinem* intercedit. *Mos* enim *est vetustate probata Consuetudo, sive Lex non scripta. Consuetudo* autem *est jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex. Nec differt, an scriptum, an ratione consistat, quando & Legem ratio commendat. Porro si ratione Lex constat, Lex erit omne jam, quod ratione constiterit, dumtaxat quod Religioni conveniat, quod Disciplinæ congruat, quod Saluti proficiat. Vocatur autem Consuetudo, quia in communi est usu.* De Legibus, & Consuetudine consulantur Canonistæ.

Dist. 1. c. 4.

Ibi. c. 5.

Justitia interim particularis *ordinatur ad aliquam privatam personam, quæ comparatur ad Communitatem sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi; unus quidem partis ad partem, cui similis est ordo unius privatæ personæ ad aliam; & hunc ordinem dirigit Commutativa Justitia, quæ consistit in his, quæ mutuo fiunt inter duas personas ad invicem. Alius ordo attenditur totius ad partes; & huic ordini assimilatur ordo ejus, quod est commune ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit justitia Distributiva, quæ est distributiva communium secundum proportionalitatem; & ideo duæ sunt Justitiæ species; scilicet Distributiva, & Commutativa.*

S. Tho. 2. 2. q. 61. a. 1.

Et hic placet referre *Commutationes*, quæ fieri solent inter duas personas, in quibus æqualitas servanda est; Hæc sunt primum *emptio*

ptio & venditio, quæ satis patent. *Cambium*, idest, commutatio unius rei cum altera; v. gr. vini pro oleo, vel etiam pecuniæ cum pecunia alterius speciei. *Usufructus*, idest, rei fructiferæ gratuita concessio, ad usum, ea lege, ut res ipsa statuto tempore reddatur. *Emphiteusis*, idest, translatio usufructuum in alterum, sub conditione pensionis annuæ, sive in perpetuum, sive ad tempus solvendæ. *Mutuum*, idest, contractus, quo gratis conceditur usus rei infrugiferæ, quæ ipso usu consumitur, cum obligatione reddendi æquivalens; ita *mutuo* dantur panis, vinum, triticum, oleum, pecunia &c., *Commodatum*, idest, contractus, quo gratis conceditur usus rei infrugiferæ, cum obligatione reddendi rem eamdem: ita commodantur vestes, vasa, libri &c., *Locatio*, idest, contractus, quo quis rei suæ usum concedit pacto pretio; *Locationi* respondet *Conductio*, qua talis usus recipitur. Locantur, & conducuntur domus, agri, equi, operæ &c. *Impignoratio*, idest, traditio rei alicujus ad firmandam obligationem satisfaciendi. *Fidejussio*, qua aliquis se obligat ad satisfaciendum pro altero. *Depositum*, quo quis rem suam apud alterum deponit, ejusque fidei commendat gratis custodiendam, & conservandam. *De his consulantur Sanctus Thomas 2. 2. q. 61. & Canonistæ, Moralesque Theologi, pii tamen, prudentes, & docti, non nimis faciles, atque benigni, quales sunt fere omnes recentiores Casistæ.*

Justitiæ Distributivæ opponitur acceptio personarum, *cum in aliquo negotio attenditur, quasi regula ipsius negotii, conditio personæ, nihil faciens ad negotium; puta, cum ideo do Beneficium alicui, quia est nobilis, vel pulcher; nobilitas enim, aut pulchritudo nihil facit ad hoc, quod habeat Beneficium. Si do, quia bonus est, & bene deserviet Ecclesiæ; quia bene litteratus, & honestus est, non sum acceptor personarum.* Id. in ep. ad Gal. lect. 2. c. 2.

Cum autem *Judicium sit actus justitiæ, prout Judex ad æqualitatem Justitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppositam facere possunt, personarum vero acceptio inæqualitatem quamdam habeat, inquantum tribuitur alicui personæ aliquid præter proportionem suam, in qua consistit æqualitas Justitiæ, ideo manifestum est, quod per acceptionem personarum judicium corrumpitur.* Id. 2. 2. q. 63. a. 4.

Nolite igitur *fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi .... Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a Lege, quasi transgressores. Quare ne consideretis personam pauperis, nec honoretis vul-* Jac. 2. 1. & seq.
tum

Levit. 19. 15. *tum potentis*. Hujuſce criminis rei ſunt & Confeſſarii, libentius
audientes divites & nobiles, quam pauperes & plebejos; & Concionatores, libentius frangentes Myſticum panem potentibus, quam puſillis. Nulla eſſe debet *diſtantia perſonarum; ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujuſquam perſonam,*
Deut. 1. 17. *quia Dei judicium eſt*. Ideo quicunque ſedet judicaturus, *ne reſ-*
1. Reg. 16. 7. *piciat vultum, neque altitudinem ſtaturæ. Cognoſcere* enim *perſo-*
Prov. 24. 23. *nam in judicio non eſt bonum*. Igitur *ſi Patrem invocatis eum,*
qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundum uniuſcujuſque o-
1. Pet. 1. 17. *pus, in timore incolatus veſtri tempore converſamini*.

Juſtitiæ opponitur *Injuſtitia*, quæ ſolet eſſe grave peccatum,
DD. com. niſi ex parvitate materiæ excuſetur. *Omne* enim *nocumentum alteri illatum ex ſe Charitati repugnat; & ideo cum Injuſtitia ſemper conſiſtat in nocumento alterius, manifeſtum eſt, quod facere*
S. Tho. 2. 2. q. 59. a. 4. *injuriam ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Committitur* autem *Injuſtitia furto, rapina, homicidio, facto abſque moderamine inculpatæ tutelæ, vel quacunque damnificatione Proximi gravi, ſive in corpore, ſive in ſubſtantiis*, prout alibi diximus. *Injuſtitiæ etiam peccatum eſt omittere bonum Proximo debitum, vel Di-*
Id. ibi. & q. 79. *vina, vel humana Lege, præſcriptum*.

Verum, ut naturam *Juſtitiæ* plenius agnoſcamus, conſideremus ea, quæ ad ipſam pertinent, & hæc ſunt *Religio, Pietas, Gratia, Vindicatio, Obſervantia, Veritas, Obedientia, Liberalitas*, & *Affabilitas*.

S. Aug. lib. 83. 99. q. 31. Ac primo quidem *Religio eſt, quæ ſuperioris cujusdam Naturæ, quam Divinam vocant, curam, cæremoniamque affert*. Vide ſuperius dicta a nobis Lib. 2. in primum Decalogi Præceptum.

Sequitur *Pietas, per quam ſanguine conjunctis, patriæque be-*
Id. ibi. *nevolens officium, & diligens tribuitur cultus. Juſtitiæ Pietas eſt*
S. Ambr. lib. 1. *prima in Deum; ſecunda in Patriam; tertia in Parentes; item in*
de Off. cap. 27. *omnes*. De hac etiam pluribus in locis ſuperius locuti ſumus.

Gratia, ſeu, ut dici ſolet, *Gratitudo* ea eſt, *in qua, amicitiarum, atque officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas*
S. Aug. lib. 83. 99. q. 31. *continetur*. Ejus oppoſitum eſt *Ingratitudo*. *Ingratus* autem *dicitur aliquis dupliciter. Uno modo per ſolam omiſſionem; puta, quia non recognoſcit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto, & hoc non ſemper eſt peccatum mortale, quia debitum gratitudinis eſt, ut homo etiam aliquid liberaliter tribuat, ad quod non tenetur; & ideo, ſi illud prætermittit, non peccat mortaliter. Eſt tamen peccatum veniale, quia hoc provenit ex negli-*

gligentia quadam, aut ex aliqua indiſpoſitione hominis ad virtutem. Poteſt tamen contingere, quod etiam talis Ingratitudo ſit mortale peccatum, vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem ejus, quod ſubtrahitur, quod ex neceſſitate debetur beneficio, ſive ſimpliciter, ſive in aliquo neceſſitatis caſu. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non ſolum prætermittit implere gratitudinis debitum, ſed etiam contrarium agit; & hoc etiam ſecundum conditionem ejus, quod agitur, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. S. Tho. 2. 2. q. 107. a. 3.

Sed *Ingratitudo ipſa quandoque eſt ſpeciale peccatum, cum ſcilicet peccator in contemptum Dei, & ſuſcepti beneficii, aliquod peccatum committit. Si vero committat v. gr. homicidium, non ideo quia pertinet ad contemptum Dei, Ingratitudo non erit ſpeciale peccatum, ſed trahetur ad ſpeciem illius peccati ſicut circumſtantia. Hinc ait Auguſtinus lib. de nat. & grat.* non omne peccatum eſt ex contemptu; & tamen in omni peccato Deus contemnitur in præceptis ſuis. Id. 1. p. q. 82. a. 4. & V. in 4. diſt. 22. q. 1 a. 1.

Verum *circa ingratum duo conſideranda ſunt. Primo quid eſt, quod ipſe dignus ſit pati; & ſic certum eſt, quod meretur beneficii ſubtractionem. Alio modo conſiderandum eſt quid oportcat beneficum facere. Primo namque non debet eſſe facilis ad judicandam Ingratitudinem, quia frequenter aliquis, qui non reddidit, gratus eſt, quia forte non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi. Secundo debet tendere ad hoc, quod de ingrato gratum faciat. Quod ſi non poteſt primo beneficio ſatisfacere, forte faciet ſecundo. Si vero ex beneficiis multiplicatis Ingratitudinem augeat, & pejor fiat, debet a beneficiorum exhibitione ceſſare*. Id. 2. 2. q. 107. a. 4. Idem omnino traditur Cap. propter *Extra*. de Donat. Sciat autem beneficus, quod *Deus proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam;* Eccli. 3. 31. *& meminit ejus in poſterum; & in tempore caſus ſui inveniet firmamentum*.

Sequitur *Vindicatio, per quam vis, aut injuria, aut omnino omne, quod offuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo, propulſatur*. Sed de hoc peccato dicemus infra, cum ſermo erit de ira. S. Aug. de nat. & grat.

Obſervantia eſt, per quam homines, aliqua Dignitate antecellentes, cultu quodam & honore dignamur; & ideo ſicut ſub Reli- Id. ibi. *gione, per quam cultus tribuitur Deo, quodammodo invenitur Pietas, per quam coluntur Parentes; ita ſub Pietate invenitur Obſervantia, per quam cultus, & honor exhibetur perſonis in Dignitate conſtitutis .... & hic quidem cultus eſt debitus ex Lege* (ut de-

V. lib. 3. pag. 168. & ſeq. demonſtravimus ſupra in expoſitione Quarti præcepti Decalogi)
ſi prælationem homines illi ſupra nos habeant ; alias eſt debitus
S. Tho. 2. 2. q. 102. a. 1. *moraliter ; ſcilicet ex quadam honeſtate, etiamſi non ſimus eis ſub-*
Rom. 12. 10. *jecti*. In honore igitur ſemper eos habeamus *invicem prævenientes*.

S. Aug. de nat. & grat. *Veritas, per quam immutata ea, quæ ſunt, aut fuerunt, aut*
futura ſunt, dicuntur. Propter hoc deponentes mendacium, æqui-
voca, reſtrictiones, directioneſque mentales, aliaque hujuſmodi, a
Jeſuitis malitioſe atque impie inventa, & a pluribus recentibus
Caſiſtis admiſſa & propagata, *loquimini veritatem, unuſquiſque*
Eph. 4. 25. *cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra. Vitioſum* ta-
men *eſt quod aliquis ſine debita cauſa laudet ſe ipſum, etiam de*
vero. Vitioſum eſt etiam, quod aliquis peccatum ſuum publicet,
S. Tho. 2. 2. q. 109. a. 1. *quaſi ſe de hoc laudando, vel qualitercunque inutiliter manife-*
ſtando.

S. Aug. lib. 8. de Gen. ad Litt. cap. 6. *Obedientiam* autem *poſſum veriſſime dicere ſolam eſſe virtutem om-*
Id. lib 14. de civ. Dei c. 12 *ni creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſtate. Ipſa eſt in creatu-*
ra rationali mater quodammodo omnium, cuſtoſque virtutum. Fu-
ſe de hac virtute agit Sanctus Tho. 2. 2. q. 104. a. 1.

S. Ambr. lib. 7. de Off. *Liberalitas* eſt, *cujus in Evangelio multas diſciplinas accipi-*
S. Tho. 2. 2. q. 117. a. 1. *mus ; ſed in Evangelio non docentur niſi ea, quæ ad virtutem per-*
tinent ; ergo Liberalitas eſt virtus. Et ſane *utiliter pecuniam ex-*
pendere non eſt minoris Prudentiæ, quam utiliter eam conſervare,
Id. ibi. a. 4. *ſed majoris ; & hinc Liberalitas ad Prudentiam pertinet ; magis*
tamen pertinet ad Juſtitiam, eo quod datio beneficentiæ, & mi-
ſericordiæ procedit ex eo, quod homo eſt aliqualiter affectus circa
eum, cui dat ; & ideo talis datio pertinet ad Charitatem, ſive
ad Amicitiam. Sed datio Liberalitatis provenit ex eo, quod dans
non concupiſcit, neque amat pecuniam ; unde non ſolum amicis,
ſed etiam ignotis, dat, quando oportet ; unde pertinet ad Juſtitiam,
Id. ibi. a. 5. *quæ eſt circa res exteriores*. De Liberalitate præſtabit multum
legere Lib. 2. de Officiis Divi Ambroſii. Huic virtuti contra-
riæ ſunt *Avaritia* & *Prodigalitas*, de quibus quoque infra dicemus.

Affabilitas & ipſa virtus eſt ; *cumque virtus ordinetur ad bo-*
num, ubi occurrit ſpecialis ratio boni, ibi oportet eſſe ſpecialem
rationem virtutis. Bonum autem in ordine conſiſtit. Oportet au-
tem hominem convenienter ad alios homines ordinari in communi
converſatione, tam in factis, quam in dictis, ut ſcilicet ad unum-
quemque ſe habeat, ſecundum quod decet. Et ideo oportet eſſe
Id. ibi. q. 114. a. 1. *quamdam ſpecialem virtutem, quæ hanc convenientiam ordinis ob-*
ſervet. Et hæc vocatur Amicitia, *ſeu* Affabilitas.

Tenetur ſane *homo, quia eſt animal ſociale, ex quodam natu-*
rali debito honeſtatis, ut aliis delectabiliter convivat ; niſi, pro-
pter aliquam cauſam, neceſſe ſit aliquando alios utiliter contriſtare. Id. ibi. a. 2.
Ideo ſcripſit ad Corinthios Apoſtolus : *ſi contriſtavi vos in epiſ-* 2. Cor. 7. 8. 9.
tola, non me pœnitet . . . . Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed
quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Eruitur ex his, quod *nos*
iis, qui proni ſunt ad peccandum, non debemus hilarem vultum
oſtendere ad eos delectandum, ne videamur eorum peccato conſen- S. Tho. 2. 2. q. 114. a. 2.
tire, & quodammodo peccati audaciam miniſtrare.

Cæterum *omnis homo naturaliter omni homini eſt amicus quo-*
dam generali amore. Et hunc amorem repræſentant ſigna amicitiæ,
quæ quis exterius oſtendit in verbis, vel factis, etiam extraneis,
vel ignotis. Igitur *unuſquiſque veſtrum Proximo ſuo placeat in bo-* Id. ibi.
num. Etenim *in fine omnes* eſſe debemus *unanimes, compa-* Rom. 15. 2.
tientes, fraternitatis amatores, miſericordes, humiles, modeſti. 1. Pet. 3. 8.
De Affabilitate plura habet Sanctus Ambroſius lib. 2. & 3. de
Officiis, & nonnulla etiam Sanctus Auguſtinus variis in locis.

Affabilitati opponitur *Adulatio*, quæ ſæpe grave peccatum
eſt, ut alibi monuimus ; opponuntur etiam *Ruſticitas* & *Moroſi-* V. pag. 30.
tas, quas fugere præſertim debent animarum Rectores, memo-
res Sanctum Franciſcum Saleſium manſuetudine ſua 72. Hæreti-
corum millia ad Fidem Catholicam reduxiſſe. *Nihil* profecto
tam utile, quam diligi ; nihil tam inutile, quam non amari ; S. Ambr. lib. 2.
nam odio haberi exitiale, ac nimis capitale arbitror. Conſulat Di- de Off. cap. 7.
vum Auguſtinum, qui plura petit, lib. 83. qq. q. 71. Atten- 1. Cor. 10. 33.
dant autem omnes Fideles ad illud Apoſtoli : *per omnia omnibus* Ibi cap. 9. 22.
placeo ; quia *omnibus omnia factus*.

ARTICULUS TERTIUS

De Fortitudine.

[S. Aug. lib. 1. de mor. Manich. cap. 15.] *Fortitudo eſt amor facile tolerans omnia, propter quod amatur. Eſt virtus, qua omnia moleſta toleramus* (a); ſive, *eſt conſiderata* [(a) Id. in Pſal. 83.] *periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio* (b). *Fortitudo* igitur [(b) Id. lib. 83. qq. q. 31.] *importat firmitatem animi in ſuſtinendis, & repellendis his, in quibus maxime difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in aliquibus* [S. Tho. 2. 2. q. 123. a. 2.] *periculis gravibus... & ſic Fortitudo ponitur ſpecialis virtus, utpote materiam determinatam habens.*

Datur alia *Fortitudo*, qua *a Spiritu Sancto movetur animus hominis ad hoc, quod perveniat ad finem cujuslibet inchoati, & evadat quæcunque pericula imminentia, quod quidem excedit naturam humanam. Quandoque enim non ſubeſt poteſtati hominis, ut conſequatur finem ſui operis, vel evadat mala, ſeu pericula, cum quandoque opprimatur ab eis in morte. Sed hoc operatur Spiritus Sanctus in homine, cum perducit eum ad vitam æternam, quæ eſt* [Id. ibi. q. 139. a. 1.] *finis omnium bonorum operum, & evaſio omnium periculorum... & ſecundum hoc Fortitudo ponitur Donum Spiritus Sancti.*

Fortitudinis autem virtus, de qua hìc loquimur, *facultati humanæ innititur, nec eſt reſpectu omnium difficultatum, ſed reſpectu aliquarum, quæ ſunt maximæ in genere humanarum.... Donum vero Fortitudinis ſe extendit ad omnes difficultates, quæ in* [Id. in 3. diſt. 34. q. 3.] *humanis rebus poſſunt accidere, etiam ſupra facultatem humanam, unde dicebat Apoſtolus* (Philipp. 4. 13.): omnia poſſum in eo, qui me confortat. *Nunc de virtute agemus; alibi de Dono Fortitudinis.*

Fortitudo, uti virtus accepta, dupliciter poteſt conſiderari, [Id. ibi.] dividiturque in res *domeſticas*, & *bellicas*; prout ſcilicet & *in* [S. Amb. lib. 1. de Off.] *rebus bellicis, & in rebus civilibus, ſive domeſticis, utilis eſt.* In militari Fortitudine valde excelluerunt Gedeon, Barac, Sampſon, Jephte, David, Samuel, cæterique Heroes ſancti, *qui per Fidem vicerunt Regna... effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt ex-* [Heb. 11. 32. & ſeq.] *terorum.* Domeſtica Fortitudine præditi fuerunt ii omnes, *qui ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt,*

ſunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in montibus, in ſpeluncis, & in cavernis terræ; licet tamen hi & *Dono For-* [Ibi.] *titudinis* fuerunt adjuti.

Duo porro ſunt actus *Fortitudinis*, ſuſtinere, & aggredi. *Hinc dicitur:* periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. *Suſtinere autem videtur difficilius quam aggredi, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiore invadente; qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris. Secundo, quia ille, qui ſuſtinet, jam ſentit pericula imminentia; ille, qui aggreditur, habet ea ut futura; difficilius autem eſt non moveri a præſentibus, quam a futuris. Tertio, quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis; ſed aliquis* [S. Tho 2. 2. q. 123. a. 6.] *poteſt aggredi ex ſubito motu.* Hinc *non dicendi ſunt fortes, qui ſe ipſos perimunt, ne mala patiantur. Debet quidem etiam mor-* [S. Aug. lib. 19. de Civ. Dei c. 4.] *tem fortis ferre patienter, ſed quæ accidit aliunde.* Vide Divum Auguſtinum lib. 1. de mor. Eccl. Cath. cap. 22. & 23.

Fortitudinis vero partes ſunt *Magnificentia*, *Fidentia*, *Patientia*, *Perſeverantia*, & *Magnanimitas*.

Magnificentia eſt rerum magnarum & excelſarum, cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione, cogitatio, atque adminiſ- [Id. lib. 83. qq. q. 31.] *tratio.* Quia vero *nullus finis humanorum operum eſt adeo magnus, ſicut honor Dei, ideo Magnificentia præcipue magnum opus* [S. Tho. 2. 2. q. 134. a. 2.] *facit in ordine ad honorem Dei.* Quare Magnificentia plerumque jungitur Sanctitati. Hinc illa Exodi verba: *magnificus in San-* [Cap. 15. 11.] *ctitate;* & illa Pſalmiſtæ: *Magnificentia in ſanctificatione ejus.* [Pſal. 95. 6.]

Magnificentiæ quoque *eſt magnos ſumptus facere ad uſus Politicos, Reipublicæ ſcilicet augendæ, & conſervandæ cauſa. Magnificus non principaliter intendit ſumptus facere in his, quæ pertinent ad perſonam propriam; non quia bonum ſuum non quærat, ſed quia non eſt magnum. Si quis tamen in his, quæ ad ipſum pertinent, magnitudinem habeat, hoc etiam magnifice magnificus proſequitur, ſicut ea, quæ ſemel fiunt, ut nuptiæ, vel aliquid aliud hujuſmodi; vel etiam ea, quæ permanentia ſunt, ſicut ad magnificum per-* [S. Tho. 2. 2. q. 134. a. 1.] *tinet præparare convenientem habitationem.*

Opponitur *Magnificentiæ*, ut unicuique patet, *Avaritia. Tu jam*, inquit Auguſtinus, *quærebas Magnificentiam, prius dilige* [In Pſal. 95.] *Sanctitatem. Cum ſanctificatus fueris, eris & magnificus. Nam ſi præpoſtere prius eſſe volueris magnificus, ante cadis, quam ſurgas.*

Fidentia eſt, per quam, magnis & honeſtis in rebus, multam ipſe

Id. lib. 83. qq. q. 31. *ipse animus in se fiduciæ cum certa spe collocavit*. Legantur, quæ
V. pag. 14. & seq. attulimus supra, agentes de Spe.

Patientia est honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum,
S. Aug. loc. cit. *aut difficilium, voluntaria & diuturna perpessio*. Sed *quamvis Patientia virtus sit animi, partim tamen ea utitur animus in se ipso, partim vero in corpore suo. In se ipso utitur Patientia, quando, illæso & intacto corpore, aliquid, quod non expediat, vel non deceat facere, aut dicere, quibuslibet adversitatibus, aut fœditatibus rerum, seu verborum stimulis, incitatur, & patienter mala omnia tolerat, ne ipse mali aliquid opere, vel ore committat. Per hanc Patientiam sustinemus etiam, cum corpore sani sumus, quod*
Id. de Pat. c. 7. *inter hujus Sæculi scandala Beatitudo nostra differtur. Inde di-*
Rom. 8. 25. *ctum*: si, quod non videmus, speramus, per Patientiam expectamus.

Alius est autem Patientiæ modus, quo idem ipse animus, quæcunque molesta, & gravia in sui corporis passionibus perfert, non sicut stulti, vel maligni homines, propter adipiscenda vana, vel scelera perpetranda, sed sicut a Domino definitum est, propter jus-
Matt. 5. 10. titiam. *Utroque modo Sancti Martyres certaverunt .... Verumtamen cum pro libidinibus, vel etiam sceleribus, cum denique pro ista temporali vita, ac salute, multa homines horrenda mirabiliter sufferunt, satis nos admonent quanta sufferenda sint pro vita bona, ut etiam postea possit esse æterna, & sine ullo temporis termino, sine utilitatis ullius detrimento, vera felicitate secura. Si ergo*
S. Aug. de Pat. cap. 7. *tanta suffert anima, ut possideat, unde pereat, quanta debet sufferre, ne pereat? Væ nobis, si aliquando exclamabimus*, erravi-
Sap. 5. 6. & seq. mus a via veritatis ... lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles .... Quid nobis, profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa, tanquam umbra .... *Væ, inquam nobis; talia enim dicunt in Inferno hi, qui peccaverunt*. Melior *itaque*
Ibi. v. 1. *Patientia* quam vires, & vir prudens quam fortis. *Qui enim*
S. Aug. de Pat. cap. 6. *passione recte utuntur, hi Patientiæ veritate laudantur; hi patientiæ munere coronantur; sicut etiam illi, qui, ob peccata castigati, omne, quod illis supervenerit, accipiunt, & in dolore sustinent,*
Id. ibi cap. 14. *& in humilitate sua patientiam habent, dicentes*: merito hæc pa-
Gen. 42. 21. timur, quia peccavimus in Deum nostrum; nos propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna ad-
2. Mach. 7. 18. miratione facta sunt in nobis. *Legantur hac de re & D. Th. 2. 2. q. 134. & S. Aug. loc. cit.*

Per-

Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis, & perpe- S. Aug. lib. 83. qq. q. 31.
tua permansio. Asserimus itaque, uti cæteræ Virtutes, de quibus supra dictum est, *Donum Dei esse Perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo; finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est, ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim, priusquam moriatur, cadat, non perseverasse utique dicitur, & verissime dicitur ... Ipsa Oratione, quæ Dominica nuncupatur, nihil pene aliud quam Perseverantia posci intelligitur.* Id. de Bon. Persev. c. 1. & seq.

Perseverantia sane *sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absque Perseverantia, neque qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium est, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, propugnaculum sanctitatis ... Tolle Perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo*. Statutum fuit, quod solummodo, S. Bern. ep. 129.
qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matt. 10. 12.

Perseverantiæ opponuntur *Mollities & Obstinatio*, sive *Pertinacia*; illa, quia bonum non operatur, quod molestiam aliquam conjunctam habet; hæc, quia in iis faciendis persistit, quæ rationi repugnant.

Magnanimitas ex suo nomine importat quamdam extensionem animi ad magna ... Ipsa versatur circa honores, ut studeat facere ea, quæ sunt honore digna; & ideo non extollitur ex magnis honoribus, quia non reputat eos supra se, sed magis eos contemnit, & multo magis, moderatos & paucos .... Similiter etiam Magnanimitas contemnit alios, secundum quod deficiunt a Donis Dei. S. Tho. 2. 2. q. 129. a. 1.
Magnanimitati opponitur *Ambitio*, & *Præsumptio*. De hac re qui plura desiderat, legat D. Tho. in 3. Sent. dist. 33. q. 3. & Bancellum.

AR-

ARTICULUS QUARTUS ET ULTIMUS.

De Temperantia.

Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab [S. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 13.] iis rebus, quæ turpiter appetuntur; sive est rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus, animi firma & moderata do- [Id. lib. 83. qq. q. 31.] minatio. Temperantia enim nobis amoris illius, quo innectimur Deo, iutegritatem quamdam, & incorruptionem pollicetur... nam- [1. Tim. 6. 10.] que, ut ait Apostolus: radix omnium malorum cupiditas, quam quidam sequentes naufragaverunt a Fide, & inseruerunt se dolo- [Coloss. 3. 9. 10.] ribus multis. Monet Paulus, ut exuamus nos veterem hominem, & induamus novum. Vult autem intelligi Adam, qui peccavit, veterem hominem; illum autem, quem suscepit in sacramento Dei Filius ad nos liberandos, novum... Omne igitur officium Temperantiæ est exuere veterem hominem, & in Deo renovari; idest, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia, & Divina conferre... Illecebræ autem corporis sitæ sunt in his omnibus, quæ corporeus sensus attingit, quæ a nonnullis etiam sensibilia nominantur... Itaque in novo Testamento sic ab istorum amore prohibemur: non respicien- [2. Cor. 4. 18.] tes, inquit, ea, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna... Amandus igitur solus Deus est; omnis vero iste mundus; idest, omnia sensibilia, contemnenda; utendum autem his ad hujus vitæ necessitatem. Gloria vero popularis sic in novo Testamen- [S. Aug. l. 1. de Mor. Manich. c. 19. & seq.] to abjicitur, atque contemnitur. Si hominibus, inquit Apostolus, (Gal. 1. 10.) placere vellem, Christi servus non essem.

Est item aliud, quod de corporibus per imagines quasdam concipit anima, & eam vocat Apostolus rerum scientiam. Quamobrem recte [Coloss. 2. 8.] etiam curiosi esse probibemur, quod magnum Temperantiæ munus est. Hinc illud est: cavete, ne quis vos seducat per Philosophìam. Et quia ipsum nomen Philosophìæ, si consideretur, rem magnam, totoque animo appetendam, significat; siquidem Philosophìa est amor studiumque Sapientiæ, cautissime Apostolus, ne ab amore Sapientiæ deterrere videretur, subjecit: & elementa hujus mun- [Ibi.] di. Sunt enim, qui, desertis Virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta Majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem,

quam mundum nuncupamus, curiosissime intentissimeque perquirant... Unde etiam dicitur: vanitas vanitatum, & omnia va- [Eccl. 1. 2.] nitas. Hæc verba omnia si attendantur, si perpendantur, si discutiantur, multa inveniuntur pernecessaria iis, qui hunc mundum fugere, & resurgere in Deum desiderant... Habet igitur vir temperans, in hujuscemodi rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam, utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, utentis modestia, non a- [S. Aug. lib. 1. de Mor. Manich. cap 19 & seq.] mantis affectu.

Pertinent ad Temperantiam Verecundia, & Honestas. Nihil est [S. Tho. 2. 2. q. 144. a. 1.] aliud Verecundia, nisi quidam displicendi modus. Proprie loquendo non est virtus; deficit enim a perfectione virtutis, quatenus est timor alicujus turpis, quod scilicet est exprobabile; ille enim, qui est perfectus secundum habitum virtutis, non apprehendit aliquid exprobabile, & turpe ad faciendum, ut possibile & arduum, idest, difficile ad vitandum; neque etiam actu facit aliquid turpe, unde opprobrium timeat. Communiter vero Virtus dicitur omne, quod est bonum, & laudabile in humanis actibus, vel passionibus; & secundum hoc quandoque Verecundia dicitur virtus, cum [Id. ibi.] sit quædam laudabilis passio.

Opprobria autem, quæ inferuntur alicui propter virtutem, virtuosus quidem contemnit, quia indigne sibi irrogantur. Ideo ibant Apostoli (Act. 5. 4.) gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine Jesu contumeliam pati. Ex imperfectione autem virtutis contingit, quod aliquis verecundetur de opprobriis, quæ sibi inferuntur propter virtutem; quia quanto est aliquis magis virtuosus, tanto magis contemnit exteriora bona, vel mala... Contingit etiam per accidens, quod aliquis de his verecundetur, vel in quantum habentur ut vitiosa, secundum hominum opinionem, vel in quantum homo refugit, in operibus virtutis, notam de præsumptione, aut etiam de simulatione. Verecundia autem [Id. ibi.] maxime laudabilis est in illis, qui facile solent declinare in actus turpes, cujusmodi sunt juvenes, & mulieres, juxta illud: gratia (Eccli. 26. 19.) super gratiam mulier sancta, & pudurata. [Id. lect. 3. in 1. ad Tim.]

Defectus porro Verecundiæ contingit, in pessimis & optimis viris, ex diversis causis. In pessimis, quia impius, cum in profundum venerit, contemnit; & alibi legimus: frons meretricis fa- [Prov. 18. 3. Jer. 3. 3.] cta est tibi; noluisti erubescere. In optimis, quia timor Domi- [Eccli. 1. 11.]

ni

Psal. 88. 18. ni gloria; *quia* gloria virtutis eorum tu es, Deus. *Hinc Pau-*
Rom. 1. 16. *lus*, non erubesco, *inquit*, Evangelium. *Invenitur igitur in his,*
S.Tho. Lect. 3. *qui mediocriter se habent, secundum quod est in eis aliquid de a-*
in 1. ad Tim. *more boni, & tamen non sunt immunes totaliter a malo...* Egre-
gie tractat de *Verecundia* Sanctus Ambrosius Lib. I. de Off. &
legi poterit etiam Bancellus Theol. Mor. S. Tho. verbo *Verecun-*
dia.

Ad Inverecundiam pertinet, sensim ambulando, imitari histrio-
nicos gradus.... ut quotiescunque gradum transferunt, modulos
quosdam servare videantur. Inverecundum pariter est cursim am-
bulare, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessi-
tas. Est gressus probabilis, in quo tot species auctoritatis, gra-
vitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen, si stu-
dium desit, atque affectatio, sed motus sit purus, ac simplex;
nihil enim fucatum placet. Multo magis cavendum est, ne quid
turpe ore exeat; hoc enim graviter coinquinat hominem. Non enim
cibus coinquinat, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas.
Hæc etiam vulgo pudori sunt. In nostro vero officio nullum ver-
bum, quod inhoneste cadat, non incutiat verecundiam. Et non so-
lum nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus hu-
jusmodi præbere dictis; sicut Joseph, ne incongrua suæ audiret ve-
S.Ambr. lib. 1. *recundiæ, veste fugit relicta; quoniam, quæ delectat audire, al-*
de Off. c. 18. *terum loqui provocat*.

Alia quoque *sunt mala, quæ portare non potest qualiscunque*
pudor humanus... Quare moneo vos in charitate Christi, ut se-
ductores caveatis impuros, & obscœnæ turpitudinis Sectas, de qui-
bus ait Apostolus (Eph. 5. 12.): quæ occulte fiunt ab ipsis,
S. Aug. tract. 96. in Joa. turpe est & dicere.

Honestas, quæ, ut jam diximus, ad *Temperantiam*, non mi-
Id lib. 1. de Civ. nus ac *Verecundia*, pertinet, est *usus rerum modestus, sobrius, tem-*
Dei c. 30. *perans, pius. Quærendum ergo in omni actu quid personis, quid tem-*
poribus conveniat, atque ætatibus, quid etiam singulorum ingeniis
sit accomodum. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non de-
S.Ambr. lib. 1. *cet. Aliud juveni aptum, aliud seni; aliud in periculis, aliud*
de Off. cap. 43. *in rebus secundis. Omnia* igitur, honeste & secundum ordinem,
1. Cor. 14. 40. fiant.

Temperantiæ partes sunt *Continentia, Clementia, Modestia,*
Mansuetudo, Humilitas, Taciturnitas, Studiositas, Eutrapelia.

S. Aug. lib. 83. *Continentia* igitur ea est, *per quam cupiditas consilii guberna-*
qq. q. 31. *tione regitur. In frænandis libidinibus, & coercendis voluptatibus,*
ne

ne seducat, quod male blanditur, & enervet, quod prosperum di-
citur, Continentia nobis opus est, non credere felicitati terrenæ, Id. S. 245. de
& usque ad finem quærere felicitatem, quæ non habet finem. Temp.

Continentia interim, quæ & *Sobrietas* dici potest, absque du-
bio *non in sola integritate carnis consistit, sed etiam in cultu, &*
ornatu, vita pariter, & moribus. In usu rerum *Continentia* ma- Id. ibi Ser. 248.
xime requiritur. *Multi* enim *facilius se abstinent, ut non utan-*
tur, quam temperent, ut bene utantur. Nemo tamen eis potest sa-
pienter uti, nisi qui potest & continenter non uti. Id. de Bon. Conjug. cap. 21.

Clementia est, *per quam animi, temere in odium alicujus ille-* Id. lib. 83. qq.
cti, concitatique, comitate retinentur. Datur quoque *Clementia di-* q. 31.
minutiva pœnarum, non quidem in respectu ad id, quod est secun-
dum rationem rectam, sed in respectu ad id, quod est secundum
Legem communem, quam respicit Justitia Legalis. Sed, propter a-
liqua particularia considerata, Clementia diminuit pœnas, quasi S. Tho. 2. 2. q.
decernens, hominem non esse magis puniendum. Lege, si libet, 157. a. 2.
Epistolas 54. & 159. Sancti Augustini.

Modestia est, *per quam pudor honestus claram & stabilem com-* S. Aug. lib. 83.
parat auctoritatem. Pudor autem *non ponitur pro passione Verecun-* qq. q. 31.
diæ, sed pro quadam exteriori compositione, cujus pudor causa es- S. Tho. in 3.
se potest. Est igitur *virtus, per quam aliquis in omnibus exte-* dist. 33. q. 3.
rioribus modum tenet, ut non offendat cujusquam aspectum; mode-
stia *igitur* nostra nota sit omnibus hominibus. *Quanto autem quis est* Philip. 4. 5.
impetuosior in interioribus affectibus, tanto refrenatur difficilius e- S. Tho. lect. 1. in. c. 3. ep. ad
tiam in exterioribus. Agit enim hæc Virtus, *ut nihil torvum,* Philip.
nihil elatum, sit in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu
inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox
petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum sit mentis, figura S. Ambr. lib. 2.
probitatis. de Virg.

Mansuetudo autem *non est idem quod Clementia, quia Clemen-*
tia refrenat ab executione vindictæ, etiam post comminationem;
Mansuetudo vero refrenat a concitatione, ut scilicet quis per iram
non concitetur. Hinc *differunt* etiam *mitis & misericors, quia* S. Tho. in 3. dist. 33 q. 3. a. 2.
mitis est, qui pietate non contradicit Divinis sententiis, quæ in
sua peccata proferuntur, neque illis Dei sermonibus, quas nondum
intelligit; sed nullum beneficium præstat ei, cui nec contradicit,
nec resistit. Misericors autem ita non resistit, ut propter ejus cor- S. Aug. lib. 1. de
reptionem id faciat, quem redderet resistendo pejorem. Opus itaque Ser. Dom. in
est mitescere pietate, neque contradicere Divinæ Scripturæ, sive in- Mont. c. 18.

 telle-

Id. de Doct. Chriſt. cap. 7. *telleɛtæ, ſi aliqua vitia noſtra percutit, ſive non intelleɛtæ, qua-*
ſi nos melius ſapere, meliuſque percipere poſſimus.

Commendandi vero quammaxime ſunt quidam homines, adeo
mites, *ut non cedant improbitatibus, & non reſiſtant malo, ſed*
vincant in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro
Id. lib. 1 de Ser. Dom. in Mont. cap. 2. *terrenis & temporalibus rebus. Beati autem mites, quoniam ipſi*
hæreditate poſſidebunt terram, de qua pelli non poſſunt. Patet
hinc, cur toties, *Comitatem* & *Manſuetudinem* nobis inculcent
Eccl. 10. 31. Sacræ Litteræ. Unicuique noſtrum dictum fuit: *Fili, in manſue-*
tudine ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundum meri-
Ibi cap. 3. 19. *tum ſuum. Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper ho-*
Jacob. 1. 21. *minum gloriam diligeris. In manſuetudine*, ſic legimus alibi, *ſu-*
ſcipite inſitum verbum; beneplacitum eſt Deo, Fides, & Manſue-
Eccli. 1. 25. *tudo. Diſcite a me, quia mitis ſum* (*a*). Hæc, aliaque Scriptu-
(a) Matt. 11. 29. ræ loca, explicant SS. Thomas & Auguſtinus; nos aliqua adde-
mus, cum de Ira.

Humilitas porro *duplex eſt; alia, qua ſe quiſque humiliat,*
confitendo peccata, nec ſibi arrogando juſtitiam; alia, qua quiſ-
que humiliatur aliqua tribulatione, vel dejectione, quam meruit
S. Aug. in Pſal. 118. *ejus ſuperbia. Prima* ſane *virtus Chriſtianorum Humilitas, ſecun-*
da virtus Humilitas, tertia Humilitas, & quoties interrogares, hoc
dicerem, non quod alia non ſint præcepta, ſed niſi Humilitas, om-
nia quæcunque benefacimus, & præceſſerit, & comitetur, & con-
ſecuta fuerit, & propoſita, quam intueamur, & appoſita, cui
adhæreamus, & impoſita, qua reprimamur, jam, nobis de aliquo
Id. ep. 56. *bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu Superbia.* Ideo
Pſal. 17. 28. ſcriptum in Sacris Litteris manet: *Dominus populum humilem*
Pſal. 137. 6. *ſalvum faciet, & oculos ſuperborum humiliabit; excelſus Domi-*
Eccli. 3. 20. *nus, ſed humilia reſpicit; propter quod abjicientes omnem immun-*
ditiam, & abundantiam malitiæ, ſuſcipite inſitum verbum, quod
Jac. 1. 21. *poteſt ſalvare animas veſtras. Quanto* igitur *magnus es, humilia*
Luc. 14. 11. *te in omnibus; qui* enim *ſe humiliat, exaltabitur. Presbytero hu-*
Eccli. 4. 7. *milia ergo animam tuam; & Magnato humilia caput tuum.* Om-
Matt. 11. 29. nes *diſcite a Domino, quia eſt humilis corde.* In Scripturis, Scri-
ptiſque Sanctorum Patrum, innumera fere occurrunt loca, in qui-
bus Humilitas prædicatur maxime, & commendatur. Habent
plura de Humilitate Auguſtinus, Bernardus, & D. Thomas.
Dicemus & nos quædam alia, cum agemus de Superbia.

S. Aug. de Har. 63. *Taciturnitas eſt virtus ſermonis moderatrix.* Memores igitur
illius,

illius, *in multiloquio non deerit peccatum*, dicamus ſæpe Deo: Prov. 10. 19.
pone, Domine, cuſtodiam ori meo; & oſtium circumſtantiæ labiis Pſal. 140. 4.
meis, ut non declinet cor meum in verba malitiæ. Sit ergo om-
nis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Vi- Jac. 1. 19.
diſti enim *virum velocem ad loquendum? Stultitia magis ſperan-* Prov. 29. 20.
da eſt, quam illius correptio. Quapropter *cave, ne temere quid*
loquaris.... idcirco ſint pauci ſermones tui. Quot bona contin- Eccli. 5. 1.
gunt ex refrenatione linguæ? Primum eſt vitæ perfectio; *ſi quis*
(ſic enim ſcriptum legimus) *in verbo non offendat, hic perfe-* Jac. 3. 2.
ctus eſt vir. Secundum eſt mentis in Deum elevatio; legimus
enim alibi: *ſedebit ſolitarius, & tacebit, & levavit ſuper ſe.* Thren. 3. 28.
Tertium eſt Vitæ æternæ acquiſitio; *quis* (ſic in Pſalmis) *eſt*
homo, qui vult vitam? cohibe linguam tuam a malo. Plura a- Pſal. 33. 13 14.
lia bona, ex Taciturnitate provenientia, recenſet Divus Ambro-
ſius lib. 1. de Off. cap. 2., ubi hæc habet inter cætera: *quam*
plures vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quemquam tacen-
do; ideoque tacere noſſe, quam loqui, difficilius eſt.

Studioſitas ad Temperantiam ſpectat. *Quia ex parte animæ in-*
clinatur homo ad hoc, quod cognitionem rerum deſideret, oportet,
ut laudabiliter homo hujuſmodi appetitum refrenet, ne immodera-
te rerum cognitioni intendat. Studioſitas in hac refrenatione con- S. Tho 2. 2. q.
ſiſtit, & ſecundum hoc ponitur pars Temperantiæ. Quare monet 166. a. 2.
Apoſtolus, *non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad* Rom. 12. 3.
ſobrietatem. Præcipe, alibi ait idem Apoſtolus, *non ſublime ſa-* 1. Tim. 6. 17.
pere. Cuilibet Chriſtiano, quam utile, immo neceſſarium ſit,
Scripturarum, Patrum, Sacrorumque Canonum ſtudium, dice-
mus infra.

Neque ideo *Litteras diſcere non debuimus; quia earum reper-*
torem dicunt eſſe Mercurium... Immo vero quiſquis bonus, ve-
ruſque Chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, ubicunque in- S. Aug. lib. 2. de Doctr. Chriſ.
venerit, veritatem. Dialectica ſane plurimum valet. Tantum ibi cap. 18.
cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipien-
di adverſarium. Doctrinas etiam *omnes Gentilium veras, debet ab* Id. ibi cap. 31.
eis auferre Chriſtianus, ad uſum juſtum prædicandi Evangelium. Id. ibi cap 40.
Quod cum ita ſit, *videtur mihi, ſtudioſis & ingenioſis adole-*
ſcentibus, & timentibus Deum, beatamque vitam quærentibus,
ſalubriter præcipi, ut nullas Doctrinas, quæ præter Eccleſiam
Chriſti exercentur, tanquam ad beatam Vitam capeſſendam, ſecu-
re ſequi audeant, ſed eas ſobrie, diligenterque dijudicent. Qui Id. ibi c. 39.
profanis vero ſtudiis tali pacto incumbit, & *Divinarum Scri-*
ptu-

pturarum est studiosus, cum ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud Apostolicum (1. Cor. 8. 1.) *cogitare non cesset:* Scientia inflat, Charitas ædificat. *Ita enim sentiet, quamvis de Ægypto dives exeat, tamen nisi Pascha egerit, salvum se esse non*
Id. ibi cap. 41. *posse*. Utinam pulcherrimos hosce Divi Augustini Libros legerent ii præcipue, qui, Doctrinæ & Scientiæ famam affectant! *Legunt* quidem *infinitos Scriptores, sed nondum ordinem, modum, finemque studendi didicerunt. Ordinem, ut id prius, quod maturius ad salutem; Modum, ut id ardentius, quod vehementius ad amorem; Finem, ut non ad inanem gloriam, aut*
S. Bern. Ser. 36. in Cant. *curiositatem, sed ad ædificationem, attendant*. Hac de re lectu valde dignus est liber Patris Mabillon de Studiis Monasticis.

Studiositati vero opponitur *Curiositas; vitium, quo appetitus,*
S. Tho. 2. 2. q. 147. a. 1. *& studium veritatis cognoscendæ, ab ordine debito deficit, quod quatuor modis accidit. Primo in quantum, per studium minus utile, retrahuntur homines a studio, quod ex necessitate incumbit; unde Sanctus Hieronymus* ep. 166. *ait:* Sacerdotes, dimissis Evangeliis & Prophetis, videmus Comœdias legere, & amatoria Bucolicorum versuum verba cantare; *sicut si Judex propter*
Id. in 3. dist. 35. q. 2. a. 3. q. 3. *studium Geometriæ desisteret a Causis expediendis. Alio modo, inquantum studet aliquis addiscere ab eo, a quo non licet; unde*
De ver. Rel. c. 4. *Augustinus ait:* nescio, an Philosophi impedirentur a Fide, vitio curiositatis in perscrutandis Dæmonibus. *Tertio, quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad*
Ibi cap. 29. & V. tract. 93. in Joa. *debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei; unde idem Augustinus:* in considerationem creaturarum non est vana, & peritura curiositas exercenda; sed gradus ad immortalia, & semper permanentia faciendus. *Quarto, in quantum aliquis cognoscere studet*
S. Tho. in 3. p. dist. 35. q. 2. a. 3. *veritatem supra facultatem & vires ingenii sui, quia per hoc homines facile in errores labuntur*. Altiora *igitur* ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; & in pluribus operibus ejus
Eccli. 3. 22. ne fueris curiosus.

Ea autem tantum *utilis Curiositas, quæ nos ad Legem Dei*
S. Aug. Ser. 46. de verb. Dom. *ducit intelligendam, ut operemur bonum ad omnes; maxime*
Gal. 6. 10. *autem ad domesticos Fidei; ut parati simus semper ad satisfactio-*
2. Pet. 3. 15. *nem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe; ut exhortemur in Doctrina sana, & eos, qui contradicunt, ar-*
Tit. 1. 9. *guamus. Omissis* igitur, *& repudiatis nugis theatricis & Poeticis, Divinarum Scripturarum consideratione, & tractatione pas-*
S. Aug. de ver. Relig. cap. 61. *camus animum*.

Sed

Sed & *alia est Curiositas sensuum, quam desiderium oculorum vocat Scriptura. Jam quam late patet Curiositas ista! In lu-* Id. tract. 2. in
dis, in spectaculis, in theatris ... Curiositas hæc non est a Deo. Quid ep. Joa.
David deambulanti in solario; quid Dinæ egressæ ad videndas 2. Reg. 11.
mulieres alienigenas, peperit Curiositas? *Plura addere possemus,* Gen. 34.
quæ tamen, cum legi possint præcipue apud Augustinum lib. 10. *Conf. cap.* 35., *consulto prætermittimus*.

Eutrapelia vero *est virtus circa ludos, qua homo refrenatur ab immoderantia ludorum. Homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continuo laborare propter hoc, quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportiona-* S. Tho. 2. 2. q.
tur; ita etiam ex parte animæ, cujus etiam est virtus finita. 168. a. 2.
Volo igitur quod aliquando *tibi parcas; nam Sapientem decet in-* S. Aug. lib. 2. de
terdum remittere aciem rebus agendis intentam. Sed *tria cavenda* Music. c. ult.
sunt. Primum, & principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis; unde Tullius dicit: unum genus jocandi est illiberale, Lib. 1. de Off.
petulans, flagitiosum, obscœnum. *Aliud autem attendendum est, ne totaliter gravitas animæ resolvatur; unde Sanctus Ambrosius:* Lib. 1. de Off. cap. 20.
caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum. *Tertio autem attendendum est, sicut & in omnibus aliis humanis actionibus, ut congrua personæ, & tempori, & loco, & secundum alias circumstantias, debite ordinetur, ut scilicet sit* & S. Tho. 2. 2. q.
tempore, & homine dignus, *ut Tullius docet ibidem, qui sub-* 168. a. 2.
dit ludo, & joco uti quidem licet; sed sicut somno, & quieti- Id. in 2. dist. 40.
bus cæteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. q. 1.

En ipsi etiam Ethnici docent nos recte vivere. Illud insuper certum est, quod *ludere ad recreationem, servato isto modo, erit meritorium in eo, qui charitatem habet, qua Deum ultimum finem vitæ suæ constituit. Modo* autem *illo non servato, quandoque potest* Id. ibi.
esse peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra Præceptum Dei, vel Ecclesiæ, talibus ludis uti non refugiat. Quandoque autem est peccatum veniale; puta, si aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquid contra Deum committere. Id. 2. 2. q. 168. a. 3.

Multa alia hic de ludis tesserarum, chartarum, taxillorum &c. addenda essent; sed quid de hujusmodi ludis sentiendum sit,

ex

2. p. Sum. tit. 1. c. 23. ex Sancto Antonino erui potest, qui hæc habet: *non debet dici Christianus, qui deditus est ludo, cum vituperet nomen Christi. Ludere, ob desiderium acquirendæ pecuniæ summam notabilem, est mortale; ludere quid modicum, vel ob recreationem, & moderate, non videtur mortale. Qui ludentes aspiciunt, non sunt immunes a peccatis multis curiositatis, & vanitatis. Sed & parentes, qui non castigant filios ludentes, graviter peccant.*

Quod si generaliter de Christianis dicitur, quid dicendum erit de Clericis, de Ecclesiasticis? Istis certe a fortiori hujusmodi ludi interdicuntur. Ii si legerent c. *Clerici* Extra. *de Vita, & Honestate Clericorum*, Trid. Sect. 22. c. 1. de Reform. Conc. I. Mediolanense sub Sancto Carolo, aliosque Canones, ab Ecclesia approbatos, melius fortasse sibi consulerent. Et hæc dicta sufficiant de Temperantia, aliisque Virtutibus, *pro rerum magnitudine breviter, pro constituto tamen opere, fortasse copiosius, quam oportebat.* S. Aug. de mor. Eccl. Cath. c. 11

PARS

PARS SECUNDA

De Peccatis.

QUanto minus inest virtus, tanto magis est vitium.... sed vitia quædam sunt, specie fallaci, virtuti similia. S. Aug. ep. 29. *Recte* igitur *subjungitur peccatorum, & vitiorum notitia; & recte approbatur eorum notitia, ut discernat cognitor speciem, privationemque virtutis.* Quare de his nunc agere instituti nostri postulat ratio. Id. lib. 9. de Trin. c. 10.

Peccatum itaque primo aliud *Originale*, aliud *Activum* est, seu *Actuale*. *Originale peccatum ex Adam traximus, in quo omnes peccaverunt, & filii iræ naturaliter facti sunt. Activum*, vero, sive *Actuale*, est, *quod ipsi, non resistendo carnali concupiscentiæ, sed etiam sequendo, eique serviendo, in flagitiis, & facinoribus addidimus.* Id. Ser. 60. de Verb. Dom.

Hic occurrit illa Quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quam se accusare parati sunt. Dicunt enim: si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primo erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, &, renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, non valeremus? Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Recte etiam fortasse quærerentur, si erroris & libidinis nullius hominum victor existeret. Cum vero ubique sit præsens, qui multis modis, per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Id. lib. 3. de lib. arb. cap. 19.

Ut autem de illo primo conjugio, & cum ignorantia, & cum difficultate, & cum mortalitate nascamur, quoniam illi, cum peccavissent, & in errorem, & in ærumnam, & in mortem præcipitati sunt, rerum moderatori, summo Deo, justissime placuit, ut & in ortu hominis originaliter appareret justitia punientis, & in provectu misericordia liberantis. Non enim damnato primo homini

mini sic adempta est Beatitudo, ut etiam fœcunditas adimeretur. Poterat enim & de prole ejus, quamvis carnali & mortali, aliquod in suo genere fieri decus, ornamentumque terrarum. Jam vero, ut meliores gigneret, quam ipse esset, non erat æquitatis; sed ex conversione ad Deum, ut vinceret quisque supplicium, quod origo ejus ex aversione meruerat, non solum volentem non prohiberi, sed etiam adjuvari, oportebit. Sic enim rerum Creator ostendit, quanta facilitate potuisset homo, si voluisset, retinere, quod
Id. ibi c. 20. *factum est, cum proles ejus potuit etiam superare, quod nata est.*
Pelagii proprius error fuit negare peccatum originis, ut sic con-
Id. Hær. 88. *tra gratiam Christi pro naturæ integritate pugnaret. Sed Romana*
Id. ep. 105. *Sedes, plenaria Concilia, errorem damnarunt. Causa finita est.*
Quare *si quis Adæ prævaricationem, sibi soli, & non etiam propagini, asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam, eum perdidisse, aut inquinatum illum, per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse,*
Trid. Sess. 2. cap. 2. *non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.*
Rursus *si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod, regenerationis lavacro, necesse sit*
Id. ibi can. 4. *expiari, ad vitam æternam consequendam... anathema sit.*

Christo igitur excepto, qui non ex carnali concupiscentia fuit genitus, quique futurus erat sine peccato, & Beata Marìa, ipsius matre, propter honorem Dei, uti plerique Fidelium pie credunt, & Ecclesia, ipsius Conceptionem festive celebrans, insinuare videtur, cæteri omnes *sumus natura filii iræ, quia eo ipso momento, quo communem naturam generatione accepimus,*
S. Aug. lib. 2 de pec. mer. c. 10. *peccatum illud incipit esse in nobis. Quicunque* enim *ex homine uno multi in se ipsis futuri erant, tunc in illo unus erant, proin-*
Id. ep. 106. *de illius peccatum, solius esset, si ex illo nullus exiisset. Peccatum* ergo, *quod hominem in Paradiso in pejus mutavit, quia multo est grandius, quam nos indicare possumus, ab omni nascen-*
Id. lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 34. *te trahitur, nec nisi in renascendo dimittitur.* Effectus Originalis peccati fuse recenset Divus Augustinus variis in locis, sed maxime lib. 22. de Civ. Dei cap. 22.. Nos modo breviter de peccato Actuali agemus; postea generales quasdam Regulas trademus, quibus Confessarii utentes recte poterunt peccatorum genera distinguere.

CA-

CAPUT PRIMUM

De Peccato Actuali.

P*Eccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere;* vel, ut communiter Id. de duab. an. cont. Manich. cap. 11.
solet definiri, *peccatum est deliberatus actus, quo fit, vel dicitur, vel desideratur aliquid contra Legem æternam. Legis* autem *æternæ* nomine voluntas Divina debet intelligi, quæ naturalem rerum ordinem conservari jubet, & perturbari prohibet.

Florinus quidam, propter multa scelera a Sacerdotio degrada- Eusеb. lib. 5. cap. 15.
tus, an. 188. adeo demens fuit, ut Deum diceret auctorem cul- Baron. an.
pæ. Calvinus postea eumdem errorem instauravit. Nos vero, e- 1530.
jusmodi Blasphemiam execrantes, *aliquos ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione* Conc. Arausi.
illis anathema dicimus. Quamvis enim *omnia per ipsum facta* Can. 25.
sunt, & sine ipso factum est nihil; peccatum tamen *non per ip-* Joa. 1. 3.
sum factum est; & manifestum est, quia peccatum nihil est, & S. Aug. tract. 1.
nihil fiunt homines, cum peccant. in Joa.
Peccatum itaque, quoniam est voluntarium, *in nostra est po-* Id. lib. 2. de lib.
situm potestate; & hæc potestas absque dubio a Deo est. *Sicut* arb. cap. 20.
enim *omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt,* Id. lib. 5. de
quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est. Hinc nusquam Civ. Dei c. 9.
legitur: *non est voluntas nisi a Deo.* Et quidem *recte non est scriptum, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum auctor esset Deus, si non est voluntas nisi ab illo; quoniam mala volun-*
tas jam sola peccatum est, etiamsi desit defectus, idest, si non Id. de spir. &
habeat potestatem. Quapropter, jure ac merito, definitum fuit litt. cap. 31.
in Concilio Tridentino: *si quis dixerit, non esse in potestate ho-* Sess. 6. Can. 6.
minis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.

Peccata porro alia sunt gravia, alia levia. *Hoc de parilitate* DD. com.
peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani; quam eorum vanitatem, in Joviniano illo, qui in hac Sententia Stoicus erat, in aucupandis autem, & defensandis

N 2 volu-

voluptatibus Epicureus, *de Scripturis Sanctis dilucidissime convincit* Sanctus Hieronymus; *in qua suavissima*, & *praeclarissima Disputatione satis evidenter apparuit*, *non placuisse Auctoribus nostris*, *vel ipsius potius*, *quae per eos locuta est*, *Veritati*, *omnia paria esse peccata*.

S. Aug. ep. 29. Id. de Haer. c. 82.

Praeter Jovinianum Pelagius quoque Monachus, Lutherus postea, & Calvinus, immo & Michael Bajus, eumdem errorem docuerunt; cujus postremi haec est temeraria propositio: *nullum est peccatum ex natura sua veniale*; *sed omne peccatum meretur poenam aeternam*.

Nefaria haec assertio damnata fuit a Summis Pontificibus, Pio V. Gregorio XIII. & ab Urbano etiam VIII. Et sane *licet in hac mortali vita*, *quamtumvis sancti*, & *justi in levia saltem*, & *quotidiana*, *quae etiam venialia dicuntur*, *peccata quandoque cadant*, *non propterea desinunt esse justi*.

Trid. Sess. 6. cap. 11.

Est igitur *peccatum ad mortem*, & *est peccatum non ad mortem*. Est peccatum comparatum *trabi*, & est comparatum *festucae*. Idcirco, *quamvis Diabolus sit auctor*, & *princeps omnium peccatorum*, *non tamen filios Diaboli faciunt quaecunque peccata*; *peccant enim filii Dei*, *quoniam*, *si dixerint se non habere peccatum*, *se ipsos seducunt*, & *veritas in eis non est*.

1. Joa. 5. 16. Luc. 6. 4. 1. Joa. 1. 8. S. Aug. lib. 1 cont. duas Ep. Pel. c. 3.

Interim vero, ut pateat unicuique magnum discrimen, quod intercedit inter *Veniale* peccatum & *Mortale*, animadvertendum est, quod peccatum mortale illud est, quod *Charitatem excludit*, *a Deo avertit*, *poenam aeternam*, *privationemque Regni coelestis meretur*; veniale vero, *quod Charitatem non excludit*, *nec a Deo avertit*, *nec poenam aeternam*, *nec aeternam Regni coelestis privationem meretur*. Sive *peccatum mortale est contra Legem*, *aliquid praecipientem ut necessarium*; *veniale* vero *contra Legem*, *aliquid praecipientem ut utile*. Hinc falso Haeretici docent discrimen peccatorum desumi a subjecto praedestinato, vel non praedestinato; vel a Deo imputante, vel non imputante.

Ex S. Aug. Enchir. S. Tho. apud Kancel. teo. pec.

Venialis autem & *Mortalis* peccati malitia clarius innotescet, si parumper in considerandis horum peccatorum effectibus immoremur. Et *venialibus* quidem *peccatis* licet occidi animam non credamus, ita tamen eam, velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia, deformem faciunt, ut ipsam ad amplexus illius Sponsi Coelestis, aut vix, aut cum grandi confusione, venire permittant, de quo scriptum est: *aptavit sibi Ecclesiam*, *non habentem maculam*, *aut rugam*. Praeterea *veniale* pecca-

Eph. 5. 27.

peccatum, quamvis non privet animam gratia Sanctificante, in causa tamen est, cur a Deo majorem gratiarum actualium copiam non accipiat, quibus bonum facilius posset agnoscere, & operari; quas profecto gratias ipsi largitus esset Deus, si eam mundam prorsus ab omni macula invenisset. Eo enim modo cum hisce animabus se gerit Deus, quo Pater familias erga filium suum, malam vitam viventem, quem amat quidem, non ei tamen eadem, quae antea, nec adeo frequenter, ut antea, dat sui pignora, & argumenta amoris.

At praecipuus *Venialis peccati* effectus est disponere ad Mortale, quod duobus modis fieri potest; primo quidem *indirecte*; peculiaribus enim gratiis, Divinisque auxiliis deficientibus, debilior fit anima; & idcirco, cum non habeat, cui innitatur, facillime labitur, & mortaliter peccat; quod expressum legimus in Apocalypsi illis ad Laodicensem Episcopum verbis: *utinam frigidus esses*, *aut calidus*; *sed quoniam nec frigidus es*, *nec calidus*, *incipiam te evomere ex ore meo*. Alio modo *directe*; *qui* enim *modica spernit*, *paulatim decidet*; & *qui amat periculum*, *peribit in illo*. Cap. 3. 16. Eccli. 19. 1. Ibi cap. 3. 27.

Verum *Mortalis peccati* effectus plures sunt, & multo pejores; multo enim major est ipsius malitia, & turpitudo; quorum quis ordine prior habendus sit, difficile profecto assignatu est; omnes enim aeque sunt terribiles; ab omnibus aeque horret animus, refugitque.

Mortale igitur *peccatum* maculat primo animam peccantis, ipsi eam pulchritudinem auferens, quae eidem & a naturali rationis lumine, & a supernaturali gratia proveniebat. Circa hunc mortalis peccati effectum habentur plura in Sacris Litteris. *An parum est vobis*, sic Josue, *quod peccastis in Beelphegor*, & *usque in praesentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?* & Jeremiae: *inquinatae sunt eorum mens*, & *conscientia*; Apostolus autem ad Titum haec scribit: *facti sunt abominabiles sicut ea*, *quae dilexerunt*; apud Oseam tandem scriptum legimus: *similiter odio sunt Deo impius*, & *impietas ejus*. Quibus, aliisque Scripturarum verbis, impugnatur error Michaelis Baji, cujus etiam inter plures alias haec damnata fuit propositio a Pio V. & a Gregorio XIII. *in peccato duo sunt*, *actus* & *reatus*; *transeunte actu nihil remanet nisi reatus*, *sive obligatio ad poenam*. Cap. 22. 17. Cap. 2. 22. Cap. 1. 15. Cap. 9. 10.

Secundo animam occidit, eamque Deo inimicam reddit, & captivam Daemonis. Hoc quidem intellexit Jeremias scribens: ini- Cap. 59. 2.

iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum ; & pec-
Ezech. 18. 4. *cata veſtra abſconderunt faciem ejus a vobis ;* & alibi legimus :
anima , quæ peccaverit , ipſa morietur ; & vere ſtultum fecit
iracundia , & parvulum occidit invidia . Nos ſane , *cum eſſemus*
Eph. 2. 5. *mortui delictis* (ſic Apoſtolus) , *convivificavit nos Deus in Chriſ-*
to ; peccatum quippe , *cum conſummatum fuerit , generat mortem ,*
Jac. 1. 15. *& omnis , qui peccat , moritur .* Sed *mortem carnis omnis homo*
S. Aug. tract. 49. in Joa. *timet , mortem animæ pauci .* Hoc fit , quia ſtulti non conſide-
Pſal. 72. 26. rant , quod omnes , *quo elongant ſe a te ,* Domine , *peribunt .*

Tertio omnes animæ divitias miſere deprædatur . Omnia e-
nim peccatorum merita , omnia eorum opera bona, a Deo , ſtatim
ac peccatum conſummatum fuit , pro nihilo prorſus habentur , & ,
ut Scholarum verbis utar , *mortificantur* , nec peccatoribus prodeſſe
amplius poſſunt , niſi gratiam Dei rurſus acquirant . Terribilem
hunc mortalis peccati effectum egregie ſignificavit Jeremias ,
cum , flens ſuper Jeruſalem , peccatricis animæ miſerias tali pacto
Thr. 1. 6. & ſeq. deſcripſit : *egreſſus eſt a filia Sion omnis decor ejus ... peccatum peccavit*
Jeruſalem , propterea inſtabilis facta eſt . . . ſordes ejus in pedibus
ejus , nec recordata eſt finis . . . manum ſuam miſit hoſtis ad om-
nia deſiderabilia ejus .

S Tho. 1. 2. q. 87. a. 2. Quarto *unum peccatum mortale trahit* alterum ob minorem Dei
aſſiſtentiam , ob majorem vim concupiſcentiæ , & tentationum
Pſal. 41 8. Diaboli . *Abyſſus abyſſum invocat ;* & propter peccatum tradit
Rom. 1. 24. Deus peccatores *in deſideria cordis eorum* . Quæ *cæcitas cordis ,*
quam ſolus removet illuminator Deus , & peccatum eſt , quo in
Deum non creditur , & pœna peccati , cum cor ſuperbum digna
S. Aug. lib. 1. cont. Julian. cap. 3. *animaverſione punitur , & cauſa peccati , cum aliquod malum cæ-*
ci cordis errore committitur .

Denique *peccatum mortale* meretur pœnam æternam . *Hic eſt*
reatus , qui manet in occultis Legibus Dei , quæ ſcriptæ ſunt quo-
Id. ibi lib. 6. cap. 19. *dammodo in mentibus Angelorum , ut nulla ſit iniquitas impuni-*
ta , niſi quam ſanguis Mediatoris expiaverit . Ideo plerique ho-
minum *ducunt in bonis dies ſuos , & in puncto ad inferna de-*
Joa. 21. 13. *ſcendunt ;* tandem aliquando *convertentur peccatores ad infernum ;*
Pſal. 9. 18. & adverſus *omnes gentes , quæ obliviſcuntur Deum ,* horribilia
Matt. 25. 41. ea verba pronuntiabit Deus, juſtus Judex : *diſcedite a me , male-*
dicti , in ignem æternum , qui paratus eſt Diabolo , & Angelis
ejus . Ibi erit miſeria ſempiterna , quæ etiam ſecunda mors dici-
tur ; quia nec anima ibi vivere dicenda eſt , quæ a vita Dei a-
lienata erit ; nec corpus , quod æternis doloribus ſubjacebit . . . Ibi
& do-

& dolor permanet , ut affligat , & natura perdurat , ut ſentiat , S. Aug. lib. 19. de
quia utrumque ideo non deficit , ne pœna deficiat . Civ. Dei c. 28.

Certiſſimum igitur eſt , immo Dogma Fidei eſt , *illorum a-*
nimas , qui in actuali Mortali peccato , vel ſolo Originali , dece-
dunt , mox in Infernum deſcendere , pœnis tamen diſparibus pu-
niendas . Flor. Seſſ. ult.

Quare ex his omnibus nobis videmur omni jure poſſe con- Vind. Aug.
cludere cum doctiſſimo Cardinale Noriſio , & aliis bene multis
ſanæ Doctrinæ , & magnæ auctoritatis Theologis , adverſus quos-
dam Scholaſticos , & præcipue contra Bellarminum , qui aſſeve- Decl. V. Symb.
ranter in ſuis Catechiſmis aſſerere non dubitarunt , parvulos, de- § 1.
cedentes ſine Baptiſmate, in tertio quodam loco , quem *Limbum*
vocant , ſola damni pœna multari ; concludere , inquam , omni
jure poſſe nobis videmur , hujuſmodi pueros in inferis & damni ,
& ſenſus pœna puniri . *Non* enim *eſt ullus ulli medius locus ,*
ut poſſit eſſe , niſi cum Diabolo , qui non eſt cum Chriſto . Hinc
& ipſe Dominus, volens auferre de cordibus male credentium iſtam
neſcio quam medietatem , quam conantur quidam parvulis non ba-
ptizatis tribuere , ut quaſi merito innocentiæ ſint in vita æterna , S. Aug. lib. 1.
ſed, quia non ſunt baptizati , non ſint cum Chriſto in Regno ejus, de pecc. mer. & remiſſ. cap 28.
definitivam protulit, ad hæc ora obſtruenda, ſententiam, ubi ait (a) : (a) Matt. 12. 30.
qui non eſt mecum , contra me eſt ; *& alibi (b) :* ite , male- (b) Id. 25. 14.
dicti, in ignem æternum ; venite , benedicti , poſſidete paratum
vobis Regnum . *Nullus* igitur *relictus eſt medius locus , ubi po-*
nere queas infantes . De vivis , & mortuis judicabitur ; alii erunt
ad dexteram , alii ad ſiniſtram . . . Ecce in dextera Regnum Cœ-
lorum eſt : percipite Regnum ; *qui ibi non erit , in ſiniſtra erit .*
Quid erit in ſiniſtra ? ite in ignem æternum . *Qui igitur non in*
dextera , procul dubio in ſiniſtra . Ergo qui , non in Regno , pro- S. Aug. Ser. 14. de verb. Apoſt.
cul dubio in ignem æternum . O altitudo divitiarum ! Parvulus
non baptizatus pergit in damnationem . . . . omnis generatus dam-
natus ; nemo liberatus , niſi regeneratus . Id. ibi.

Mitiſſima tamen *omnium pœna erit eorum , qui præter pecca-*
tum , quod originale traxerunt , nullum inſuper addiderunt ; &
in cæteris , qui addiderunt , tanto quiſque tolerabiliorem ibi habe-
bit damnationem , quanto minorem hìc habuit iniquitatem , juxta Id. Enchir. c. 93
illud : quantum glorificavit ſe , & in deliciis fuit , tantum da-
te illi tormentum , & luctum . Apoc. 18. 6.

Ego autem hìc *non dico parvulos , ſine Chriſti Baptiſmate mo-*
rientes, tanta pœna eſſe plectendos , ut eis non naſci potius expedi-
ret ,

ret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de sce-
Matt. 10. 15. *lestissimis, & impiissimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die Judicii punietur, quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quæ qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam, ut ibi essent, potius expediret.* Hæc fuit Sententia totius Africanæ Ecclesiæ, & plurium SS. Patrum; ita sentit Divus Fulgentius, lib. de Fid. ad Pet. cap. 27., ut cæteros Patres, & bene multos alios, eximios & doctissimos Scriptores, silentio prætereeam, quos refert Gavardus Theol. tom. 2. & Cardinalis Norisius in Vindic. August.

Verum, præter pœnam sensus & damni, peccatores in Inferno aliam pœnam atrocissimam patientur, quæ *Inferos* ipsos *vincit*,
S. Aug. ep. 155. & hæc erit *scelerati hominis conscientia*. Etenim *inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio quam con-*
Id. in Psal. 45. S. Chrys. Conc. 1. de Lazar. *scientia delictorum. Hæc pœna torquet peccatorem in hac vita, sed magis torquebit in alia (in Inferno)*; ubi *vermis eorum non*
Matt. 9. 45. *moritur*.

Considerata igitur ex effectibus natura & malitia *Venialis* atque *Mortalis* peccati, cum in *Mortale* ac *Veniale* dividatur *Actuale* peccatum, antequam referamus cæteras peccatorum distinctiones, quæ in Scholis afferri solent, placet animadvertere, nullum peccatum nobis unquam imputaturum fore Deum, quod nos liberæ voluntatis nostræ consensu non admiserimus. Ad peccatum enim requiritur primo *libertas*, seu *indifferentia*, quæ non tollitur nisi determinato voluntatis nostræ actu, quæ in rerum electione libera omnino est; & idcirco damnata fuit hæc Jansenio adscripta Propositio: *ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*. Multarum hujusmodi propositionum falsitas omni jure a Summis Pontificibus proscriptarum experientia maxime evincitur. *Habet* enim *unusquisque in volun-*
S. Aug. lib. 1. de Act. cum Fel. cap. 4. *tate sua aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala*.

Verum licet *nata sit anima in ignorantia & difficultate* in pœnam originalis peccati, *nulla tamen necessitate comprimitur ad*
Eccli. 31. 10. *permanendum in eo, quod nata est*. Cæteroquin in Sacris Litte-
ris

ris beatus non prædicaretur ille, *qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit*. *Deus* sane *ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui; adje-* Ib. cap. 15. 15.
cit mandata; si volueris ea servare, conservabunt te. Quare dicere reum teneri quempiam, *quod facere non potuit, summæ est* S. Aug. lib. 2. de an. cap. 11.
iniquitatis, & insaniæ. V. S. Tho. q. 6. de Malo, & Trid. Sess. 6. Can. 1.

Ne autem ab his, quæ de libertate hominis modo diximus, errans aliquis quædam perperam deducat, libertati, quæ erat in Christo, minime convenientia, quomodo hæc libertas fuerit in illo, qui peccare non poterat, ad Catholicos Doctores spectat explicare. Christus certe erat liber, & tanto magis liber, quanto magis peccato servire non poterat. Ita liber est Deus, qui malum nequit velle; ita liberi sunt in Cœlo Beati, Deum amantes, licet ab ejus amore nunquam possint temperare. *Qui autem, hoc non intelligens, plura desiderat, consulat Theologos, qui ex instituto de hac re fusius agunt*.

In voluntate interim nostra, cum consentit peccato, libero arbitrio abutens, quo a Deo prædita fuit, *tria sunt, quibus impletur peccatum; suggestione, delectatione, consensione. Suggestio sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cum aliquid videmus, vel audimus, vel facimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut, cum jejunamus, & visis cibis, palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione. Sed huic tamen non consentimus, & cum dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum Deo, in corde nostro, etiamsi facto non innotescat hominibus... Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari, & extingui cupiditas. Sed postea, cum suggestio repetitur, major accenditur delectatio, quæ tamen adhuc multo minor est, quam illa, quæ assiduis factis in consuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum est... Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur: suggestione, delectatione, consensione; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ: in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes; una quasi in domo, idest, cum in corde consentitur libidini; altera jam prolata quasi extra portam, cum in factum procedit assensio; tertia, cum vi consuetudinis malæ, tanquam mole terrena, premitur animus, quasi in sepulchro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, aspicit, & for-*

 tasse

tasse considerat, *quas differentias habeat ipsa vox resuscitantis: cum alibi dicit Matt.* 3. 25.: puella, surge; *alibi Luc.* 7. 24.: juvenis, tibi dico, surge; *alibi Joa.* 11. 13.: infremuit spiritu, & flevit, & voce magna clamavit: Lazare, veni foras. *Vide Sanctum Augustinum Ser.* 44. *de verb. Dom. & Sanctum Gregorium lib.* 4. *Mor. cap.* 25.

S.Aug.de Ser. Dom.in Mont. cap. 12.

Rursus *aut Cogitatione*, *aut Sermone*, *aut Opere peccamus*; & tribus hisce quasi gradibus augeri potest peccatum in eadem specie. *De corde* enim *exeunt cogitationes malæ*, *homicidia*, *adulteria*, *fornicationes*, *furta*, *falsa testimonia*, *blasphemiæ*. Secundus gradus tunc fit, cum cogitationes de corde exeuntes ad os procedunt. Tertius tandem, cum facta consequuntur. Sic ex. gr. iracundus, vindictæ stimulis actus, primum turbatur, & in offensorem suum animo mala molitur; deinde in ipsum probra jacet; eum tandem ictibus, & plagis male multatur. Tres hosce gradus clarissime innuit Regius Propheta, cum inquit: *quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde; qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

S.Hier. in cap. 43. Ezech.

Matt. 15. 18.

Psal. 23. 3. 4.

Quoniam vero duobus modis potest quis peccare, faciendo malum, vel non faciendo bonum, hinc peccatum dividitur etiam in peccatum *Commissionis*, & *Omissionis*. *Commissionis* peccatum est actio contra Legem; ex. gr. *homicidium*, *furtum* &c. *Omissionis* autem est cessatio ab aliquo opere bono, quod Lex jubet; tali pacto peccant, qui *diebus festis Missæ Sacrificio non intersunt*; qui *aliena non restituunt*. Illud opponitur Præceptis *negativis*, quæ, ut Theologorum verbis utar, obligant *semper*, & *ubique*; hoc *positivis* præceptis adversatur, quæ obligant *semper*, non tamen *ubique*.

Porro secundum objectum dividitur tertio loco peccatum in *Carnale* & *Spiritale*. Hæc peccati divisio innititur sequentibus Apostoli verbis: *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, *perficientes sanctificationem in timore Dei*. *Carnale peccatum* in delectatione carnis; in delectatione spiritus *Spiritale peccatum* consummatur. *Luxuria* & *Gula* dicuntur peccata *carnis*; cætera *spiritus*, ut docet Sanctus Gregorius, Summus Pontifex.

2. Cor. 7. 1.

Lib. 31. Mor. cap. 17.

Præterea cum ipse Apostolus nos moneat, ut *sobrie*, *juste*, & *pie vivamus*, cumque, docente Divo Bernardo, *exhibeatur Sobrietas nobis*, *Justitia Proximo*, *Pietas Deo*, hinc peccatum secun-

Tit. 2. 12.

In cap. 19. Matt.

cundum ordinem rursus dividitur in peccatum *contra Deum*, *contra Proximum*, *contra se ipsum*. Sunt quidem omnia peccata contra Deum; quodlibet enim peccatum æternæ Legi opponitur; illud tamen specialiter dicitur *peccatum contra Deum*, quod, *directe & immediate*, ad Deum ordinatur. Hujusmodi sunt *Idololatria*, *Hæresis*, *Desperatio*, *Præsumptio de Divina Misericordia*, *Odium in Deum*, *Blasphemia*, *Sacrilegium*, *Impœnitentia*, & aliud quodcunque peccatum, quod *Virtutibus Theologalibus*, *Religioni*, *Pœnitentiæ* adversatur. Peccatum contra Proximum illud est, quo fit aliquid in damnum Proximi a Lege prohibitum, vel pro Proximo illud bonum non operatur, quod Lex jubet. Primo modo peccat, qui *Furtum*, ex. gr. committit; secundo, qui pauperibus *eleemosynam* negat. *Peccatum* tandem *contra se ipsum* est migratio a Divina Lege in iis, quæ pro nobismetipsis agere tenemur; talia sunt peccata *Intemperantiæ*, *Prodigalitatis* &c.

Ex internis causis, ob quas peccamus, dividitur peccatum etiam tripliciter, in *peccatum* scilicet *Ignorantiæ*, *Infirmitatis*, seu *Cupiditatis*, & *Malitiæ*. *Ignorantia* contraria est *Sapientiæ*; *Infirmitas* contraria est *Virtuti*; *Malitia* contraria est *Bonitati*. *Ignorantia* est causa peccati ob defectum cognitionis; *Infirmitas* ob rebellionem appetitus sensitivi; *Malitia* ob præposterum & inordinatum voluntatis motum. Super tres hasce peccati species, ne aliquid scitu necessarium omittatur, aliquantum immorari opus est.

S. Aug. lib. 83. qq. q. 25.

Et ut ab *Ignorantia* exordiamur, licet *Ignorantiæ* nomine, generaliter sumpto, significetur quilibet cognitionis defectus; hic tamen non aliud intelligimus, nisi defectum cognitionis earum rerum, quas scire quis necessario tenetur. Sic ex. gr. Ignorantia Sacramentorum in Christiano foret peccatum. Ideo *Ignorantia* distinguitur in *Ignorantiam negativam* & *privativam*, quæ, si conjunctum habeat aliquem errorem, *mali habitus*, vel *pravæ dispositionis*, vocatur.

Hæc *Ignorantia*, quæ sub multiplici respectu potest considerari, ratione scilicet habita & ad subjectum, in quo reperitur, & ad res, circa quas versatur, & ad opera, quæ consequuntur, ideo Theologi in Scholis eam variis modis solent dividere. Et circa Subjectum, in quo reperitur, alia dicitur *Ignorantia invincibilis*, alia *vincibilis*. *Invincibilis* ea est, quæ nullo studio, nullo labore, tolli potest, quæ idcirco dicitur *invo-*

voluntaria. Hujusmodi est ignorantia Mysteriorum nostræ Fidei in iis, qui a Scholasticis *Infideles negative* appellantur; ii nimirum, qui nullam unquam Evangelicæ veritatis notitiam habere potuerunt; Rom. 10. 14. *quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt?* de quibus loquens Salvator Chris- Joa. 15. 22. tus dicebat olim: *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent;* scilicet *Infidelitatis*, sicuti explicat Sanctus Augustinus. *Vincibilis* autem *Ignorantia* ea dicitur, quæ studio, & labore tolli poterat; & ideo quia vincibilis est, dicitur *voluntaria*. Talis esset ignorantia illius, qui ea discere negligit, quæ vel ad vitam æternam sunt omnino necessaria, vel ad propria munera implenda, juxta sui status conditionem, stricte pertinet. Hæc eadem *Ignorantia*, scilicet *Vincibilis*, si ab aliquo ea mente non vincatur, ut liberius peccare possit, *affectata* appellatur; cæterum *crassa*, & *supina* dicitur.

Ignorantia demum, ratione habita ad actiones, dividitur in *Antecedentem*, *Concomitantem*, & *Consequentem*. *Ignorantia Antecedens*, licet nullo modo sit voluntaria, ea tamen est, qua quis id vult, quod cæteroquin nollet, si hujusmodi ignorantia non laboraret. Talis fuit ignorantia Jacob, cum ex more ingressus est ad Liam, quæ vespere a Socero pro Rachel ipsi Gen. 29. 23. supposita fuerat. Hæc ignorantia eadem est cum *Ignorantia invincibili*. *Ignorantia Concomitans* ea est, qua quis consentit alicui malæ actioni, cui consentiret, etiamsi nosceret esse peccatum. Hujusmodi est ignorantia illius hominis, qui adeo odit inimicum suum, ut lubenter mortem etiam illi afferret, si belluam putans occidere, hostem suum interficiat. Talis ignorantia actionem illam non facit involuntariam, cum agentis voluntas ad id agendum parata jam foret. *Ignorantia* tandem *Consequens* non distinguitur ab *Ignorantia vincibili*; & ideo vel est *affectata*, vel *crassa* & *supina*, utpote voluntas in ipsa, *directe* vel *indirecte*, permanet.

Cum itaque non imputetur unquam homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest, ideo *Ignorantia invincibilis*, seu *Antecedens*, utpote quæ non *voluntaria*, eo quod non est in potestate nostra eam vincere, non est peccatum. Quapropter non peccavit Noe, *cum plantavit vineam, bibensque vinum, ine-* Ibi. cap. 9. 21. *briatus est;* nec peccavit Jacob, cum *ingressus est ad Liam;* prior enim nesciebat prorsus, quæ foret vis vini, alter de fraude Labani non suspicabatur. Hinc intelligitur, cur ab Alexandro

dro VIII. impia hæc Propositio damnata fuerit: *tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc, in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excusat a peccato formali;* quæ Propositio videtur esse quoddam consectarium alterius Propositionis Michaelis Baji, in qua asserebat, quod *Infidelitas pure negativa in iis, in quibus Deus non est prædicatus, peccatum est*.

Quoniam vero certissimum quoque est, quod *per Ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in Di-* S. Aug. lib. 3. de *vinis auctoritatibus legimus;* & David testatur, qui orans Deo lib. arb. cap. 19. humiliter dicebat: *ignorantias meas me memineris, Domine*, id- Psal. 24. 7. eo certo tenendum, peccata esse actiones omnes, quæ *a vincibili*, seu *voluntaria Ignorantia*, procedunt; cujus, quo major est malitia, eo gravius fit peccatum. *Cum* igitur *aliquis directe vult ignorare, ut a peccato per scientiam non retrahatur, talis Ignorantia non excusat peccatum nec in toto, nec in parte, sed magis auget. Ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit, ad hoc, quod libere pec-* S. Tho. q. 3. de *cato inhæreat*. De hoc cum Propheta dici potest: *noluit intelli-* malo art. 8. *gere, ut bene ageret*. Psal. 35. 4.

Ignorantia autem, quæ *affectata* non est, minuit peccati gravitatem, ut docet Divus Thomas; actus enim in hoc casu est 1. 2. q. 76. a. 4. minus voluntarius. Non ideo tamen, qui per hujusmodi ignorantiam peccant, puniendi non erunt; mitioribus quidem pœnis, tamen puniendi. *Non tibi*, sic apposite Augustinus, *non* de nat. & grat. *tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negli-* cap. 67. *gis quærere, quod ignoras. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit* Luc. 12. 47. 48. *paucis*.

Hoc loco notanda est alia Propositio, quam incredibili petulantia, & obstinatione semper propugnarunt, & ubique vulgarunt, plures famosi nominis Jesuitæ, ut evidenter in quarta suarum Epistolarum demonstrat Clarissimus Abbas Covet, quamque damnavit laudatus Summus Pontifex Alexander VIII., & erat hujusmodi: *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus, disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum, quamtumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque*

quæ æterna pœna dignum. Et quantum ad hanc Propositionem silentio prætereundum non est, Jesuitas, eamdem propugnantes, viam reperiisse, & modum excusandi penitus, vel saltem minuendi, peccata omnia cujuscunque generis; & idcirco, nulla habita ratione ad internas Pœnitentium affectiones, pœnitentiis admodum levibus impositis, ingentem peccatorum numerum, qui eorum Ecclesias temere & incaute frequentabant, citissime absolvebant, qui plerumque, in frequenti Sacramentorum susceptione, externam tantum affectantes devotionis speciem, nec a vitio, in quo habitualiter infeliciterque vivebant, animum cogitationemque abducentes, nulla dabant unquam sinceræ conversionis argumenta. Cum igitur liquido pateat allatam Propositionem sanctis, pulcherrimisque Evangelii Dogmatibus contrariam omnino esse, & Catholicæ Fidei penitus adversari, Christianos omnes testificor in Domino, ut nolint ambulare, ut ambulaverunt, qui talia scripserunt, *in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ erat in illis*
Eph. 4.17.18. *propter cæcitatem cordis ipsorum*.

Ignorantia autem *Facti*, si sit involuntaria, *non Juris*, *ex-*
Reg.Jur.13.in 6 *cusat a peccato*. Verum, *si Lex debita modo non fuerit promulgata, vel ejus notitia pervenire non potuerit ad eum, qui contra ipsam agit, seu illam non observat, a culpa excusatur, quia &*
C. cum in tua Extra de his qui Matrim. *Juris Ignorantia tunc insuperabilis censenda est*. Simili modo, *si quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur*
(a) Reg.Jur.14. in 6. *habere*; sed *si conscientia propterea lædi non potuit, quia nescivit, tunc incipit lædi, quando scivit; velut si tunica de latro-*
S. Aug. lib. 2. cont. Cresc. cap. 26. *cinio nesciens vestiretur, ex illo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit, & ipse iniquus, nisi abjecerit*. Et hæc satis sint de *peccatis Ignorantiæ*.

Peccata Concupiscentiæ ex eo procedunt, quod *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem*
Gal. 5.17. *adversantur, ut non ea, quæcunque volumus, faciamus*. Hujusmodi peccata dicuntur etiam peccata *Infirmitatis*; animi enim perturbatio, sine qua dari non potest Concupiscentia, vera infirmitas censenda est. Hinc David humiliter Deum sæpe exorabat
Psal. 6. 2. 3. dicens: *miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea; & anima mea turbata est valde*. Talia fuerunt peccata ipsius Davidis, in Bersa-
2. Reg. 11. beam inhonesto amore rapti, & Petri Apostoli, cum Magis-
Matt. 26. trum suum in atrio ter negavit; & talia sunt etiam peccata omnia,

omnia, quæ, ex timore, ira, carnali concupiscentia, vi, & ex alia quacunque inordinata animi motione, derivant. *De hisce peccatis aliqua diximus in explicatione Noni ac Decimi Decalogi Præcepti; tamen hic debemus repetere Concupiscentiam ex una parte augere peccatum; quo majore enim propensione objectum desideratur, & gravius peccatum est; ex alia vero parte minuere, quia excæcat intellectum, qui judicat, prout est affecta voluntas.* DD. com.

Hinc *passio, secundum quod præcedit actum peccati, necesse est quod diminuat peccatum; actus enim, intantum est peccatum, inquantum est voluntarius, & in nobis existens. Esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem, & voluntatem; unde quanto ratio & voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium, & in nobis existens; & secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium. Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget; vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati; & sic verum est, quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis pec-* S.Tho.1.2.q.77.
cat. a. 6.

Animadvertendum vero est, *peccatum ex animi perturbatione commissum, si ex genere suo mortale sit, nunquam ita minui, ut fiat veniale, exceptis subitis motibus*; qui si tales sint, ut Id. ibi. a. 8.
totaliter auferant usum rationis, nec fuerint voluntarii in causa, excusant a peccato. Quapropter damnatæ fuerunt duæ Proposi- DD. com.
tiones Michaelis Baji, quarum prima hæc erat: *prævia desideria, quibus ratio consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: non concupisces*; altera erat hujusmodi: *Concupiscentia, sive Lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera Legis inobedientia*. Pluribus Scripturarum, & SS. Patrum testimoniis impugnari possunt allatæ Propositiones, ut videre est apud saniores & religiosiores Moralistas.

Quando autem *passio est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem, vel iram, insaniunt; & tunc, si talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa. Si vero causa non fuerit voluntaria, sed naturalis; puta, cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua hujusmodi causa, incidit in passionem, quæ totaliter aufert usum rationis, actus omnino redditur involuntarius, & per consequens totaliter a peccato excusatur.*

Quan-

Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis; & tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne suum consequatur effectum,
S.Tho.1.2.q.77. a. 4. *quia membra non applicantur operi nisi per consensum rationis; unde talis passio non totaliter excusat a peccato.*

Metus pariter ita gravis & vehemens, ut hominem sui com-
DD. com. potem non relinquat, a peccato penitus excusat; tollit enim voluntarium. *Quæcunque vero causa sit voluntatis, si non ei po-*
S.Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 18. *test resisti, sine peccato ei ceditur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

Verum, *si aliquis per timorem fugiens mala, quæ secundum rationem sunt minus fugienda, incurrat mala, quæ secundum rationem sunt magis fugienda, non posset totaliter a peccato excusari, quia timor talis inordinatus esset. Sunt autem magis timenda mala animæ, quam mala corporis; corporis autem magis quam mala exteriorum rerum. Et ideo si quis incurrat mala animæ, idest, peccata, fugiens mala corporis, puta flagella, vel mortem; aut mala exteriorum rerum, puta damnum pecuniæ; aut si sustineat*
S. Tho. 2. 2. q. 125. a. 4. *mala corporis, ut vitet damnum pecuniæ, non excusatur totaliter a peccato.* Dixi: *totaliter*, quia *diminuitur secundum aliquid ejus peccatum, quia minus voluntarium est, quod ex timore agitur. Imponitur enim homini quædam necessitas aliquid faciendi propter*
Id. ibi. *timorem imminentem.*

Quoniam vero ea, quæ cum tali timore operantur, ut do-
1. 2. q. 6. a. 6. cet Divus Thomas, & cum eo Theologi omnes consentiunt, voluntaria omnino sunt, certum est, quod, *si aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcunque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum,*
Id. 2. 2. q. 125. a. 3. *vel prætermittat aliquid, quod est præceptum in Lege Divina, talis timor est peccatum mortale.* Et sane in Sacris Litteris infernales pœnas timidis etiam minatus est Deus, ut habemus in A-
Cap. 21. 8. pocalypsi, ubi legimus: *timidis ... pars illorum est in stagno ardenti igne, & sulphure.*

Hinc liquido patet unicuique, cur Innocentius XI., Summus Pontifex, proscripserit etiam duas sequentes Propositiones laxissimorum quorumdam Probabilistarum, quarum prima hæc erat: *urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum amministrationem simulandi;* altera vero, *famulus, qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam,*

januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Utile erit animadvertere etiam, quod in iis, quæ non sunt *per se, & intrinsece mala*, sed ideo tantum *mala*, quia *prohibita*, metus gravis, *ut plurimum*, a peccato penitus excusat. Præcepta enim positiva Legis Divinæ, & humanæ, non obligant, cum imminet periculum vitæ, vel alicujus gravissimi detrimenti. Quapropter non obligant contractus, & juramenta, hominibus facta, ex metu cadente in constantem virum.

Consulto autem dixi: *ut plurimum*. Sunt enim quidam casus, in quibus præcepta positiva obligant etiam cum periculo ipsius vitæ. Episcopus ex. gr. permanere debet in sua Diæcesi, & Parochus in Parochia; & exercere debent sua munera, etiam persecutionum, pestis, vel oppugnationum tempore; si enim gregem suum in hisce calamitosis circumstantiis derelinquerent, similes forent, non Pastori Evangelico illi bono, *qui animam suam dat pro ovibus suis;* sed mercenario, *qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ; qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; fugit autem, quia mercenarius est,*
& non pertinet ad eum de ovibus. Joa. 10. 11. 12.

Quid porro dicendum de violentia? Violentia nequit reddere involuntarios actus voluntatis, sive *elicitos*, sive *imperatos;* potest tamen involuntarios reddere actus aliarum externarum po-
tentiarum. Nam *si volumus, est voluntas; si nolumus, non est;* DD. com.
non enim vellemus, si nollemus; hinc voluntas nequit cogi ad S.Aug. lib. 1. de Civ. Dei c. 10.
peccandum. *Quidquid enim aliorum hominum voluntate nolens* Id. ibi.
quisque patitur, causat involuntarium, & nullum est peccatum. S.Tho. 1. 2. q. 6. a. 5.
Hinc *violentia non violatur pudicitia, si mente servatur.* Sicut S.Aug. ep. 180.
nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui, contradicens penitus, & reclamans, thurificare Idolis cogitur violenter; dummodo *absit* C. Major. Extra de Bapt.
etiam in eo, qui patitur, voluntas patiendi, & opere externo renitatur violentiæ, eam patiens, quantum potest. S.Tho. 1. 2. q. 6. a. 5.

Peccata Malitiæ tunc patrantur, *cum voluntas mala est sine aliquo spiritu, vel seducente, vel incitante;* scilicet, cum nec ex S. Aug. de Pat. cap. 24.
Ignorantia, nec ex *Infirmitate* committuntur. Ita de quoddam furto a se facto, malitiæ suæ nullam fuisse causam, nisi malitiam,
lugens fatetur Augustinus. Sic peccant, *qui quasi de industria re-* Lib. 2. Conf. c. 4
cesserunt a Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt; qui con- Job. 34. 27.
sulto *relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas;* *qui*

Prov. 2.13.14. qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.
Unde peccatum, hoc ipso quod est ex malitia, aggravatur, & tan-
S.Tho.1.2.q.78. a. 2. to magis, quanto fuerit vehementior malitia. Hujusmodi sunt pec-
cata ex pravo habitu, & consuetudine commissa, quamvis contra-
rium docere ausi sint innumeri laxæ admodum Doctrinæ Theo-
logi, quorum tamen Opera ab indoctis Confessariis magno stu-
dio adhuc leguntur, & citantur; qui enim utitur habitu vitio-
Id. ibi. a. 4. so, necesse est, quod ex certa malitia peccet. Verum heu infelicis-
sima horum peccatorum conditio! Tali enim consuetudine mali-
gna pressi, tanquam sepulti sunt; itàque sepulti, ut de Lazaro
Joa. 11. 39. dictum est: jam putet. Moles illa imposita sepulchro ipsa est vis
dura consuetudinis, qua premitur anima, nec surgere, nec respira-
re permittitur.... Venit ergo Dominus, cui utique facilia erant
omnia, & difficultatem quamdam ostendit ibi. Infremuit spiritu;
ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos, qui consue-
tudine duruerunt. Tamen, ad vocem clamantis Domini, rupta sunt
Ibi. 41. vincula necessitatis... Tum ad Discipulos ait: solvite eum, &
Matt. 18. 18. S. Aug. Ser. 44. de Verb. Dom. sinite abire. Hoc officium Discipulis dedit, quibus ait: quæ sol-
veritis in terra, soluta sunt in Cœlo.

Peccata Malitiæ sunt etiam peccata, quæ dicuntur in Spiri-
tum Sanctum. Cum enim Patri Æterno approprietur Potentia;
Filio Sapientia, Spiritui Sancto Bonitas, ille in Patrem dicitur
S. Tho. in cap. 12. Matt. peccare, qui ex Infirmitate peccat; ille in Filium, qui ex Igno-
rantia; ille in Spiritum Sanctum, qui ex Malitia.

Quamvis autem generaliter loquendo, omnia peccata Malitiæ
sint peccata in Spiritum Sanctum, tamen proprie ille peccat in
Spiritum Sanctum, cujus voluntas ex hoc tendit in peccatum,
Id. q. 3. de malo a. 4. quia abjicit Spiritus Sancti Dona. Hinc sex sunt species peccati
in Spiritum Sanctum; nimirum, Præsumptio in Dei misericor-
diam, Desperatio, Impugnatio veritatis agnitæ, Invidentia fra-
ternæ gratiæ, Obstinatio, Impœnitentia.

Præsumptione igitur primum peccant, qui divitias bonitatis
Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnunt, ignorantes quod
Rom. 2. 4. benignitas Dei ad pœnitentiam illos adducit. Ita peccant etiam
ii, qui in confidentia Confessionis, corde, si non ore, dicunt:
Eccli. 5. 6. miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum mi-
serebitur. Tales sunt etiam, generatim loquendo, recidivi, & con-
suetudinarii.

Desperatione vero peccant ii, qui, veniæ obtinendæ, & salu-
Gen. 4. 5. tis consequendæ, spem omnem abjicientes, cum Cain ajunt: ma-
jor

jor est iniquitas mea, quam ut veniam merear; qua cogitatione
fractus, proditor Judas, abiens laqueo se suspendit. Matt. 27. 5.

Impugnatione autem veritatis agnitæ peccant omnes Hæretici,
Magistri mendaces, qui introducunt Sectas perditionis; homines
corrupti mente, reprobi circa Fidem, attendentes spiritibus erroris, Ex ep. SS. Pet. & Paul.
& Doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.
Ejusdem peccati rei sunt, qui contra Sacros Canones, non neces-
sitate compulsi, sed libenter, aliquid aut proterve agunt, aut lo-
qui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis e-
nim præsumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum
Sanctum; quia contra eum agit, cujus nutu, & gratia Sacri Ca- Can. Violatores caus. 15. q. 1.
nones conditi sunt.

Quarto Invidia Charitatis fraternæ peccant ii, quos angit Pro-
ximorum spiritalis felicitas, quique dolore tanguntur, eo quod
aliquis ex suis fratribus, virtutibus & supernæ gratiæ Donis,
cumuletur: De hoc peccato sic scribit Joannes: est peccatum ad
mortem; non pro illo dico, ut roget quis. 1. Joan. 5 16.

Præterea Obstinatione peccant, qui, deliberata voluntate, in
peccatis perseverantes, consilia omnia, omnes animadversiones,
& ipsas minas, pœnasque Divinas impie contemnunt. Tale fuit
peccatum Pharaonis, cujus cor, Deo permittente, adeo indura-
tum fuit in malo, ut nec precibus, nec minis, nec flagellis
permotus, noluerit filios Israel dimittere de terra sua. Tale fuit Ex. 7. & seq.
Judæorum peccatum, quibus a Divo Stephano, eorum duritiem
reprehendente, dictum est: dura cervice, & incircumcisis cordi- Act. 7. 51.
bus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. Similiter peccant sce-
lerati illi homines in cordibus suis, Deo, qui amanter ipsos
vocat, ut resipiscant, & agant pœnitentiam, impie responden-
tes: scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut Job. 21. 14. 15.
serviamus ei? & quid nobis prodest, si oraverimus illum?

Impœnitentia tandem eorum est, qui contristantes Spiritum San-
ctum Dei, in quo signati sunt in die Redemptionis, obdurati fal- Eph. 4. 30.
lacia peccati, factis, sin minus verbis, dicunt: percussimus fœdus
cum morte, & cum inferno fecimus pactum. De quibus loquens Isa. 28. 15.
inquit Dominus: semper hi errant corde. Ipsi autem non cogno- Psal. 94. 11.
verunt vias meas, quibus juravi in ira mea; si introibunt in re-
quiem meam. Hæc Impœnitentia, illa proprie blasphemia, &
verbum contra Spiritum Sanctum est, de quo scriptum legi-
mus: qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, Matt. 12. 32.
neque in hoc sæculo, neque in futuro. Et sane hæc Impœnitentia
P 2 non

non habet remissionem neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro. Qui enim *in obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit. Ista* tamen *Impœnitentia, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit; nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum ut revertatur, & vivat... Hæreticus est hodie, quid, si cras sequatur Catholicam fidem? .... Proinde etiam ad hoc vos admoneat, quod ait Apostolus:* nolite ante tempus quidquam judicare. *Hæc enim blasphemia Spiritus, cui nunquam est ulla remissio.... non potest in quoquam, ut diximus, dum in hac adhuc vita est, deprehendi.*

S.Aug.Ser. 11. de verb.Dom. Id.Enchir.c.83 Ezech. 33.11. 1. Cor. 4. 5. S.Aug. Ser. 11. de verb. Dom. cap. 13.

Simili modo *cætera peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremissibilia, quia non habent in se, unde remittantur. Quod* enim *ex certa malitia committitur, nullam in se habet excusationis causam, quemadmodum videntur habere peccata ex ignorantia, & infirmitate commissa; licet quandoque Deus illud ex sua bonitate remittat; sicut quandoque ex sua virtute curat morbum, qui est de se incurabilis.*

S.Tho.lect.1.ad Rom.

Aliud est peccantium genus, de quorum salute valde timendum est; & ii sunt infelices illæ animæ, de quibus ait Apostolus: *impossibile est*, hoc est, ut explicat Divus Thomas, difficillimum valde est, *eos, qui semel sunt illuminati; gustaverunt etiam Donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Si* enim *refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati, superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contingit enim eis illud veri Proverbii: canis reversus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro suo.*

Heb. 6. 5. 6. Opusc.1. contr. err. grat. 2.Petri 2. 20. & seqq.

Quapropter unusquisque quam diligentissime studeat, ut patientia & misericordia Divina non abutatur, patrando rursus eadem peccata, quæ ipsi antea misericorditer a Deo fuerant remissa. *Mementote*, sunt Augustini verba, *uxoris Lot. Respexit enim retro, unde liberata est a Sodomis, & ibi remansit, unde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura. Liberati ergo a Sodomis præteritæ vitæ, non respiciamus retro. Nemo pristinis vitiis delectetur. Hæc* enim *dicit Dominus: super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non convertam eum. Quis scit, si convertatur, & ignoscat?*

In Psal. 83. Amos 1. 3. Joel. 2.14.

Distinguuntur tandem septem peccata, quæ *Capitalia* nuncupantur; & *ideo ita dicta, quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur*. Sunt autem, quæ sequuntur. *Superbia*, seu *inanis gloria, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Tristitia, seu Accedia*. De hisce peccatis agemus modo singillatim.

S.Greg. lib. 31. Mor. cap 17.

ARTICULUS PRIMUS.

De Superbia.

Superbia *est excellentiæ propriæ inordinatus amor, seu perversæ celsitudinis appetitus. Perversa autem celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet. Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rubellis fuit, peribit de populo suo.* Magnum sane hoc delictum est, & caput, & causa omnium delictorum; scriptum est enim, *initium omnis peccati Superbia;* & ne quasi aliquid contemnatur, *initium*, ibi dicitur, *Superbiæ hominis apostatare a Deo. Non leve ergo malum hoc vitium. Propter hoc dedignantur colla subdere jugo Christi, obligati arctius jugo peccati;* quod peccatum *est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.*

S. Aug. lib. 14. de Civ. Dei cap. 14. Num. 15. 30. Eccli. 10. 15. Ibi 14. S.Aug. in Psal. 18.

Quatuor autem *sunt Species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. Cum bonum aut a semetipsis habere se existimant, aut, si sibi datum desuper credunt, pro suis se accepisse meritis putant, aut certe cum jactant se habere, quod non habent, aut, despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent.* Porro secunda, & tertia Species solet esse leve peccatum, nisi, cum gravi Dei irreverentia, & Proximi contemptu, conjunctæ sint.

S.Greg. lib. 23. Mor. cap. 4. DD. com.

Opponitur *Superbiæ Humilitas*, quæ est quasi compendium omnium Religionis Christianæ Præceptorum; *non jam quod alia non sint Præcepta, quæ dicantur; sed nisi Humilitas, omnia quæcunque bene facimus, & præcesserit, & comitetur, & secuta fuerit,*

rit, & proposita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & imposita, qua reprimamur, jam, nobis de aliquo bono gaudentibus, totum extorquet de manu Superbia. Notandum autem præcipue est, quod *Humilitas videtur importare subjectionem hominis ad Deum.* Legantur, quæ habet Divus Bernardus tract. de grad. Humil.

S.Aug. ep.56.

S.Th.2.2.q.161.

Superbiæ affinis est *inanis gloria*, quæ *vana* dicitur, *vel ex parte rei, de qua quis gloriam quærit; puta, cum quis gloriam quærit de bono, quo caret, seu de bono, quo se præditum falso existimat, aut existimari cupit; vel de eo, quod non est gloria dignum. Alio modo ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit; puta hominis, cujus judicium non est certum. Tertio modo ex parte ipsius, qui gloriam appetit, & appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem; puta, ad honorem Dei, & Proximi salutem.* In his aliquando grave peccatum est, *si repugnet Charitati vel quantum ad id, de quo est gloria, vel quantum ad intentionem gloriam quærentis; alias veniale est; dispositio est tamen ad gravia peccata, quia fit homo præsumptuosus, & nimis de se ipso confidens.*

Id. q.132.a.1.

Id. ibi.

Superbiæ, seu inanis gloriæ, filiæ, sunt Inobedientia, Jactantia, Hypocrisis, Contentio, Pertinacia, Discordia, & novitatum Præsumptio. In his, ut modo monuimus, graviter peccari potest, si graviter violetur Charitas, Deo & Proximo debita.

S.Greg. lib.30. Mor. cap.31.

Inobedientia est peccatum, quo violatur præceptum Superioris ex contemptu. In rebus etiam minimis mortale peccatum esse potest, si sit perfectus contemptus; idest, si quis Superiori nullo modo parere velit, quidquid præcipiat; & ideo obedire renuit, quia præceptum est. *Tanto* vero *gravior est Inobedientia, quanto superior est, qui præcipit. Quamobrem gravius peccatum est inobedientem esse Deo quam homini*, secundum illud (Act. 5. 9.) *obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

S. Tho. 2. 2. q. 105. a. 1.

DD. com.

S. Tho. 2. 2. q. 105. a. 1.

Jactantia est, cum homo se verbis extollit supra id, quod in se est secundum rei veritatem, aut secundum aliorum opinionem. Verumeninvero *extremæ dementiæ est, nulla imminente necessitate, se propriis laudibus velle decorare. Laudet te alienus,* (sic in Proverbiis 27. 2.), *& non os tuum; extraneus, & non labia tua.*

Id. 2. 2. q.112. a. 1.

S.Chrys. Hom. 5.

Jactantiæ opponitur *Ironia*, seu *Dissimulatio*, qua quis *nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo;* idest, asserit de se aliquid vile, quod in se non agnoscit; aut negat de se ali-

Eccli. 19. 13.

aliquid magnum, quod in se percipit esse. Verum *non ita caveatur arrogantia, ut veritas relinquatur. Incaute* enim *sunt humiles, qui se mentiendo illaqueant.*

S.Aug.tract.43. in Joa.

S.Greg. lib. 26. Mor. cap.3.

Hypocrisis est, quando quis, alienam personam simulans, adumbratam sanctitatis imaginem hominum oculis objicit, vel occultando vitia, quibus scatet, vel præ se ferendo speciem virtutis, qua caret. Hypocrita enim ille dicitur, *qui, cum intus malus sit, ut bonum se palam ostendit. Ne fueris* igitur *hypocrita in conspectu hominum. Spiritus* enim *Sanctus disciplinæ effugiet fictum (a). Hypocrisis* autem *rei sunt, quia omnia sua, & præsertim pietatis opera, ad hominum gratiam, & laudes captandas referunt.* Etenim *quando aliquis per bona opera, quæ facit, ex suo genere ad Dei servitium pertinentia, non quærit Deo placere, sed hominibus, simulat rectam intentionem, quam non habet.*

S. Isid. lib. 10. Orig.tit.11.

Eccli. 1.37.

(a) Sap. 1.15.

S. Tho. 2. 2. q. 111. a. 2.

Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Ex genere suo est peccatum lethale; ab Apostolo (Gal. 5. 21.) *enim numeratur inter opera carnis, quæ, qui agunt,* Regnum Dei non possidebunt. *Hujusmodi peccatum incurrunt* Litigatores, *Causidici, Procuratores, qui causam injustam, dolis, clamoribus, tergiversationibus, extorquere nituntur.* Item *illi, qui in disputatione quavis, aut litis prosecutione, verbis improperii disceptant, quibus Charitas Proximo debita graviter læditur, ejusque fama proscinditur.*

Id. lect. 3. in cap.2. ep. 2. ad Tim.

Id. ibi.

Pertinacia porro *vitium est, quo quis, repudiata meliore & æquiore sententia, de sua, licet falsa & iniqua, nulla ratione dimoveri potest. Hoc Hæreticorum est proprium, quos vincere facilius est, quam persuadere.* Sed *non omnes sunt animi adeo pertinacis, & perversi; ceteroquin, si pertinaciter singula defendantur, tot Hæreses facere possunt, quot opiniones esse numerantur.* Hinc *sicut laudabile est, a vera sententia nunquam moveri; ita culpabile persistere in falsa; quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare. Pertinaciæ* autem opponitur *Perseverantia. Pertinaces* enim *perseverant in propria sententia, plus quam oportet; perseverantes, secundum quod oportet.*

S.Hieron.Dial. adv. Lucif.

S.Aug. lib.3.de an. & ej. orig. cap. 15.

Id.cont. Cresc. cap. 3.

S. Tho. 2. 2. q. 138. a. 2.

Discordia est *dissentio, & discrepantia voluntatum circa bonum Dei, vel Proximi, in quo homo consentire tenetur ex Præcepto, quo Deum, & Proximum diligere debet.* Dicitur primo *dissentio, & discrepantia voluntatum;* possunt enim homines, salva Charitate, & pacis vinculo, si de Religione, vel Christianæ Moralis disciplina non agatur, possunt, inquam, homines diver-

fas

ſas opiniones, etiam inter ſe contrarias, amplecti, & defendere. Dicitur ſecundo, *circa bonum;* a malo enim diſſentire res laudabilis eſt, & valde meritoria. Additur tertio: *Dei, vel Proximi;* diſcordia enim Charitati adverſatur, quæ utrumque jubet. Extrema vero verba: *in quo homo conſentire tenetur* &c. ideo ſubjunguntur, quia nemo abſolute tenetur operari quodcunque bonum, ſed illud ſolummodo, quod ad æternam ſalutem conſequendam eſt neceſſarium. Quapropter ſi quis ex. gr. ab alio diſſentiret, qui vellet ipſi perſuadere, ut Eccleſiaſticum ſtatum ſuſciperet, Diſcordiæ peccato non peccaret. *Quamvis autem primi Diſcordiæ motus, ob eorum imperfectionem, non ſint niſi venialia peccata, Diſcordiæ tamen actus ſolent eſſe peccata lethalia*
Id. ibi. q. 37. a. 1. *ob contrarietatem ad Charitatem.*

Præſumptio novitatum eſt, qua quis, ut nomen ſibi faciat, hominumque admirationem conciliet, nova excogitare præſumit. Quam pernicioſa ſit Præſumptio, ex hoc colligitur, quia inde oriuntur ſententiæ quævis erroneæ contra Fidei Catholicæ veritatem, aut morum integritatem; innumeræ ſuperſtitiones, & artes pericuIoſæ; choreæ, & ſaltationes, excitandæ libidini nimis aptæ; novi luſus, in animæ & corporis perniciem, & rei familiaris everſionem; novi ciborum apparatus, ad excitandam gulam; nova Spectacula, carioſitatem moventia, & pravæ cupiditates &c.

Huc etiam pertinet nimia veſtium pompa. Et animadvertendum neceſſario eſt, *illos non eſſe abſolvendos, qui in veſtium ſplendore, aut ſuperfluo corporis ornatu, mortaliter peccant. Et quia hodie ſæculi pompæ, & vanitates ad ſummum creverunt, potiſſimum ex culpa & negligentia Confeſſariorum, qui ab hoc peccato pœnitentes ſuos inconſiderantius abſolvunt, & nullum fortaſſis ea de re ſcrupulum ipſis movent, aliquos hìc caſus deſignare placuit, in quibus mortaliter peccat, cui cordi eſt nimius ille luxus, ut, juxta præſcriptas Regulas ſe gerant, in illorum abſolutione. Quiſquis igitur utitur hac pompa, ut alios ad peccatum mortale polliciat, reus ipſe fit mortalis peccati; aut ſi, ex illius occaſione, violat ipſe, vel aliis auctor eſt, & cauſa, cur violent Dei, vel Eccleſiæ Præcepta; ut, ſi feſto die laboraret, vel alios laborare compellat; vel Sacro non interſit, alioſve, ne interſint, impediat. Si quæ uxor maritum, aut quemlibet alium, cui rei familiaris cura commiſſa ſit, ad nimios ſumptus cogat, quos ſciat, aut probabiliter ſuſpicetur, odia, diſſentioneſque domeſticas parere; maritum,*

vel alios, compellere ad blaſphema verba, ad turpes & illicitos quæſtus, & contractus, ad reſecandas eleemoſynas, quas alioquin erogare teneretur; ad omittenda, quæ, ex aliorum piis Legatis, facienda in ſe receperat, fraudandos ære ſuo creditores, retinendam, aut differendam, operariorum mercedem; ad novum æs alienum contrahendum, cui ſolvendo ſtato tempore par eſſe non poſſit, quod nunquam contingit ſine gravi Proximi detrimento; ſi impediat, ne filiæ jam nubiles collocentur, quod eas in caſus infauſtos ſæpe inducet; denique ſi marito timendum eſt, ne ex pompis hujuſmodi alia peccata naſcantur. In his omnibus Caſibus, ſuperflui ornatus, pomparumque uſus mortale peccatum eſt. Et quoniam vix fieri poteſt, ut, cujus expenſæ proprias facultates excedunt, aut neſciat, aut non poſſit, vel non debeat ſcire, nimios hos ſumptus ſimilibus peccatis locum dare, generatim hoc judicium fieri poteſt, hujuſmodi homines eſſe in ſtatu peccati mortalis, niſi, habito diligenti cum pœnitente examine, Confeſſario conſtet de con- S. Car. Inſtruct. Confeſ.
trario ob particulares quaſdam rationes.

Verum *reum etiam peccati mortalis facit modus ſe ornandi, etiamſi non excedat ſtatum & facultates perſonæ; nempe ſi laſciviam inſpiret vel ex ſe, vel ſecundum hominum opinionem; vel ſi videat, dubitetve probabiliter, ex occaſione illius, quod inter honeſtos conditionis ſuæ viros, ac mulieres, nondum ſit uſitatus, non defuturos, qui amorem impudicum concipiant, aut in animo ſuo nutriant; & tamen parvi facit ſalutem Proximi, quem ex hoc ornatu ruiturum videt, eumque non abjicit; aut ſi veſtis inſtituta ſit ad obſcœnos affectus, aut motus amoris inhoneſti exprimendos, aut ad illorum etiam inditia præbenda, ſe variis coloribus, aut quolibet modo ornet.* Percurrere multum juvabit in hac Id. ibi.
materia Tertull. de cultu fœm. & S. Tho. 2. 2. q. 169. a. 2.

Ad *Superbiam* etiam refertur *Ambitio; inordinatus* ſcilicet *appetitus honoris; ſubtile illud malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbum creans, generans ex medicina* S. Bern. Ser. 6. in Pſal. 90.
languorem.

In actione ergo *non amandus eſt honor in hac vita, ſive potentia; quoniam omnia vana ſub Sole; ſed opus ipſum, quod per eumdem honorem, vel potentia fit, ſi recte, atque utiliter fit, ideſt, ut valeat ad ſalutem ſubditorum, quæ ſecundum Deum eſt. Propter quod ait Apoſtolus:* qui Epiſcopatum deſiderat, bonum 1. Tim. 3. 1.

opus desiderat, *exponere voluit quid sit Episcopatus; quia nomen est operis, non honoris .... Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* S. Aug. lib. 19. de Civ. Dei cap. 19.

Meminerint isti, quod erit, ut speramus, multum ipsis profuturum, *meminerint*, inquam, *isti ambientes, Diabolum Christo omnia Regna mundi monstrasse in momento temporis; & bene in momento temporis sæcularia, & terrena monstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur; in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abit, antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula? Docemur hic inanis ambitionis flabra despicere, quod omnis Dignitas sæcularis Diabolicæ subjaceat potestati .... a Deo ordinatio potestatis; a Diabolo ambitio potestatis ... Atque hoc ipso perniciosior Ambitio, quod blanda quædam conciliatricula Dignitatum; & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla movere potuit luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos.* S. Ambr. lib. 4. in Luc.

Charitas sane *non est ambitiosa*. *Noli* igitur *quærere a Domino Ducatum, neque a Rege Cathedram honoris*. *Scitis*, sunt Christi verba ad Apostolos, *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis*. De pœnis, & de Censuris, latis contra ambitiosos, consulantur Canones citati in sua Epitome a Cardinale Lauræa. Multum quoque juvabit ad Casus Morales discutiendos accurata Lectio Theol. Mor. S. Thomæ editæ a P. Bancello, & Theol. etiam P. Natalis Alexandri, neglectis prorsus ingentis molis voluminibus plurimorum Probabilistarum, quæ innumeris enormissimis erroribus scatent, & ridiculis ineptiis referta sunt, utpote quæ, ad Evangelica sanctissima Dogmata deturpanda, solummodo tendunt. 1. Cor. 13. 5. Eccli. 7. 4. Matt. 20. 25. & seq.

Variis modis coerceri potest Superbia, & Humilitas Christiana in Fidelium mentes insinuari; imprimis quidem consideratione nostræ originis, & ærumnarum, quas brevissimo hujus vitæ tempore passim offendimus. Recordatione Novissimorum, & Judicii præsertim, quod peccatoribus omnibus certo imminet. Exemplo tandem vitæ humilis, atque abjectæ Jesu Christi, *qui*

passus

passus est in carne, ut nos non jam desideriis hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est in carne, vivamus temporis. Circa hoc utilissima erit lect. lib. 22. Mor. S. Greg. Papæ cap. 5. 1. Petr. 4. 2.

ARTICULUS SECUNDUS

De Avaritia.

Avaritia est *libido habendi pecuniam* (a). *Avaro nihil scelestius* (b); *radix* enim *omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a Fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge*. Quare Deum enixis precibus sæpe invocantes dicamus: *inclina cor meum, Deus, in testimonia tua, & non in avaritiam*; quæ lethale semper peccatum est, si violetur justitia; si ex alio gravi peccato originem ducat; si nimis avide pecuniæ congerantur; si congestas non sit quis paratus amittere, potius quam Deum offendere &c. de quibus fusius agitur apud Patres laudatos a Patre Natali Alexandro in sua Theologia Morali. (a) S. Tho. 2. 2. q. 118. a. 1. (b) Eccli. 10. 9. 1. Tim. 6. 10. 11. Psal. 118. 36.

Avaritiæ filiæ sunt *Proditio, Fraus, Fallacia, Perjurium, Inquietudo, Violentia, & contra Misericordiam obduratio*. S. Greg. lib. 31. Mor. cap. 31.

Proditio est *manifestatio illicita rei alicujus, vel personæ, in Proximi detrimentum vergens, explendæ Avaritiæ causa*. Quatrupliciter expleri potest. Primo respectu personarum; sic a Juda Christus, sic a Dalila Sampson proditi fuerunt. Secundo respectu locorum; scilicet Urbium, Castrorum &c. uti ex. gr. si quis in manus inimicorum traderet oppidum, cui præest. Tertio respectu rerum mobilium; si ex. gr. aliquis furi manifestaret locum, ubi servat quis pecuniam suam. Tandem respectu arcanorum; uti si aperiantur ab aliquo, illicite & absque justa causa, aliorum Epistolæ &c. Matt. 26. 15. Judic. 16. 5.

Fraus peccatum est, quo quis media, astute ad Proximi deceptionem, excogitata, adhibet ad assequendum Avaritiæ finem. In contractibus, emptione, & venditione præsertim, locum habet. Grave peccatum est, cum Proximo grave damnum infertur. V. S. Tho. 2. 2. q. 73. & 77.

Fallacia est verborum mendacium; æquivocorum scilicet, restrictionum mentalium, compensationum occultarum, & aliarum Diabolicarum artium, a Scriptoribus Jesuitis excogitatarum, *dolosa usurpatio ad decipiendum Proximum*, ad æternam animarum perditionem; quæ verba perjurium sunt, si juramento firmentur. V. dicta de 1. Præc. Dec. pag. 158.

In-

Inquietudo est sollicitudo nimia animi, anxiaque occupatio, circa temporalia vitæ subsidia, ne forte in futurum desint; quæ, si errori alicui circa Divinam Providentiam, aut diffidentiæ benignitatis Dei, aut spei nimiæ in divitiis conjuncta sit, peccatum certe mortale erit. Quare *divitibus hujus sæculi*, Christiano zelo præcipimus, *non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

S. Tho. q. 13. de pecc. a. 2.

1. Tim. 6. 17. & seqq.

Violentia peccatum est, quo *divites, ac potentes, alienas rapiunt substantias, ut malesuadæ, qua aguntur, cupiditati, temere satisfaciant.* Violentiæ *rei sunt Principes, Divites, Consules, Collectores, & alii hujusmodi, qui pauperes opprimunt rapinis, oneribus, injuriis, verberibus, iniquis vectigalibus.* Verumenimvero *hæc erit pars hominis impii apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt. Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta, præparabit quidem, sed justus vestietur illis, & argentum innocens dividet. Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum. Dives, cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inveniet; apprehendet eum, quasi aqua inopia, & nocte opprimet eum tempestas.* Quare sic unusquisque sincere dicat: *nudus egressus sum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc.*

Leg. Salv. lib. 5. de Guber. Dei.

Job. 27. 13. & seqq.

Ibi. 1. 21.

Obduratio tandem *contra Misericordiam* est *pravus animi affectus, quo divites ita rerum suarum sunt tenaces, ut cor eorum miseriis proximorum emolliri non possit, ad eorum inopiam suis opibus sublevandam.* Vide, quod superius diximus de Eleemosyna. Interim *væ vobis, qui opulenti estis .... qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti; qui curritis ad vocem psalterii .... bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil* patiemini super calamitatem, & miseriam pauperum. De his loquens Christus dicebat Discipulis suis (a): *amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum Cælorum;* & iterum, *dico vobis: facilius est Camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Cælorum. Divitiæ* igitur *si*

pag. 56. & seqq.

Amos 6. 4. & seqq.

(a) Matt. 19. 23. 24.

Psal. 61. 11.

si affluant, nolite cor apponere; sed, *quod superest, date pauperibus.*

Luc. 11. 41.

Prodigalitas porro vitium est *avaritiæ* oppositum. Inter hæc duo vitia, quasi extrema, medium locum tenet *Liberalitatis* virtus, quæ in recto divitiarum usu consistit. *Differunt Avaritia & Prodigalitas secundum superabundantiam & defectum, diversimode. Nam in affectione divitiarum avarus superabundat, plus debito eas diligens; prodigus autem deficit, minus debito earum sollicitudinem gerens. Circa exteriora vero ad Prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo, & acquirendo. Ad Avaritiam autem pertinet e contrario deficere quidem in dando, superabundare autem in accipiendo, & retinendo.*

S Tho. 2. 2. q. 119. a. 1.

Lethalis Prodigalitatis rei sunt, quicunque cum gravi aliorum damno, vel scandalo, bona sua profundunt. Tutores, & Curatores, qui bona pupillorum, Dispensatores, Œconomi, Administratores, qui bona suæ fidei commissa; Nobiles, Mercatores, & quicunque bona creditorum decoquere non verentur; Patres familias, qui, suarum pecuniarum profusione, uxori & liberis graviter nocent, eis non providendo necessaria; & mulieres, quæ in mundo muliebri, & superfluo vestium ornatu (*idem dic de viris*) sumptus immodicos faciunt, aut in ludis, aliisque rebus inutilibus, venationibus, & similibus, insumunt; & præsertim si redditus Ecclesiastici sint.

DD. com. & S. Tho. l. c. a. 11.

Sunt etiam *nonnulli, qui cultum subtilium, pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod Dives, qui torquebatur apud Inferos, bysso & purpura indutus fuisset;* & quod *epulabatur quotidie splendide;* nec pœnituisset filium Prodigum, quod dissipaverit *substantiam suam vivendo luxuriose.*

S. Greg. Pap. Hom. 40. in Evang.

Luc. 16. 19.

Id. cap. 15. 13.

Sed, ut ad *Avaritiam* redeamus, ex inordinata ditescendi cupiditate oritur etiam *Simonia*, *quæ est studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spiritale, aut spiritali annexum. Dicitur* autem *aliquid spiritale simpliciter, primo per essentiam, ut gratia, virtutes, Jurisdictio Ecclesiastica; secundo ratione effectus, sicut Sacramenta, quæ gratiam, vel spiritalem potestatem conferunt; tertio ratione causæ, ut administratio Sacramentorum, quæ est a spiritali potestate, consecrationes personarum, locorum, vasorum, aut aliarum quarumcunque rerum, Ecclesiasticæ Jurisdictionis usus, aut gratiarum gratis datarum v. g. Divini verbi prædicatio, laudes Divinæ, Professio religiosa &c. Spiritalibus an-*

S Tho. 2. 2. q. 100. a. 1.

nexa

nexa dicuntur, quæ ad usum Sacramentorum, aut Ministrorum Ecclesiæ, deputata sunt. Ea vero vel antecedenter, vel consequenter. Annexum antecedenter est, quod, cum natura sua materiale sit, præcedit rem sacram, ad quam refertur; hujus generis sunt Calices, Altaria, sacra Vestimenta &c. *& etiam Jus Patronatus, quod nominationem, seu præsentationem ad Beneficia antecedit. Spiritalibus consequenter annexum est, quod rem spiritalem sequitur, & ab ea dependet; sicut Ecclesiastica Beneficia, quæ non competunt nisi habenti officium Clericale.*

Id. ibi. a. 4.

Simonìa triplex est; *Mentalis*, *Conventionalis*, & *Realis*. *Mentalis* est, quæ solo animi consensu perficitur absque ulla conventione, expressa, vel tacita. *Conventionalis* est, qua expresse, vel tacite, initur contractus super re spiritali vendenda, vel emenda; sed ille contractus non est executioni mandatus ab utraque parte. *Realis* est, in qua tria hæc concurrunt actu; scilicet pactio expressa, vel tacita, solutio pretii, & receptio rei sacræ, quamvis nec totum solutum sit, nec totum traditum.

DD. com.

Distinguunt aliqui *Simonìam Juris Divini a Simonìa Juris Ecclesiastici*. Sed *plane nulla est proprie Simonìa, nisi quia probibita Jure Divino; ubi scilicet convenit contractus iste rerum spiritalium pro re commensurabili numismate: do, si des; vel do, ut des. Nihilominus apponitur in aliquibus contractibus, non de se Simoniacis, pœna Simonìæ; ubi verum est, quod hoc ideo dicitur Simoniacum, quia Lege humana probibitum, sicut aliquis punitur tanquam Hæreticus præsumptione Juris positivi, vel operis, qui veracitrr est Catholicus.*

Gers. de Simon.

Celebrior est divisio munerum, quæ pro re spiritali dantur. *Aliud est munus ab obsequio; aliud munus a manu; aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebite impensa. Munus a manu pecunia est. Munus a lingua favor.* Verum *quisquis, in dandis accipiendisque Dignitatibus Ecclesiasticis, una dumtaxat earum, quæ prædictæ sunt, parte corrumpitur, Simoniacæ Hæreseos teneri crimine judicatur.... Verumtamen jactant se, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigere daturos.... Sed nequaquam sibi innocentiam spondeant, & a Simoniacæ Hæreseos maculis se mundos esse confidant, qui, licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis honoribus, subjectionis & obsequii quædam quasi talenta persolvunt.*

Can. *sunt nonnul.* caus. 1. q. 1.

S. Pet. Dam. lib. 2. ep. 2.

Datur pessimum aliud *Simonìæ* genus; *Confidentia* nimirum, seu *fiduciaria Conventio*, tacita, vel expressa, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum posthac in aliam certam personam transferat, aut Beneficii fructus, vel partem fructuum ab alio percipi sinat. De hac *Confidentia Beneficiali*, quæ aliquibus in locis est peccatum, Papæ reservatum, vide Constitutiones Pii IV., & Pii V., Summorum Pontificum, ad hujusmodi Simonìam abrogandam emanatas.

Pœnæ autem, contra Simoniacos statutæ, sunt *Excommunicatio latæ sententiæ*, cujus pœnæ remissio, cum Simonìa intervenit in causa Beneficii Ecclesiastici, Summo Pontifici reservata est; *Invaliditas collationis Beneficii*, ita ut Simoniacus non faciat fructus suos; *Inhabilitas ad alia*; denique *Restitutio pretii*, Ecclesiæ, vel pauperibus facienda. *De his consule Sanctum Thomam, Tridentinum, & Canones citatos in sua Epitome a Cardinali Lauræa; & in discussione Casuum Moralium circa hanc rem negligendi* non sunt Gerson, Rebuffus, & alii clarissimi Canonistæ.

De Simonìa agens, pluribus aliis ejusdem generis omissis, fere similibus, tres Propositiones non prætermittam, quas veluti certas & Catholicas propugnarunt, & artibus ac dolis suis ubique vulgarunt, Jesuitæ, quæ postea fuerunt proscriptæ ab Alexandro VII. & Innocentio XI., Summis Pontificibus. Alexander igitur VII. hanc damnavit: *non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Innocentius vero XI. damnavit alias duas, quæ sequuntur: I. *dare temporale pro spirituali non est Simonìa, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* II. *& id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

Quam grave porro sit Simonìæ crimen, constat ex punitione Gezi; ex sermone Divi Petri contra Simonem Magum, a quo 2. Reg. 5. 27. Act. 8. 20.
hujusmodi peccatum nomen habuit; ex iis, quæ de hoc crimine scripsit Divus Thomas; ex eo demum, quod hosce delictum 2. 2. q. 100. a. 1.
sæpissime a Canonibus Hæreseos nomine donatur. *Sicut enim Religio consistit in quadam Fidei protestatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde; ita etiam vitia opposita Religioni*

gioni habent protestationem Infidelitatis, licet quandoque non sit Infidelitas in mente. Secundum hoc ergo Simonìa Hæresis dicitur, secundum exteriorem protestationem, quia in hoc, quod aliquis vendit Donum Spiritus Sancti, quodammodo protestatur se esse dominum spiritalis Doni, quod est Hæreticum. Sic ergo nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Gratis accepistis, sic apud Matthæum, gratis date; & advertendum quammaxime est, quod in Simonìa non datur parvitas materiæ.

S. Tho. l. c.
1. Cor. 4. 1.
Cap. 10. 8.
DD. com.

Ad execrandum Avaritiæ vitium de Fidelium cordibus penitus extirpandum, eosque ab aliis peccatis, quæ ab eodem emanant, abducendos, juvabit plurimum primo quidem consideratio, quod in ultimo vitæ articulo (adhuc enim modicum aliquantulum; qui venturus est, veniet, & non tardabit) omnia, quæ fuerunt congregata, relinquenda tandem sunt, & sæpissime iis hæredibus donanda, qui ingratissimi iisdem pessime erunt abusuri. Secundo, qui miserrime hujusmodi vitio laborant, advertant, cupiditatem suam ditescendi nulla divitiarum copia expleri; quapropter Hydropicis jure solent assimilari, quorum sitis nulla aquæ vi potest extingui. Considerent tertio, avaros in summum omnium odium adduci; odio enim habentur a pauperibus, quos expilant, & a quibus præcipue copias suas fraudibus emungunt, eos sua re misere nudando; a filiis, quibus ea quoque, quæ ad victum sunt necessaria, sæpissime deficiunt; ab operariis, qui mercede sua injustissime fraudantur; ab omnibus tandem domesticis, queis pacta stipendia dolose surripiunt. Intelligant quarto, difficillimum esse, divites æternam consequi Beatitudinem, ut superius innuimus. Quinto secum animo reputent, quam stultum sit, thesaurizare sibi thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur, potius quam thesaurizare sibi thesauros in Cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, neque furantur. Tandem in animum sæpissime revocent tot Christianorum heroica exempla, qui omnia bona sua pauperibus erogarunt; & exemplum præcipue Christi, qui, ut ait Apostolus, propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.

Hebr. 10. 37.
Matth. 6. 19. 20.
2. Cor. 8. 9.

ARTICULUS TERTIUS.

De Luxuria.

Luxuria peccatum est, quo venerea voluptas, supra modum, & contra legem naturalem & Divinam, appetitur, & percipitur. Quam grave sit hoc crimen, quo jacet pene totum genus humanum, ex eo colligitur, quod luxuriosus peccat contra Deum, & contra Proximum. Omne porro peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Nescitis, inquit Apostolus, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Nescitis, quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.

S. Aug. de 10. Chord.
S. Tho. q. 15. de malo.
1. Cor. 6. 18.
Ibi. 15.
Ibi. cap. 3. 16. 17.

Gravissimum hoc peccatum, ut alibi jam diximus, multiplex est. Septem enim sunt Luxuriæ species; Fornicatio scilicet simplex, Adulterium, Stuprum, Sacrilegium, Incestus, Raptus, & Vitium contra naturam.

Lib. 2. pag. 187.

Fornicatio simplex est commixtio soluti cum soluta, sive vidua sit, sive meretrix, sive concubina. Simplicem Fornicationem esse peccatum mortale Dogma Fidei est. Peccatum mortale est, inquit Divus Thomas, omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus.... & ideo est peccatum mortale. Nec obstat, si aliquis, fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione, quia, pergit idem Sanctus Doctor, id, quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit; & non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere.

2. 2. q. 166. a. 11.
Ibi.

Quapropter sapienter ab Innocentio XI. proscripta fuit hujusmodi execranda Propositio: tam clarum videtur Fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. Quæ turpissima sententia affinis est septimo errori Beguardorum & Beguinarum, damnato a Clemente V. in Concilio Viennensi, asserentium mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, esse mortale peccatum; actum autem carnalem, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non esse, maxime cum tentatur exercens.

Si Fornicatio ſit habitualis cum una tantum, quam quis vel domi retineat, vel habeat in alio loco determinato, ad ſui diſpoſitionem, dicitur *Concubinatus*. Concubinarius autem non eſt abſolvendus, quidquid docere auſi fuerint quidam Jeſuitæ, niſi
DD. com. dimiſſa Concubina.

Ne attendas igitur *fallaciæ mulieris. Favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus ejus,
Prov. 5. 2. & ſeq. *& inveſtigabiles . . . Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus.*

Adulterium eſt *acceſſus ad alienum thorum*, ſive *commixtio conjugati hominis cum aliena uxore*; vel *conjugati cum muliere ſoluta*; vel *fœminæ conjugatæ cum viro ſoluto. In eo ipſo*, inquit
De Bon. Conjug. cap. 6. Sanctus Auguſtinus, *quod ſibi invicem conjuges debitum ſolvunt, etiamſi id aliquanto intemperantius, & incontinentius expetant, fidem tamen ſibi pariter debent. Cui fidei tantum juris tribuit*
1. Cor. 7. 4. *Apoſtolus, ut eam poteſtatem appellaret, dicens*: mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; ſimiliter autem & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. *Hujus autem fidei violatio dicitur Adulterium, cum vel propriæ libidinis inſtinctu, vel alienæ conſenſu, cum altero, vel altera, contra pactum conjugale, concumbitur.* Hoc peccatum duplicem habet malitiam, alteram Luxuriæ, oppoſitam caſtitati, alteram injuſtitiæ contra datam fidem. Graviſſimum eſſe Adulterii crimen ſola etiam naturæ lex Gentiles ipſos docuit. Cum enim Iſaac, orta fame, Geraram in Paleſtina profectus eſſet, ac Rebeccam uxorem ſuam ſororem eſſe dixiſſet, Rex Abimelech, rei veritate perſpecta,
Gen. 26. Patriarcham his verbis increpuit: *perſpicuum eſt, quod uxor tua ſit; cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe? Quare impoſuiſti nobis? Potuit coire quiſpiam de populo cum uxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum. Præcepitque omni populo dicens: qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Pœna capitis in adulteros Lege veteri ſancita eſt Lev. 20. v. 10. *ſi mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum uxore proximi ſui, morte moriatur & mœchus, & adultera*; quæ Lex Deut. 22. repetitur. Romano etiam jure Adulteri capitali pœna plectebantur. *Cum aliena* ergo *muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum; & non al-*

ter-

terceris cum illa . . . . ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem; Eccli. 9. 12. *& attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire.* Tob. 4. 13.

Stuprum eſt *illicita virginis, ſub cura Parentum exiſtentis, defloratio*. Hæc verba *ſub cura Parentum* ſtatum virginis uſque ad matrimonium explicant. Patet *Stuprum* gravius peccatum eſſe quam ſimplicem Fornicationem. DD. com. Porro qui puellam, vi, vel metu, vel fraude, aut mendaciis ita ſollicitavit ad Stuprum, ut infamia propterea notata ſit, ac ſi ſtuprata fuiſſet, quamvis eam non ſtupraverit, tenetur ſarcire damnum, vel eam ducendo, aut etiam dotando, ut convenienter nubat, ut habetur in Ex. cap. 22. Cap. *ſi ſeduxeris.* Extra. de *Adul. & Stup.* Si vero ipſum lubens admiſerit, ejuſque blanditiis faciles aures accomodaverit, non tenetur ſarcire damnum, quod imprudens & levis puella, non omnino caſta, ſibi ipſa intulit. DD. com.

Sacrilegium in materia Luxuriæ eſt, *perſonæ, vel rei Deo conſecratæ, per actum venereum violatio*. Hoc committitur, cum quis Sacris Ordinibus initiatus, aut ſolemni Profeſſione alicui Ordini Religioſo addictus, aut etiam ſimplici voto caſtitatis obſtrictus, Luxuriæ peccatum committit; vel laicus cum Sanctimoniali Profeſſa, aut cum muliere, voto ſimplici caſtitatis, Deo dicata; aut mulier ſæcularis cum viro aliquo ex dictis modis ſacro; aut cum duæ perſonæ ſacræ ſimul venereum peccatum committunt, ſeu voluntate ſua, vel deliberata delectatione, ſeu opere conſumato, vel imperfecto, quales ſunt aſpectus & tactus impudici, & oſcula libidinoſa; aut denique cum in loco ſacro, ideſt Eccleſia conſacrata, vel benedicta, Cœmeterio, aut Sacello, Epiſcopi auctoritate erecto, & Divino cultui dicato, actus venereus, etiam a conjugibus, exercetur. Quæ circumſtantiæ in Confeſſione Sacramentali omnino explicandæ ſunt. DD. com. Huc ſpectant etiam, quæ diximus ſupra de Confeſſario, pœnitentes ſuas ad Lib. II. pag. 258 & ſeq. turpia ſollicitante. De criminis hujus gravitate legendum eſt Sancti Petri Damiani Opuſculum, cui titulus *Liber Gomorrhianus*.

Inceſtus eſt *commixtio venerea perſonarum Conſanguinearum, vel Affinium, intra gradus prohibitos*; ſcilicet uſque ad quartum gradum Conſanguinitatis incluſive; item uſque ad quartum gradum Affinitatis, ex Matrimonio legitimo contractæ, incluſive; ex copula autem illicita uſque ad ſecundum; ad quam ſpeciem pertinet quidem violatio *Cognationis ſpiritalis*, ortæ ex Baptiſmo, vel Confirmatione. Non ſunt abſolvendi *Conſanguinei*, vel

Affi-

Affines, in eadem domo manentes, ante ſeparationem, ſi coha-
bitatio, & convictus ſit illis occaſio proxima Inceſtum com-
mittendi; iis vero, qui ſimul non manent, prohibere debet Con-
feſſarius mutuam frequentationem, ſi neceſſe ſit; aut certe, ne
clam, & remotis arbitris, converſentur, aut colloquantur;
DD. com. quod niſi ſpoponderint, neganda illis eſt abſolutio.

Raptus eſt diſtincta Luxuriæ ſpecies, qua *perſona quæpiam in-
vita, vel repugnantibus ejus parentibus, aut iis, quorum curæ
commiſſa eſt, per vim, aut ſeductionem abducitur, explendæ libi-
dinis, aut Matrimonii contrahendi cauſa, vel in paternis ædibus,
aut alibi, opprimitur, & polluitur invita*. Si ergo per vim ab-
ducatur fœmina, etiamſi poſtea in Matrimonium, vel in copu-
lam conſentiat cum raptore, hoc nihilominus *Raptus* vocatur.
Raptus etiam eſt cum puella, reclamante Patre, aut iis, qui
loco ſunt Patris, ſive tutoribus; vel uxor, invito marito, ab-
ducitur, etſi conſentiens & volens. Raptor non eſt ſacramenta-
liter abſolvendus, donec raptam puellam ſponſo non reddiderit,
ſi deſponſata ſit; vel parentibus, ſi non ſit deſponſata, vel de-
V. Nat. Alex. l. 3. de pec. c. 8. a. nique in priſtinam libertatem non reſtituerit, ſi mulier ſit ſui
reg. 17. juris. Tenetur etiam Raptor mulierem raptam, ſive uxorem du-
Trid. Seſſ. 24. de Refor. xerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.

Peccatum denique *contra naturam*, ut loquitur Sanctus Au-
Lib. 3. cont. Julian. cap. 20. guſtinus, eſt *actus venereus, ex quo generatio ſequi non poteſt;*
ſive *qui fit præter eum uſum, unde humana natura poteſt naſcen-
do ſubſiſtere*. Dicitur *contra naturam*, quia non ſolum repugnat
rectæ rationi, ut cætera peccata, ſed etiam naturali ordini &
modo, quo Deus utrumque ſexum copulari, & per eam copu-
lam humanum genus propagari voluit. Hujuſmodi peccatum in-
ter omnia Luxuriæ genera graviſſimum eſt. *Vitia*, inquit San-
2. 2. q. 154. a. 12. ad 2. ctus Thomas, *contra naturam tanto ſunt graviora quam ſacrilegii
corruptela, quanto ordo naturæ humanæ inſitus eſt prior, & ſta-
bilior, quam quilibet alius ordo ſupernaturalis*.

Quatuor ſunt hujuſce peccati ſpecies; ſcilicet *Mollities*, ſive
Pollutio, *inordinatus concubitus*, *Sodomìa* & *Beſtialitas*.

Mollities, ſive *Pollutio*, eſt *actus venereus, quo quis voluntaria
ſeminis effuſione ſe ipſum contaminat, vel aliena manu provocatus
contaminatur*. *Pollutio*, quæ, directe vel indirecte, expreſſe, vel
interpretative, in ſe, vel in ſua cauſa, volita eſt, ſicut ſen-
tiunt omnes Doctores, ſemper mortale peccatum eſt vel in
ſe, vel in cauſa, ſive dormienti, ſive vigilanti, contingat. Jure
enim

enim naturæ prohibita eſt, & per ſe, ac intrinſece mala, adeo
ut, ſecluſo etiam Dei Præcepto, nuſquam bona, licita, expe-
tenda, multo minus obligatoria, eſſe poſſit; & ideo ſapienter
ab Innocentio XI., inter alias quorundam audaciſſimorum Pro-
babiliſtarum, damnata fuit ſequens Propoſitio: *Mollities jure na-
turæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe
eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali*.

Inordinatus concubitus eſt *indebitus modus copulæ carnalis, quo
ſemen extra vas effunditur, aut effundendi periculum eſt, & ge-
neratio impeditur*. Hujuſmodi actus lethale peccatum eſt, ſim-
plici pollutione gravius, cum ſemen extra vas debitum effundi-
tur, & quoties ejus effuſionis periculum imminet; quoties de-
nique generatio, defectu debiti ordinis, in modo concumbendi,
etiam in uſu Matrimonii impeditur. *Quandoque* tamen, inquit DD. com.
Sanctus Thomas, *ſine peccato eſſe poteſt, quando corporis diſpo-* In 4. Sent. diſt. 31. in exp. text.
*ſitio alium modum non patitur. Alias tanto eſt gravius, quanto
magis a naturali ordine receditur*. Hujus peccati gravitatem plu-
ribus in locis Scriptura Sacra cum execratione animadvertit;
ſic ex. gr. peccatum *Her* & *Onam* deteſtatur, qui idcirco a Do- Geneſ. c. 38.
mino percuſſi fuerant.

*Sodomìa nefarium & abominabile præpoſteræ libidinis crimen eſt,
quo perſonæ ejuſdem ſexus carnaliter copulantur, & commiſcentur,
uno turpiter agente, altero turpiter patiente*. Hujuſmodi pecca-
tum gravius eſt *ſimplici pollutione*, & *inordinato concubitu*, &
aliud etiam eſt alio gravius. Gravius enim peccat, qui turpi-
ter agit, aliumque impellit ad crimen, eo, qui turpiter pati-
tur; gravius peccat ſodomita conjugatus, quam ſolutus; gra-
vius Ordine Sacro, aut Voto ſolemni, Deo nuncupatus, quam
Laicus; gravius conſanguinei, vel etiam affines, in primo præ-
ſertim, vel ſecundo gradu, nefariam hujuſmodi copulam exercen-
tes; gravius maturi judicii viri, quam adoleſcentes, vel pueri;
gravius ſenes quam juvenes; gravius item, qui diu in abomi-
nanda illa fœditate hærent, quam qui, ſemel in eam prolapſi,
mox ad Pœnitentiam confugerunt. Quamobrem hujuſmodi cir-
cumſtantias perſcrutari exactiſſime debet Confeſſarius, ut conve- DD. com.
nientem pœnitentiam imponat.

Beſtialitas tandem eſt *nefaria copula cum re alterius ſpeciei,
ſcilicet cum Brutis animantibus, aut Dæmonibus ſucubis, vel in-
cubis*. Peccatorum omnium contra naturam graviſſimum eſt *Be-
ſtialitatis* peccatum. Levitici cap. 20. v. 15. & 16. de hujuſmodi
pec-

peccato hæc habentur: *qui cum jumento & pecore cojerit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo; sanguis eorum super eos.*

Luxuriæ filiæ sunt octo; scilicet *Cæcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, Horror, vel Desperatio futuri;* de quibus Sanctus Tho. 2. 2. q. 153. a. 5. (S.Greg. lib. 31. Mor.)

Cæcitas mentis peccatum est, pœna peccati, & causa peccati, qua aliquis sua libidine excæcatus, in rebus agendis, bonum & legitimum finem sibi non ponit ob oculos, vel ab eo deflectit, & aberrat. In hujus rei figuram Angeli ante excidium Sodomæ *clauserunt ostium, & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.* (Gen. 19. 11.)

Præcipitatio peccatum est, quo quis libidinis impetu abreptus, absque consilio & deliberatione, in actum exteriorem prosilit. Hinc Deut. 32. v. 29. Moyses ait: *gens absque consilio, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, & novissima providerent.*

Inconsideratio peccatum est ex libidine, veluti ex radice, progerminans, quo aliquis a recto judicio deficit, ex hoc quod contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit. Recti enim judicii diretrix & moderatrix est consideratio, de qua dicitur Prov. 4. v. 21. *oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Quatuor autem considerare debemus; scilicet nos ipsos, quæ sub nobis, quæ circa nos, & quæ supra nos sunt, quæ late Sanctus Bernardus explicat in libris *de Consideratione.* Rectum vero de his omnibus judicium impedit Luxuria, mater *Inconsiderationis.*

Incostantia peccatum est, quo vir libidinosus a bono proposito recedit, aut mediocri difficultate fractus, aut voluptate illectus. Unde Sapientiæ 4. v. 12. scriptum est: *fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Quamobrem libidinosis, & luxuriosis hominibus, præcipua quadam ratione, convenit illud Psal. 77. v. 57. *averterunt se, & non servaverunt pactum; quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.*

Amor sui pravus est & inordinatus affectus, quo viri libidinosi carnem suam, carnisque voluptates, præ cæteris rebus omnibus, præ officiis suis, præ Dei & Ecclesiæ mandatis, præ Deo ipso, diligunt.

Hi nimirum sunt ii, qui corde, sin minus voce, ajunt: *venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.... Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* (Sap. 2. 6. & seq.) De istis scribens Apostolus hæc habet: *in novissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt homines se ipsos amantes.... incontinentes... voluptatum amatores magis, quam Dei.* (2. Tim. 3. 1. & seq.)

Odium Dei est aversio a Deo, qua viri luxuriosi quandoque ipsum refugiunt, & ab ejus Lege abhorrent, quatenus carnis voluptates prohibet, æternasque pœnas impudicis infligit. Quod quidem peccatum omnium gravissimum est, cum opponatur Charitati, quæ est maxima virtutum. Hinc Sanctus Gregorius *sicut*, inquit, *nonnunquam gravius est peccatum diligere, quam perpetrare, ita nequius est odisse justitiam, quam non fecisse.* (Lib. 25. Mor. cap. 11.)

Affectus præsentis sæculi, seu *inordinatus vitæ præsentis amor*, peccatum est, quod libidinosi homines carnalibus voluptatibus ita capiuntur, ut hujus sæculi vitam, fruendæ voluptatis causa, perpetuam esse vellent, de superna felicitate nihil curantes. His convenit illud Psalmi 23. v. 2. *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Horror, seu *desperatio futuri sæculi*, peccatum est, quo viri libidinosi mortem atque judicium Divinum ita metuunt, ut de felicitatis æternæ consecutione desperent. Cum enim mors iis voluptatibus finem allatura sit, quas intemperanter appetunt, & sectantur, fieri non potest, quin illam horreant; deinde stimulis conscientiæ tanto amplius vexati, quanto se illicitis voluptatibus profundius immerserunt, diffidunt de venia; quo fit, ut novas in libidines prolabantur, ex quibus nunquam emergunt ad pœnitentiam. Hinc apud Oseam scriptum est: *non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt;* (Cap. 5. 4.) & ad Eph. *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* (Cap. 4. 19.) Hinc Sanctus Thomas ait: *Diabolus dicitur maxime gaudere de peccato luxuriæ, quia est maximæ adhærentiæ, & difficile ab eo homo potest eripi.* (1. 2. q. 73. a. 5. ad 2.) Alias alii Luxuriæ filias recensent; verum nunquam dicendi finem fecerimus, si vitia

tia omnia percensere voluerimus, quæ ex Luxuria oriuntur, vel illam comitantur.

[V. Pag. 186. & seq.] De Remediis contra Luxuriam jam egimus in secundo libro. Verumenimvero Fideles, si ipsis in hac re Casus aliquis dubius occurrat, Parochos consulant, & Confessarios, potius quam libros aliquos recentiorum quorumdam impudentium Scriptorum, quorum lectio nimis periculosa esse potest. Confessariis autem, & Parochis non desunt libri, quos Auctorum pietas, prudentia, & doctrina valde commendat, quin legant impudentissima quædam volumina, in quibus omnia impudicitiæ genera collecta, & obscœnis etiam verbis, & imaginibus expressa fuerunt.

ARTICULUS QUARTUS

De Invidia.

AMando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur. [S. Aug. lib. 11 de Gen ad litt. cap. 14.] *Invidia* igitur *est tristitia de bono alterius, perinde ac si malum nostrum esset, quatenus illo propriam gloriam, aut excellentiam, diminui concipimus.* [S Tho. 2. 2. q. 36 a. 1.] *Ex genere suo est peccatum mortale, nisi sit imperfectus motus; vel propter sui parvitatem non attingat perfectam rationem objecti.* [Id. ibi.] *Si vero invideat bono spiritali Proximi, non quod optet ipsum illo carere, sed quod doleat, se eo non esse præditum, non est Invidia, sed zelus laudabilis.* [Id. ibi.]

[S. Greg. lib. 5. Mor. cap. 17.] *Ex Invidia oritur Odium, Sussuratio, Detractio, Exultatio in adversis Proximi, & Afflictio in prosperis.* Non loquemur hic de Odio; de ipso enim verba fecimus superius in prima parte. [V. pag. 63. & seq.]

Susurrones sunt illi, qui suis artificiis distrahunt homines, & inter se committunt, magnopereque ferendis discordiis delectantur, ut summas conjunctiones ac societates, fictis sermonibus dirimentes, amicissimos viros ad immortales inimicitias, & ad arma compellant. [Catech. Rom. P. III. c. 9. n. 10.]

Hanc pestem sic detestatur Dominus: *non eris criminator, nec susurro in populo.* [Lev. 19. 16.] *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, testem fallacem, & eum,*

eum, qui seminat inter fratres discordias. Quare cave, *ne appelleris Susurro . . . super furem enim est confusio . . . Susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* [Prov. 6. 19. & seq.] [Eccli. 5. 17.] *Audisti* forte *adversus Proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.* [Ibi cap. 19. 10.] Ita sane faciebat Divi Augustini mater (*a*), ut ipse testatur in suis Confessionibus. [(a) Lib. 9. c. 9.] *Sæpe tale vitium est grave peccatum; & Sussurrones tenentur resarcire malum, cujus causa fuerunt suis susurrationibus, quomodolibet illæ fuerint.* V. S. Tho. 2. 2. q. 74. a. 2. [DD. com.]

Detractio vitium est, quo quis occulte alterius bonam famam, plerumque falsis semper exaggeratis criminibus, obscurare studet, & denigrare. Ex hujusmodi detestabili libidine, & consuetudine incredibile est, quam multa, & gravia incommoda, & mala nascantur. Hoc vitium maledice, & contumeliose dicendi occulte in alterum passim improbant Divinæ Litteræ. [Catech. Roma P. III. c. 9. n. 8.] *Detractores,* sic Apostolus, *Deo odibiles . . . qui talia agunt, digni sunt morte.* [Rom. 1. 30.] *Neque Maledici, neque Rapaces Regnum Dei possidebunt.* [1. Cor. 6. 10.] *Dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* [Psal. 56. 5.] *An levius,* sunt Augustini interrogantis verba, *an levius, quod, gladio minante, quam quod lingua insidiante, committitur?* [Lib. 2. de Bapt cap. 7.] *Illo,* sibi respondet alibi, *gravius cor feriunt, qui linguæ gladio feriunt.* [Tract. 5. in Joa.] *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* [Eccli. 10. 11.] *Hinc abominatio hominum Detractor.* [Prov. 24. 9.] *Cum Detractoribus* igitur, ita admonemur in Proverbiis, *ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum; & ruinam utriusque quis novit?* [Ibi. 22.]

Ut autem *peccati hujus vis, quo de altero detrahitur, omnino perspiciatur, sciendum est, non tantum adhibenda calumnia offendi hominum existimationem, sed & augendis, amplificandisque criminibus. Et si quid occultius ab aliquo commissum sit, quod ubi rescitum fuerit, grave, aut turpe sit ad famam, eam rem, qui ubi, quando, quibus necesse non sit, promulgarit, is obtrectator, & maledicus jure dicitur.* [Catech. Rom. P. III. c. 9. n. 9.]

Verum totius Obtrectationis nulla est capitalior, quam eorum, qui Catholicæ Doctrinæ, ejusque Prædicatoribus obtrectant. In simili culpa sunt, qui malarum Doctrinarum, & errorum Magistros extollunt laudibus. [Id. ibi.]

Nec vero ab horum hominum numero, & culpa sejunguntur, qui, detrahentibus & maledicentibus hominibus patefacientes aures, non reprehendunt obtrectatores, sed illis libenter assentiuntur. Detrahere enim, vel detrahentem audire, scribunt Sancti Hierony-

mus

mus & Bernardus, utrum damnabilius ſit, non facile conſtat. Non enim eſſent, qui detraherent, ſi non adeſſent, qui detrahen-
Id. ibi n. 10. *tes audirent*. Euſebius Eraniſtes, in quarta ſuarum Epiſtolarum ad quemdam Regium Miniſtrum, refert inſolentes & pravas de hac re Opiniones, a pluribus Scriptoribus Jeſuitis in ſuis peſſimis libris vulgatas propugnataſque; ex quarum lectione quiſquis facile intelliget quantum damnandi ſint illi Confeſſarii, qui hujuſmodi libris utuntur.

Verum *hoc ridiculum magis eſt, quod talem habentes vitam, & res ſuas negligentes, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat, hinc declarantes, quod rem reprehenſione dignam commiſerunt. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat.... Poſtquam ipſum prodidiſti, tunc ſalutem*
S.Chriſ.Hom.3 *ipſius curas? Si non vis efferri, neque alteri ipſe dicas*.

Si quis tamen ſecretum aliquod diceret propter bonum neceſſarium v. gr. pro emendatione; pro cavendo majori malo &c.
S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 2. tunc non eſſet peccatum, nec poſſet dici *Detractio*; laudabiliter enim majoribus malis ſtudet occurrere.

Verumtamen hujus criminis rei ſunt libellorum famoſorum Auctores, & qui eos ſpargunt, aliiſque tradunt legendos; & Hiſtorici, occulta vitia litteris conſignantes; & qui defunctorum
DD. com. quomodocunque famam lædunt. *Neque quiſquam ſperet, ſe calumniarum, vel obtrectationis veniam conſequi poſſe, niſi prius ei ſatisfaciat, de cujus dignitate, & fama, aut publice in judicio,*
Catech. Rom. P.III.c 9. n.20. *aut etiam in privatis, & familiaribus congreſſibus, aliquid detraxerit*. Immo *ſi detractor, famam alterius lædendo, cauſa fuit etiam temporalis damni, v. gr. ne dignitatem obtineret, tenetur*
S.Tho.2.2 q.73. a. 2. *etiam ad ejus damni reſtitutionem; & ipſo defuncto, tenentur hæredes, ſi ſciant*.

Sed neque licet ſe ipſum infamare, cum ſui dedecus vertit in Proximi damnum, ut fuſe docet Sanctus Auguſtinus Lib. de do-
Ser.49. de Div. no Viduit. cap. 22. *Quicunque* etiam, ſunt ejusdem Auguſtini verba, *fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt,*
Tit. 2.7. *maxime in loco illo poſitus, de quo dicit Apoſtolus*: circa omnes te ipſum præbe exemplum bonorum operum.

Ne quis vero erret, neſciens quem modum tenere debeat, cum famæ ſuæ grave aliquod damnum imminere videt, utile erit hic etiam repetere ab Alexandro VII. damnatam fuiſſe horribilem & execrandam Propoſitionem, propugnatam, vulgatamque (ut teſta-

teſtatur, ep. 2. ad quemdam Regium Miniſtrum, Euſebius Eraniſtes, qui locum etiam citat, ubi legitur) a Patre Franciſco Amico Societatis Jeſu, quæ talis eſt: *licitum eſt Religioſo, vel Clerico, calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione, ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, publice, & coram graviſſimis viris, prædicta impingere, niſi occidatur*. Huic addi poſſunt aliæ duæ eorumdem perniciosiſſimorum Probabiliſtarum ex eadem Societate impiæ Aſſertiones, a Summo Pontifice Innocentio XI. ſolemniter proſcriptæ, quarum hæc erat prima: quod *non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere*; hæc altera: *probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat; & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit Opinio probabilis in Theologia*.

Exultatio tandem *in adverſis Proximi, & Afflictio in proſperis*, lethalia peccata ſunt, cum ex Invidiæ, vel Odii fonte procedant; cum grave ſit malum Proximi, de quo aliquis gaudet, DD. com. ex
& notabile bonum, de quo triſtatur, & hi motus ſint delibe- ep. ad Rom.
rati. Quapropter *admonendi ſunt invidi, ut perpendant, quantæ* cap. 12.
cæcitatis ſunt, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabeſcunt; quantæ infelicitatis ſunt, qui melioratione Proximi deteriores fiunt, dumque augmenta alienæ proſperitatis aſpiciunt, apud ſemetipſos anxie afflicti, cordis ſui peſte moriuntur. Quid iſtis infelicius, quos, dum conſpecta felicitas afficit, pœna nequiores S.Greg. Pap in
reddit? Paſt.admon.11.

Ne igitur, in corda animoſque noſtros, Invidiæ pateat ingreſſus, abſit a nobis *concupiſcentia carnis, & concupiſcentia ſpiritus, & ſuperbia vitæ*. *Qui* enim, ut ſapienter animadvertit Di- Joan. 2. 16.
vus Baſilius, *Superbiæ ſtimulis non agitur, nec de honoribus, di-* Hom. 11. de Inv.
gnitatibus, cæteriſque rebus ſollicitus eſt, quibus apud homines nominis fama acquiritur, nullo pacto ab invidia dominabitur. Serius conſideremus ſecundo loco, quod nullo alio vitio evadimus adeo ſimiles Diabolo, quemadmodum ipſi invidia aſſimilamur.
Diaboli enim *invidia mors introivit in orbem terrarum*, &c. Il- Sap. 2. 24.
lud tertio loco animo reputemus invidos ſibimetipſis ſolummodo nocere; invidus enim nulla ſui utilitate angitur, & inutiliter ob alterius felicitatem dolore afficitur. Tandem nunquam obliviſcamur, nos natura & gratia eſſe fratres ad invicem; ideoque

eoque voluntatum, affectionumque nostrarum, summam semper debere inter nos esse consensionem. Afflictorum igitur fratrum nos capiat miseratio; & gaudentibus fratribus nostris sincere gaudeamus.

ARTICULUS QUINTUS.

De Gula.

GUla *est immoderata in cibo, & potu delectatio, cui si in-*
S. Tho. 2. 2. q. 148. a. 2. *hæreat homo tanquam fini, propter quam paratus sit Deum contemnere, grave peccatum est, alias veniale.* Hoc enim vitio
Rom. 16. 18. *Christo Domino nostro non servit, sed suo ventri.* Verum *multi*
Cap. 3. 19. *ambulant, quos*, ajebat Apostolus, Philippensibus scribens, *sæpe dicebam vobis, nunc & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Væ autem miseris illis hominibus, quos nulla alia tangit cura, nisi ut sit *esca ventri, & venter escis. Deus* enim *& hunc, & has destruet; & qui*
1. Cor. 6. 13. *diligit epulas, in egestate erit; & qui amat vinum, & pinguia,*
Prov. 21. 17. *non ditabitur. Noli* igitur *avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas . . . Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens*
Eccli. 37. 32. 34. *est, adjiciet vitam.*

Utilissimum erit notare hoc loco, inter tot pessimas Probabilistarum Propositiones sequentem etiam damnatam fuisse ab Innocentio XI.: *comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Ad hanc rem juvabit animadvertere, quod, *cum natura quodammodo poscit supplementa, quæ desunt, non vocatur libido, sed fames, aut sitis. Cum vero, suppleta necessitate, amor edendi animum sollicitat, jam*
S. Aug. lib. 4. cont. Julian. cap. 14. *libido est; jam malum est, cui credendum non est, sed resistendum.* Hinc ut ab hujusmodi peccatis semper abstineamus, *optimum* ducamus *gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt*
Hebr. 13. 9. *ambulantibus in eis. Sive* ergo *manducamus, sive bibimus, sive*
1. Cor. 10. 31. *aliud quid facimus, omnia in gloriam Dei faciamus.*

Quinque autem *nos modis Gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit; aliquando vero cibos lautiores quærit; aliquando quælibet, quæ sumenda sunt, præparare accuratius expetit; aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram mo-*

dera-

deratæ refectionis excedit; nonnunquam vero & abjectius est, quod desiderat, & tamen, ipso actu immensi desiderii, deterius peccat. Mortis quippe sententiam Patris ore Jonathas meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto po- 1. Reg. 14. 44.
pulus eductus in eremo occubuit, quia, despecto manna, cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima filiorum Heli cul- Num. 9.
pa suborta est, quod, ex eorum voto, Sacerdotis puer, non antiquo more coctas vellet de Sacrificio carnes accipere, sed crudas quærere, quas accuratius exhiberet. Et cum ad Jerusalem dicitur: 1. Reg. 2.
hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ, superbia, saturitas pa- Ezech. 16. 49.
nis, & abundantia, *aperte ostenditur, quod idcirco salutem perdidit, quia cum Superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Et Primogenitorum gloriam Esau amisit, quia, magno æstu desiderii, vilem cibum, scilicet lenticulam, concupivit, quam, dum vendendis etiam Primogenitis, prætulit, quo in illam appeti-* Gen. 25.
tu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus, in vitio est; unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe, quem diximus, Esau, Primatum per lenticulam perdidit, & Elias in Eremo per virtutem spiritus, carnes edendo, servavit. Unde & 3. Reg. 17.
antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam, esse causam damnationis intelligit, & primum sibi hominem, non car- Gen. 3.
ne, sed pomo, subdidit, & secundum, non carne, sed pane tentavit. Hinc est, quod plerumque Adam culpa committitur, etiam Matt. 4. 3. S. Greg. lib. 30. Mor. cap. 13.
cum abjecta & vilia sumuntur.

Gulæ filiæ sunt inepta Lætitia, Scurrilitas, Immunditia, Multi- Id. ibi.
loquium, & Hebetudo mentis.

Inepta Lætitia est, quæ capitur ex rebus, quæ nullam delectationem parere possunt, si recta ratio consulatur; vel si aliquam afferre possunt, in illam, dissoluto penitus animo, hoc est, ratione per cibi & potus immoderationem veluti sopita, irrationabiliter effunditur. Huc pertinet jocandi genus illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; cum scilicet aliquis causa ludi utitur turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in nocumentum Proximi, quæ lethalia esse docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 148. a. 2. Huc pertinent vanitas Histrionum, Cantorum, Choræarum, aliaque hujusmodi ad voluptatem haud ingenuam incitamenta. *Lege SS. Basilium & Chrysostomum de Gula.*

Scurrilitas est *immoderatio in jocis & facetiis, aut etiam in studio* S. Chrys. Hom. 7. in ep. ad Eph.
commovendi aliis risum. De hoc vitio scribens Apostolus Ephe-

siis,

[Cap. 5. 4.] fiis, sic nos etiam alloquitur: *sicut decet Sanctos, stultiloquium, aut scurrilitas nec nominetur in vobis, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.*

[S. Tho. 2. 2. q. 148. a. 1.] *Immunditiæ nomine intelligitur impuritas omnis verborum, & factorum, quæ sæpe, ac fere semper, lethale peccatum est.*

[Id. in ep. ad Eph.] *Multiloquium est effrænis garrulitas.* Ab hoc etiam vitio diligenter caveamus, animadvertentes, quod [Prov. 10. 19.] *in multiloquio non deerit peccatum;* quodque *de omni verbo otioso rationem reddent homines in die Judicii.* [Matt. 12. 36.]

Hebetudo tandem *mentis* jure Gulæ filia dicitur, juxta illud: [Osee cap. 4. 11.] *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Si sit voluntaria, peccatum est grave, præsertim in iis, qui hinc redduntur inepti ad sua munera; quales sunt Medici, Chirurgi, Judices, Confessarii, Patres familias &c. [D.D. com.]

Attendite igitur *vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate,* [Luc. 21. 34.] considerantes primo, quæ, & quot mala, ab hoc vitio corpori, & animæ procedant; Animæ quidem; Intemperantia enim gravat animam, eamque excæcat, in quo statu æterna imminet perditio, ut Epulonis exemplum satis demonstrat; Corpori etiam; ipsa enim plurium morborum causa est, & origo. Consideremus secundo, intemperantium quam sit periculosa conversatio, singulis nobis edicente Spiritu Sancto: [Prov. 23. 20.] *noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Christi porro exemplum præ mente semper habeamus, qui, de cruce pendens, vehementissimam sitim pro nobis passus est; & exemplum etiam multorum Christianæ Ecclesiæ Heroum, qui vescebantur solo pane, & sola aqua sitim explebant, uti Divus Carolus Borromæus, aliique multi. Precabimur tandem Deum Optimum Maximum, ut, gratia sua adjuti, pulcherrimam Temperantiæ virtutem consecuti nunquam turpi hoc vitio fœdati, ad terribile Pœnitentiæ tribunal accedamus.

AR-

ARTICULUS SEXTUS

De Ira.

IRam nihil aliud esse quam ulciscendi libidinem Veteres definierunt, quamvis nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus est sensus, etiam rebus inanimis irascatur, ut male scribentem stylum collidat, vel calamum frangat iratus. Verum & ista, licet irrationabilior, tamen quædam ulciscendi libido est, & nescio quæ, ut ita dixerim, quasi umbra retributionis, ut, qui male faciunt, mala patiantur. [S. Aug. lib. 14. de Civ. Dei cap. 15.]

Non autem *omnis, qui irascitur, odit ... nam & filiis nostris quandoque irascimur. Odire vero filios quis invenitur? Sed & qui peccato fratris irascitur, non fratri irascitur. Alia* igitur *est Ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus justitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute, generantur. Si enim nulla Ira ex virtute surgeret, Divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc Iram, quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam, quo contra subditorum vitia tenuit, eo contra illum districtio æterni Rectoris exarsit. De hac Ira per Psalmistam dicitur:* irascimini, & nolite peccare. *Quod nimirum non recte intelligunt, qui irasci, nos nobis tantummodo, non etiam Proximis delinquentibus, volunt. Si enim sic Proximos ut nos amare præcipimur, restat, ut sic eorum reatibus, sicut nostris vitiis, irascamur. De hac per Salomonem dicitur:* melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. *De hac iterum Psalmista ait:* turbatus est ira oculus meus. *Ira quippe per vitium oculum mentis excæcat, Ira autem per zelum turbat.* [Id. Ser. 26. de verb. Dom. Id. lib. 1. retract. cap. 19.] [Num. 25. 8.] [1. Reg. 2.] [Psal. 4. 5.] [Matt. 9. 19.] [Eccli. 7. 4.] [Psal. 6. 8.] [S. Greg. lib. 5. Mor. cap. 30.]

Iræ porro *triplex est gradus; ut primo quisque irascatur, & eum motum retineat, corde conceptum. Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed ipsum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille, cui irascitur, plus est utique, quam si surgens ira silentio premeretur. Si vero non solum vox indignantis auditur, sed etiam verbum, quo jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, designet, & notet, quis dubitet, amplius hoc esse quam si solus indignationis sonus ederetur? Itaque in primo unum est, idest, ira sola; in secundo duo, & ira & vox, quæ iram significat; in tertia*

tria,

tria, & ira., & vox, quæ iram significat, & in voce ipsa certæ vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres textus; Judicii, [Matt. 6. 22.] *Concilii, & Gehennæ ignis.* Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio; qui autem dixerit fratri suo: *racha*, reus erit Concilio; qui autem dixerit: *fatue*, reus erit Gehennæ ignis. *Nam in Judicio adhuc defensioni datur locus; ad Concilium videtur pertinere Sententiæ prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se, qui judicant, conferunt, quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum; Gehennæ vero ignis nec damnationem habet dubiam, nec damnati pœnam, sicut Concilium; in Gehenna quippe ignis certa est & damnatio, & pœna damnati... si irasci fas non est patri suo, aut dicere* racha, *aut dicere* fatue, *multo minus fas est animo tenere aliquid, ut in odium indignatio convertatur. Ad quod pertinet etiam, quod alio* [S. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. cap. 9.] *loco dicitur* Eph. 4. 59.: non occidat Sol super iracundiam vestram.

[S. Tho. 2. 2. q. 158. a. 3.] *Hos tres Iræ gradus, & vindictæ grave peccatum esse nullus dubitet. Repentinus vero Iræ motus, vel deliberatus quidem, sed ex levi vindictæ appetitu, veniale tantum est. Ira inveterata, si facta est, jam odium dicitur; & qui odit fratrem suum, homicida est (a).* [S. Aug. Hom. 42. ex 50.] [(a) 1. Joa. 3. 15.] Quapropter *multo melius est, ut nec juste cuiquam irascamur, quia etiam, juste irascendo, in alicujus odium iræ occulta facilitate delabimur;* [S. Aug. ep. 149.] quod maxime cavere debent Sacerdotes, & Prælati, ut fuse demonstrat Sanctus Gregorius Papa 2. Pastor. cap. 6.

Iræ filiæ sunt Rixa, Tumor mentis, Contumelia, Clamor, Indignatio, & Blasphemia.

Rixa est contradictio usque ad facta perveniens, dum unus alterum lædere molitur. [S. Tho. 2. 2. q. 158. a. 1.] Vir Iracundus, (sic Prov. 29. 22.) *provocat rixas; & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.*

Tumor mentis hìc accipitur *pro inordinato animi motu, quo quis varios quærit ulciscendi modos.* Lethale peccatum est, cum homo iratus gravem, injustamque vindictam Proximo, a quo læsus est, inferre meditatur. [Id. ibi, a. 7.]

Contumelia est *verbalis injuria in Proximi dedecus;* & ipsa *lethale peccatum est, si animo dedecorandi Proximum, & honorem illius violandi proferatur; aut tam grave sit, quod temere profertur convitium, ut, personarum conditione circumstantiisque spectatis,*

tis, ejus honorem reipsa lædat plurimum, quamvis eo fine verbum injuriosum non proferatur. Quo in casu, ut communiter docent [Id. ibi. a. 2.] saniores Theologi, tenetur etiam ad restitutionem honoris; nec excusatur a peccato gravi, qui contumelias contumeliis repellit. *Gravius* vero, *est eo animo facere, ut convitiator, vel contumeliosus, magis frendeat, intusque discerpatur;* aliter erit veniale. [Id. ibi. q. 72. a. 2.]

Clamor, ex ira procedens, est *inordinatus, confusus, elatusque sermo, quo quis iram, animo in alium conceptam, manifestat.* Lethale peccatum est, si appetitum deliberatum mortis, aut gravis alicujus damni Proximo inferendi, exprimat; alias veniale. [S. Greg. lib. 5. Mor. cap. 30.]

Indignatio est *animi motus, quo quis a familiaritate illius abstinet, a quo vel revera offensus fuit, vel se offensum putat.* Lethale peccatum est, si gravem Proximi contemptum contineat; si grave pusillis scandalum afferat; si in gravi necessitate corporis, aut animæ, constitutum juvare renuat. [DD. com.]

Blasphemia est verbalis injuria ab irato prolata contra honorem Dei, vel Sanctorum. De Blasphemia egimus supra in explicatione Secundi Præcepti Dec. lib. 2. [V. pag. 160.]

Remedium adversus Iram est Patientia, de qua plures Ecclesiæ Patres fusius scripserunt, inter quos Tertullianus, Sancti Cyprianus, & Augustinus. Utilissimum erit considerare, primum, quæ passus est Christus; secundo quod *zelus & iracundia minuunt dies;* [Eccli. 30. 26.] tertio quod uti *ira viri justitiam Dei non operatur;* [Jac. 1. 20.] sic *in patientia nostra possidebimus animas nostras (a)*, [(a) Luc. 21. 19.] juxta Apostoli verba: *in fide, & patientia hæreditabimus promissiones.* [Hebr. 6. 12.]

ARTICULUS VII. ET ULTIMUS

De Accedia.

Accedia est quædam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat. Hujusmodi autem tristitia semper est mala, quandoque secundum se ipsam, quandoque secundum effectum. Tristitia enim secundum se mala est, quæ est de eo, quod est apparens malum, & vere bonum; sicut e contrario mala delectatio est, quæ est de eo, quod est apparens bonum, & vere malum. Cum ergo spiritale bonum sit vere bonum, tristitia, quæ est de spiritali bono, est secundum se mala.

Quia ergo Accedia secundum quod hìc sumitur, nominat tristitiam spiritalis boni, est dupliciter mala, & secundum se, & secundum effectum; & ideo Accedia est peccatum. [S. Damasc. lib. 2. de Fid. Orth. cap. 14.]

Id apertissime constat, si animadvertatur, quod hujusmodi peccatum est *Præcepto directe oppositum Charitatis, quam debemus Deo*; & Præcepto, quo dicitur: *delectare in Domino (a)*; cujus delectationis necessitatem egregie ostendit Sanctus Augustinus; & Præcepto esuriendi, & sitiendi justitiam, quod exponit idem Augustinus; & Præcepto tandem de sanctificatione Sabbathi, ut declarat Divus Thomas. Hinc negligentia propriæ salutis, mediorumque ad eam consequendam, a Deo, & Domino nostro Jesu Christo institutorum, vel Divinorum mandatorum, aut officiorum, quæ singulis sunt propria & necessaria secundum statum, ad quem vocantur a Deo, lethale peccatum est]. Similiter *Accediæ reus est, qui bona fastidit; qui tempus inutiliter terit; qui segnis est in suscipiendis Sacramentis, in spiritalibus exercitiis peragendis; qui negligit vitam emendare, virtutes acquirere, in perfectione proficere, pro conditione sui status.* [S. Tho. q. 11. de Peccat. a. 3.] [(a) Psal. 36. 4.] [Ser. 5. ex Sir.] [Lib. de perf. Just. c. 8.] [2. 2. q. 31. a. 2.] [DD. com.] [S. Tho. 2. 2. q. 31. a. 2.]

Videte, ut ab hoc vitio, sicut decet, abhorreatis, *videte*, inquit Augustinus, *quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? Breviter dico. Proficere; ne forte non intelligatis, & pigrius ambuletis .... Si dixeris: sufficit, jam periisti. Semper adde; semper ambula; semper proficere.* [Ser. 15. de verb. Apost.]

Hanc ob causam nos amanter urget hisce verbis Redemptor noster, Christus, *estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; ad quæ verba Divus Petrus, *satagite*, inquit, *ut per bona opera vestra certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Nec hoc consilium est, ut sæpe docet Sanctus Thomas, sed Præceptum, stricte omnibus, tam Religiosis, quam sæcularibus injunctum, cum omnibus dictum sit: *diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis. Qui justus ergo est, justificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Crescite* semper *in gratia, & cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi*; præcipue *cum contemptus proficiendi in Virtutibus absque dubio lethale crimen est.* [Matt. 5. 48.] [2. Pet. 1. 10.] [Matt. 22. 37.] [Apoc. 22. 11.] [S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 2.]

Ex Accedia nascuntur Malitia, Rancor, Pusillanimitas, Desperatio, Torpor, Evagatio mentis. [S. Greg. lib. 31. Mor. cap. 17.]

Malitia hoc loco est *impugnatio bonorum spiritalium, quorum in detestationem adducit Accedia*. Hæc malitia improborum hominum character est, qui in Infernum detrusi per totam æternitatem [Id. ibi.]

nitatem dicturi sunt intra se, pœnitentiam inutiliter agentes, & præ angustia spiritus gementes: *hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii; nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & vitam illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* [Sap. 5. 3. 4.]

Rancor est indignatio quædam adversus homines, qui ad spiritalia bona, suis adhortationibus, monitis, increpationibus, & salubri correptione, nos impellere, & ad salutem æternam, vel perfectionem spiritalis vitæ, promovere nituntur. Si gravis est hujusmodi Rancor, grave quoque peccatum est, juxta illud: *qui vos spernit, me spernit.* [Luc. 10. 16.]

Pusillanimitas est vitiosa virium suarum diffidentia, qua quis opera difficilia & ardua, suam facultatem, Dei gratia adjutam, non excedentia, quæ consiliis subsunt, refugit, & aversatur ex animi parvitate, & abjectione. Si se homo retrahit ab operibus ad salutem necessariis, vel pertinaciter munera ad salutem conducentia, falsæ humilitatis prætextu, v. gr. Pastoralem curam recusat, contra Superioris mandatum, graviter peccat. [S. Tho. 2. 2. q. 133. a. 1.]

Desperatio fuga est ultimi finis, seu vitium est, quo de ultimi finis assecutione quis desperat, ideoque omnem salutis suæ curam abjicit, vel peccatorum suorum gravitate, vel Divinæ Prædestinationis arcano, judiciorumque Dei severitate perterritus. Hujusmodi diffidentia non solum est peccatum, sed maximum peccatorum. [DD. com.]

Torpor est remissio quædam, & dejectio animi circa Præceptorum observantiam, ita ut ab homine vel penitus omittantur, vel negligenter, perfunctorie, & oscitanter impleantur. Hinc Psal. 118. 28. *dormitavit anima mea præ tædio.* Verum circa Præcepta torpere grave crimen est. Huc refertur immoderatus somnus, otium &c.

Evagatio mentis est inquieti animi motus, quo propter tristitiam & tædium, a spiritalibus Divinisque bonis ad exteriora se transfert, ut illicitas ex eis delectationes percipiat. Sæpe grave peccatum est.

Ad hoc vitium quammaxime fugiendum juvabit plurimum considerare, quod *veniet nox, quando nemo potest operari*. Quapropter Spiritus Sanctus ad operandum hisce verbis nos excitat: *quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos*, [Joa. 9. 4.] [Eccli. 9. 10.]

quo tu properas . Secundo feriat ſæpe aures noſtras clangor illius tubæ inertium, ignavorumque auribus intonituræ: *omnis ar-*
Luc. 3. 9. *bor, non faciens fructum bonum, excidetur , & in ignem mittetur ;*
Id. 13. 7. *quid* enim *etiam terram occupat ?* Conſideremus denique, quæ, & quot efficiant, & patiantur filii hominum, mundo inſervien-
1. Cor. 9. 25. tes, ut *corruptibilem coronam accipiant* . Quid igitur faciendum nobis, ut *incorruptam accipiamus* , quam accipientibus *merces copio-*
Matt. 5. 12. *ſa erit in Cœlis ? Ubi* profecto , *quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ , ſupra modum in ſublimitate*
2. Cor. 4. 17. *æternum gloriæ pondus operabitur in nobis* .

CAPUT SECUNDUM.

Regulæ ad gravia peccata a levibus diſtinguenda.

Q*Uæ ſint peccata , quæ ita impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen Sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam , difficillimum eſt definire . Ego certe uſque ad hoc tempus , cum inde ſatagerem , ad eorum indaginem pervenire non potui . Et fortaſſis propterea latent , ne ſtudium proficiendi , ad om-*
S. Aug. lib. 20. de Civ. Dei c. ult. *nia peccata cavenda , pigreſcat* . Quorum ſane *quædam* leviſſima putarentur , niſi *in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora* , *Quis enim dicentem fratri ſuo :* fatue, *reum Gehennæ putaret , niſi Veritas* (Matt. 5. 22.) *diceret ? Cui tamen vulneri ſubjecit continuo medicinam , Præceptum Fraternæ reconciliationis ad-*
Id. Enchir. c. 79. *jungens* . Hinc *accidit* , *quod peccata , quamvis magna & horrenda , cum in conſuetudinem venerint , aut parva , aut nulla eſſe credantur , uſque adeo , ut non ſolum occultanda , verum etiam jam prædicanda , ac diffamanda videantur . . . . Non afferamus ergo ſtateras doloſas , ubi appendamus , quod volumus , & quomodo vo-*
Id. ibi. cap. 80. *lumus , pro arbitrio noſtro , dicentes : hoc grave , hoc leve eſt* .

Quapropter ne erremus in re tanti momenti , in qua de æterna noſtra ſalute agi poteſt , etiam atque etiam optamus , ut Parochi & Confeſſarii , ad peſſimas quorumdam malorum Theologorum , & Jeſuitarum fere omnium , Doctrinas non attendentes , eos libros tantum legant , in quibus nihil aſſeritur , ad Chriſtianam moralem pertinens , quod Scripturarum , & SS. Patrum auctoritati non innitatur . Hujuſmodi ſunt , inter alia permulta aliorum doctiſſimorum Theologorum , inſignia Patris Natalis Alexandri Opera , ad Fidelium eruditionem cum maxi-
ma

ma totius Eccleſiæ utilitate , edita , & ubique accepta , & probata , & Patris Danielis Concina celeberrima Chriſtiana Theologia . Tunc fortaſſe non amplius tot forent pernicioſiſſimæ Quæſtiones inter Chriſtianæ moralis Magiſtros , quorum aliqui , unam eamdemque actionem mortale eſſe peccatum propugnant , alii veniale ſolummodo affirmant ; quinimmo ſunt etiam eorum aliqui , qui , actionem illam eamdem meritoriam fore , ſi Deo placitum ſit , contendant . Veritas interim latet ; immo eidem oculi conſulto etiam occluduntur , & plerumque , ſolo partium ſtudio , vel ſuperbiæ vi , ſimplicibus incautiſque Fidelibus ea traduntur , quæ Divinis Evangelicis documentis omnino adverſantur . Nos itaque , ne noſmetipſos alioſque decipiamus , iis omnibus omiſſis , quæ imprudentes recentiores Caſiſtæ ſcripſerunt , eas Regulas ſolummodo dabimus , quas a Sanctiſſimis & Doctiſſimis Scriptoribus traditas legimus .

Prima igitur *Regula* , eaque omnium præcipua , eſt , ut alibi monuimus , Sacra Scriptura . *Afferamus* utique *Divinam ſtateram de Scripturis Sanctis , tanquam de theſauris Dominicis , &*
in illa quod ſit gravius appendamus ; immo non appendamus , ſed Id. lib. 2. de Bapt. cap. 6.
a Domino appenſa recognoſcamus . Etenim *quæ ſint levia , quæ gravia peccata , non humano , ſed Divino ſunt penſanda judicio . Videmus enim quædam ab ipſis quoque Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe*
conceſſa . . . . quale eſt , quod venerabilis Paulus conjugibus ait : 1. Cor. 7. 5.
nolite fraudare invicem niſi ex conſenſu ad tempus , ut vacetis orationi , & iterum ad ipſum eſtote , ne vos tentet Satanas propter incontinentiam veſtram ; *quod putari poſſet non eſſe peccatum , miſceri ſcilicet conjugi , non filiorum procreandorum cauſa , quod bonum eſt nuptiale , ſed carnalis etiam voluptatis , ut fornicationis , ſive adulterii , ſive cujuſcunque alterius immunditiæ mortiferum malum , quod turpe eſt etiam dicere , quo poteſt , tentante Satana , libido pertrahere , incontinentium devitet infirmitas . Poſſet ergo , ut dixi , hoc putari non eſſe peccatum , niſi addidiſſet :*
hoc autem dico ſecundum veniam , non ſecundum imperium . Ibi 6.
Quis autem jam eſſe peccatum neget , cum dari veniam facientibus
Apoſtolica auctoritas fateatur ? Tale quiddam eſt , ubi dicit : au- Ibi cap. 6. 1.
det quiſquam veſtrum adverſus alterum negotium habens judicare apud iniquos , & non apud ſanctos ? . . . . *& hic poſſet putari judicium habere adverſus alterum non eſſe peccatum , ſed tantum-*
modo id extra Eccleſiam velle judicari , niſi adiungeret : jam qui- Ibi 7.
dem omnino delictum eſt in vobis , quod judicia habetis inter vos .

vos. *Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret, justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam velit a se Judicum sententia removeri, continuo talibus cogitationibus, vel excusationibus, occurrit, atque ait:* quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? *Ut ad illud redeatur,* [Matt. 5. 40.] *quod Dominus ait:* si quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium; *& alio lo-* [Luc. 6. 30.] *co:* qui abstulerit, *inquit*, tua, noli repetere. *Probibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium. Ex qua Doctrina Apostolus dicit:* esse delictum. *Tamen, cum sinit in Ecclesia talia judicia finiri inter fratres, fratribus judicanti-* [S. Aug. Enchir. cap. 78.] *bus, extra Ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est etiam hic, quid secundum veniam concedatur infirmis. Ante omnia* ergo *opus est, Dei timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem, quid* [Id. lib. 2. de Doct. Chris. c. 7] *nobis appetendum, fugiendumque præcipiat.*

Ille propterea *erit Divinarum Scripturarum solertissimus inda-* [Id. ibi. cap. 8.] *gator, qui primo totas legerit, notasque habuerit.* Et sane *in his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Cujus operis, & laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros..... Deinde illa, quæ in eis aperte posita sunt, vel Præcepta vivendi, vel Regulæ credendi, solertius diligentiusque investiganda sunt..... in iis enim inveniuntur illa* [Id. ibi. cap. 7.] *omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi.* Ad hoc atten- [2. Tim. 3. 16.] dens Apostolus, asseveranter affirmavit: *omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Secunda Regula sunt Patres, Concilia, Canones, & Decreta Pontificum. Quapropter si difficile & ambiguum apud nos judicium esse perspexerimus, recurrendum est ad Patres; non consulendi recentiores Casistæ, ut defendere, & vulgare ausus est petulantissimus P. Cellot Jesuita, nixus auctoritate P. Reginal- [De Hier. lib. 8. cap. 16.] di, pariter Jesuitæ. Sancti enim Ecclesiæ Patres, a Deo illuminati, & in Sacrarum Scripturarum interpretatione versatissimi, ea semper docuerunt, quæ uni æternæque Veritati consona erant omnino. Faciendum porro est quodcunque dixerint; & sequenda est eorum sententia, neque declinandum ad dexteram, vel ad sinistram. *Non te prætereat*, sunt Spiritus Sancti verba, [Eccli. 8. 11.] *non te prætereat narratio Seniorum; ipsi enim didicerunt a Patri-* [1. Tim. 6. 20. 21.] *bus suis.* Et Doctor Gentium dilectissimo Timotheo suo id ve-

he-

hementer inculcabat hisce verbis: *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa Fidem naufragaverunt.* Verum *quis est hodie Timotheus, nisi vel generaliter Ecclesia universa, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram Divini cultus scientiam & habere ipsi debent, & aliis infundere? Depositum custodi. Quid est Depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed Doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ Traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non in-* [S. Vinc. Lirin. Com. c. 27.] *stitutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.*

Hinc illud prorsus evincitur, quod sit *Lex communis Ecclesiæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consacrati, & Decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia. Nolite* igitur *errare, Fratres* [Silv. II. Pap.] *mei dilectissimi, Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. En instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum, Canonesque habetis. His fruimini, ut his circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis;* eorum scilicet ini- [Jul. Pap. ep. 1.] micorum, qui pravis suis, & laxissimis Doctrinis inter Christianos execrandas consuetudines induxerunt. *Videri possunt, quæ alibi diximus de Scientia, quæ in Confessariis necessario requiri-* [Pag. 252. Vol. 1.] *tur.*

Tertia Regula nititur Rationi, Theologorum Doctrinæ, & [S. Aug. lib. 3. cont. Acad. cap. 20.] Auctoritati præstantiorum; *nulli* enim *dubium est, gemino pondere nos impelli ad discendum; Auctoritatis, atque Rationis.* Et circa Auctoritatem unusquisque *tenebit hunc modum, ut eas* Sententias, *quæ ab omnibus accipiuntur, præponat eis, quas* quidam *non accipiunt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores minorisque auctoritatis tenent. Si autem alias invenerit a* [Id. lib. 2. de Doct. Chris. c. 8] *pluribus, alias a gravioribus haberi, æqualis auctoritatis eas habendas puto.* Nos igitur Jesuitas execrantes, qui impune potuerunt asserere, quod *ea, quæ Auctores docent libris impressis, vel-* [Baun. Theol. Mor. tract. 6. n. 312.] *le censetur Ecclesia, si non reclamet;* & quod *hoc ipso, quod Ecclesia scit suas Leges ita a multis Doctoribus explicari, & tales explicationes permittit publice imprimi & doceri, censetur suum* [Maschar. tract. 5. n. 491.] *præceptum secundum eas moderari;* ex quo sequeretur profecto, quod ipsi volebant, Ecclesiam suo silentio tot impias, & perniciosis-

simas

simas eorumdem Jesuitarum, & plurimorum aliorum Probabilistarum Doctrinas approbavisse; nos, inquam, declaramus, ei parti semper esse adhærendum, pro qua stat Saniorum, & Prudentiorum multitudo, præ mente habentes Spiritus Sancti verba: *in multitudine Præsbyterorum prudentium sta, & Sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire . . . & si videris sensatum, evigila ad eum.* Et hic notandum est, fuse, & de more egregie, rejici a Sancto Augustino hoc Principium: *cum agit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.*

Eccli. 6. 36.

Lib. 3. cont. Acad. cap. 16.

Et ad hanc rem utile erit referre erroneam hanc Propositionem, propugnatam a P. Thoma Tamburino, & damnatam ab Innocentio XI. Summo Pontifice: *generatim dum Probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quamtumvis tenui, modo a Probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus;* cui duæ aliæ Propositiones sunt adjungendæ pariter a Jesuitis divulgatæ, & ab eodem Pontifice proscriptæ, quarum prima hæc erat: *Judex potest judicare juxta Opinionem minus probabilem;* secunda vero: *ab Infidelitate excusabitur Infidelis non credens, ductus Opinione minus probabili.*

Lib. 5. in Decal. cap. 3. § 2. n. 30.

Verum etiam ante Innocentium XI., ab Alexandro VII. solemniter damnatæ fuerunt duæ aliæ eorumdem Probabilistarum Propositiones. Prima erat hujusmodi: *quando litigantes habent pro se Opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio;* altera vero: *si liber sit alicujus junioris ac moderni, debet Opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem.* Quapropter ad reddendam Opinionem aliquam probabilem, idest dignam, ut approbetur, uti docet cum omnibus sanioribus Theologis Sanctus Thomas, non sufficit quælibet frivola ratio, & quælibet auctoritas unius, vel aliquorum audacissimorum & imperitorum Probabilistarum; sed requiritur ratio valida, consona Scripturis, Canonibus, & Patribus; & in moralibus Controversiis consulendi sunt Episcopi, & accuratiores Theologi, qui Doctrina & Pietate excellant.

Quod. 3. q. 3. a. 2.

Quoniam vero *est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem, in dubiis tutior pars est eligenda.* Sane si consuluerimus Summorum Pontificum Decisiones in Gratiani Decreto, & in Decretalibus, clarissime constabit, ipsos in dubiis Quæstionibus tutiorem partem semper amplexos fuisse.

Prov. 14. 12.

Ex var. Can.

Nec

Nec vero id locum habet tum etiam, cum patet aliqua alia via æque tuta; *eligere enim viam tutiorem Consilii est, non Præcepti. Alias oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in Sæculo manere. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta. Sicut enim diversæ viæ tendunt ad unam Civitatem, licet una tutior alia sit; sic ad Civitatem istam alius sic, alius sic vadit, & tute, licet aliquis tutiori modo.*

S. Anton. p. 1. tit. 3. de Consc. cap. 10. §. 10.

Si quis igitur *velit* (sunt Cardinalis Bellarmini verba, cujus tamen quædam audacissima scripta publice fuerunt Carnificis manu combusta), *si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant; & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi . . . . Agitur enim de summa re, cum de salute æterna tractatur, & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum inducere, & eo modo, conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

Admon. ad Ep. Theat.

Quapropter si adeo caute procedere debemus in iis, quæ ad mores nostros bene instituendos pertinent, quid dicendum modo erit de nonnullis Parochis, pluribusque animarum Rectoribus, qui persuasi, quod *Probabilismus Christo Domino summe familiaris fuerit*, (Propositio, quæ, uti erronea & impia, damnata fuit a Clemente XIII. IV. Kal. Martii an. 1761.), quique jactitantes se esse veri nominis Probabilistas, cum in consultationem alicujus rei ad Christianam moralem pertinentis vocantur, continuo, incredibili audacia nullaque religione, temere decernunt, quod *quælibet probabilis Opinio tutam reddit conscientiam in operando* (a); quod *tametsi rationes* (alicujus Doctoris) *non probentur in se ipsis, viri magni auctoritas satis est magna ratio, ut judicemus rationes illius esse probabiles* (b); quod *vir doctus, ab alio consultus, ipsi consilium dare potest secundum probabilem aliorum sententiam, tametsi eam sibi speculative falsam esse certo sibi persuadeat* (c) & ideo *potest modo juxta unam, modo juxta contrariam Opinionem consulere* (d); quod *distinctio de opinione in damnum alterius, & de ea, quæ non est in damnum alterius, frustra adducitur;* & quod *hoc ipso quod Opinio probabilis est, pœnitens potest illam amplecti absque culpa injustitia* (e); quod *quando datur Opinio probabilis ex parte subditi*,

(a) Escob. Theol. Mor. tom. 1. lib. 2. Sect. 1. cap. 2.
(b) De Rhod. Disp. 2. de Act. Hum. q. 2. §. 1.
(c) Laym. tract. 1. de Consc. c. 5. §. 2. n. 7.
(d) Id. ibi.
(e) Vasq. 1. 2. q. 19. a. 6. Disp. 62. c. 7.

ti, quod non teneatur obedire, etiamsi contraria sententia sit probabilior, licitum est subdito eam amplecti, quæ sibi gratior fuerit (a); quod universaliter, tam in materia fidei quam morum, licitum est sequi quamcunque Opinionem directe minus probabilem, minusque tutam, etsi opposita sit, & credatur probabilior, & tutior (b); quod unusquisque varius esse potest in actionibus suis, modo Opinionem unam in praxi sequendo, modo contradictorie oppositam, dum utraque probabilis est; hodieque unam sequi potest; v. gr. tributum exigendo secundum Opinionem de justitia illius, & momento sequenti illud defraudando secundum oppositam Opinionem, quæ dicit illud esse injustum (c); quod ille, qui consulitur, meliorem se geret consiliarium, sæpe id consulens, quod facilius, & cum minori incommodo præstari potest (d); quod nunquam periculum est corruptionis, quando aliquis sequitur id, quod videbitur commodius, modo probabilis Opinio doceat id esse licitum (e); quod illud commune dictum: in dubio tutior pars est eligenda, ita intelligendum est, quod tutior pars sit declinare in partem magis favorabilem (f); quod dum Infidelis sibi persuasum habet suam Sectam esse probabilem, quamvis vera & Catholica fides videatur ipsi probabilior, extra articulum mortis non tenetur veram & Catholicam amplecti (g); immo ne in mortis quidem articulo ad id tenetur; sed etiam tunc Opinionem minus probabilem sequi potest (h); quod si quis probabiliter credat se jam confessum de aliquo mortali, vel se non commisisse tale peccatum .... non tenetur ad confessionem illius, etiamsi forte probabilius sit consensisse, vel peccasse mortaliter, vel confessum non fuisse (i); quod Sacerdos, qui probabiliter existimat sufficienti se potestate præditum ad excipiendas Confessiones, etiamsi probabilius existimet oppositum, talis nullo modo peccabit audiens Confessiones (k); quod licitum est Medico applicare medicamentum, quod putat probabile saltem per extrinseca principia, eo omisso, quod sibi probabilius, & securius videtur (l); quod cuivis licitum est varios adire Doctores, donec inveniatur, qui respondeat ad libitum, dummodo recta sit intentio nihil utique faciendi nisi probabiliter licitum (m); quod Sodomia ex suo genere minus peccatum est furto triginta regalium (n); quod habens voluntatem peccata omnia venialia committendi non peccat mortaliter (o); quod Clericus recitans Horas de præcepto in peccato mortali, & cum proposito actuali peccandi mortaliter, non peccat; quia voluntas colendi Deum stat cum isto proposito (p); quod quando

(a) Sanch. lib. 6. in Decal. c. 3.
(b) Teril. in fund. Theol. Mor. q. 23. assert. 1.
(c) Tambur. lib. 1. in Dec. c. 3. §. 5. n. 1. &c.
(d) Escob. in Proem. Ex. 3 c. 6.
(e) De Rhod. Sect. 5. §. 2. in fine.
(f) Martin. Disp. 14. de Act. Hum. Sect. 4.
(g) Sanch. lib. 2. in Decal. c. 1. n. 6.
(h) Palao tom. 1. tract. 1. Disp. 12. n. 14.
(i) Dicast. de Conf. tract. 4. Disp. 9. dub. 8. n. 134.
(k) Sanch. lib. 1. cap. 9. n. 34. & 35.
(l) Salas tract. 8. Disp. 1. Sect. 14. n. 136.
(m) Sanch. lib. 1. in Decal. c. 9. n. 4.
(n) Vasq. 1. 2. q. 72. a. 4. c. ult.
(o) Granad 1. 2. Contr. 6 tract. 2. Disp. Sect. 7
(p) Sanch. op. mor. lib. 7. c. 2. dub. 9.

justæ & rationabiles causæ non tollendi occasionem (proximam) subsistunt, etiamsi sæpe reincidat pœnitens, non cogendus est illam tollere occasionem; v. gr. dum tolli non potest absque gravi damno in fama, vel pecunia (a); quod non est dimittenda professio, in qua periculum est Deum sæpius offendendi, animamque suam perdendi, si professio illa facile dimitti non possit (b); quod non est compellendus famulus, qui manet apud Hæreticum in occasione proxima transgrediendi Ecclesiæ Præcepta, vel adhærendi damnatis Hæreticorum Dogmatibus, necessitate compulsus, ob defectum alterius conditionis, seu famulitii (c); quod licet singulis lupanar ingredi ad odium peccati ingenerandum meretricibus, etsi metus sit, ac vero etiam verisimilitudo non parva, eos peccaturos, eo quod malo suo sæpe sunt experti, blandis se muliercularum sermonibus, ac illecebris flecti solitos ad libidinem (d); & quod etiam absolvi potest fœmina, quæ domi suæ virum excipit, cum quo sæpe peccat, si eum honeste inde non potest ejicere, aut causam aliquam habet eum retinendi, dummodo firmiter proponat, se cum eo amplius non peccaturam (e); quod causæ justæ excusantes eos, qui versantur in occasione proxima patiendi aliquam pollutionem, illa sunt, quæ bona fide apparent necessariæ, utiles, immo & commodæ, corpori, vel animæ, etiam ubi nec necessitas, nec utilitas adest (f); quod gravi ex causa potest quis se committere morali certo periculo peccandi (g); quod ad peccandum formaliter necessaria est actualis reflexio, seu advertentia, & cogitatio, vel saltem actuale dubium, vel scrupulus de malitia actionis (h); quod consensus voluntatis in objectum malum, quantumvis longo tempore duret, non est peccatum mortale, nisi præcesserit actualis cogitatio malitiæ mortalis (i); quod Christianus adeo suæ salutis negligens, ut ad audienda mysteria fidei ad Ecclesiam nunquam accedat, & ideo solum novit se esse Christianum, & solum credit in genere omnia, quæ credit Ecclesia, & præterea nullam aliam rem fidei explicite cognoscit, habet invincibilem ignorantiam rerum credendarum (k); quod Leges civiles de facto vel raro, vel certe non frequenter, obbligant sub mortali; Ecclesiasticæ item non multum frequenter (l); quod nihil Deus nisi media præcipit conscientia; unde nec mendacium vetat, quando conscientia judicabit illud non vetari (m); quod ad peccatum mortale requiritur plena, seu perfecta consideratio, malitiæ mortalis per judicium de tali malitia, vel periculo illius (n); quod qui agit dubitans esse mortale, quod agit, & non reflectat esse

(a) Dicast. tract. 8. de Pœn. Disp. 10. dub. 23.
(b) Apolog. Casuist. p. 48.
(c) Ibi.
(d) Baunius Theol. Mor. p. 1. tract. 4. de Pœn. q. 14.
(e) Id. ibi.
(f) Tambur. l. c. 3. §. 5. n. 52.
(g) Gobat tom. 3 tract. 5. c. 45. n. 49.
(h) Vasq. 1. 2. disp. 123. c. 2.
(i) Id. ibi. disp. 107. n. 3.
(k) Teril. Reg. mor. q. 16. Sect. 2.
(l) Tambur. l. 1. in Decal. c. 3. §. 8. n. 12.
(m) De Rhod. Disp. 2. q. 2. Sect. 2.
(n) Amic. tom. 3. Disp. 17. Sect. 8.

esse mortale, cum tali dubio agens, excusabitur a mortali (a); quod raro, vel nunquam, tenetur homo se præparare ad gratiam, ut ignorantiam tollat (b); quod qui ex inveterata consuetudine, velut quodam necessario impetu, rem malam agit; v. gr. materiales blasphemias, aut perjuria effundit, tunc nec peccat, nec proprie blasphemat, & pejerat (c); quod verba blasphema, quæ ex prava consuetudine, quam quis extirpare negligit, ante rationis animadvertentiam proferuntur, non sunt vere, & proprie peccata.... sed effectus peccatorum; puta pravæ consuetudinis (d); quod qui ex pravo habitu jurat, si ita subito juret, ut plenam animi deliberationem jusjurandum præveniat, lethalis peccati reus censendus non est (e); quod si desit advertentia plena, & ex ea oriatur blasphemia, etiamsi adsit consuetudo blasphemandi, non committitur peccatum mortale, quia ad peccatum mortale requiritur advertentia plena; & undequaque oriatur defectus illius, excusat a peccato (f); quod quæcunque actu non cogitas peccata esse, vel certe non dubitas, non sunt ullo modo peccata, etiamsi ante sciveris esse peccata (g); quod qui ex voluntate efficaci obtinendi aliquid a Dæmone, aut ex alio pravo affectu & malo fine, sibi hic & nunc efficaciter imperaret odium Dei, non peccaret formaliter odio Dei, sed solum prava illa voluntate habendi odium Dei, quæ de se minus mala est, quam ipsum formale odium Dei (h); quod licitum est die Sabbathi proficisci, ad venationem instituendam, in loco tam remoto ab omni Ecclesia, ut impossibile sit die Dominico audire Sacrum (i); quod deobligatus ob impotentiam a majori parte operis præcepti; v. gr. lectionis Horarum, eo ipso deobligatus est etiam a minori, ad quam est potens (k); quod non tenetur ad Matutinum & Laudes, qui potest hæc dicere, at nequit cæteras Horas (l); quod ne veniale quidem est uti dispensatione obtenta sine causa (m); quod nulla consuetudo, etiam communi existimatione obligatoria, obligat, nisi constet esse fundatum in voto, vel Lege (n); quod expulsus a Religione non tenetur se emendare, ut ad illam redeat, neque obligatur voto obedientiæ (o); quod qui tempore Sacri deliberato animo volvit sceleratas cogitationes ac desideria, non tenetur in Confessione dicere se ea volvisse tempore Sacri (p); quod uxor licite negligit Sacrum, quando parandum est prandium, aut convivium (q); quod in dubio, an adsit causa, vel periculum sufficiens, excusans ab auditione, non est opus dispensatione (r); quod eximitur a Breviario, quicunque laborat oculis, si timeat, ne, legendo Horas, vim amittat videndi, licet interim legat fabulas,

(a) Sanch. lib. 1. in Decal. c. 16. n. 18.
(b) Filiuc. tom. 2. tr. 10. n. 372.
(c) Laym. lib. 1. tract. 2. c. 3. n. 6. & l. 4. tract. 10. c. 6. n. 2. & 3.
(d) Id. ibi.
(e) Azor. l. 1. Inst. Mor. c. 3.
(f) Filiuc. tract. 25. c. 1. n. 27.
(g) De Rhod. disp. 1. de pecc. q. 3. Sect. 2. §. 3.
(h) Tamb. p. 1. Tract. 1. C. 8. q. 1.
(i) Gobat tract. 5. de Sacr. n. 918.
(k) Id. ibi. n. 623.
[l] Palao tract. 7. disp. 2. p. 6.
[m] Suar. l. 6. de Leg. c. 29. n. 14.
[n] Arriag. de Leg. Disp. 25. n. 8.
[o] Escob. tract. 6. Ex. 7. n. 111.
[p] Gobat. tract. 5. n. 240.
[q] Id. ibi n. 306.
[r] Id. ibi. n. 978.

bulas, vel Historias (a); quod qui sacrilege communicat (pro Jubilæo), ordinationi Pontificis, Communionem requirentis, satisfacit ex Opinione Cardinalis de Lugo, eo quod Sacrilega Communio sit proprie Communio (b); quod qui tempore Paschali non satisfacit Præcepto Communionis, probabiliter non tenetur postea implere (c); etiamsi ipse tempore Paschali communicare noluerit, cum posset (d); quod qui potest conficere iter eques, & sic servare jejunium, potest illud conficere pedes, & sic liberare se a jejunio (e); quod probabile est, nullos artifices, ne sartores quidem & barbitonsores, obligari ad jejunium (f); quod uxor non valens se gratam servare viro ob maciem, vel pallorem, excusatur a jejunio (g); quod excusatur etiam puella, nubere volens, si ex continuato Quadragesimæ jejunio speciositatem faciei notabiliter amittat, ita ut ea visa statim de macie extra suum morem notaretur (h); quod excusantur conjuges, quando jejunando nequeunt reddere debitum, etiamsi compartem a debito exigendo precibus avertere possent (i); quod licitum est solvere jejunium amici gratia nos invitantis ad prandium, vel peregrini excipiendi causa (k); quod qui in die jejunii Quadragesimalis non potest jejunare nisi comedat ova, aut lacticinia, probabiliter non tenetur ea comedere, ut jejunet (l); quod adultus, ratione utens, si in infantia baptizatus fuerit, sine fide actuali salvari potest (m); quod non peccat, qui constitutus in angustiis, & interrogatus a Calvinistis, sit ne Religionis reformatæ, responderet affirmative, eo quod Catholica Religio sit quoad mores sæpe in Conciliis reformata, præsertim in Tridentino, in quo tot Canones de Reformatione (n); quod Deus, præcipiendo sui amorem, satis habet, si sibi in aliis mandatis pareamus (o); quod Confessarius absolutionem a peccatis diviti non facile negare debet, quod communes hominum miserias per eleemosynam sublevare monitus sit; tum quia de obligatione hac, an, & qualis sit, Doctores non conveniunt; tum quia semper dives aliquam causam in specie præfert, cur recuset (p); quod non tenemur opitulari proximo gravi necessitate laboranti, nisi possimus cum levi tantum detrimento rerum nostrarum. Communem vero necessitatem patientibus non tenemur eleemosynam largiri, nisi possimus absque ullo incommodo (q); quod potest quicunque, legitima intercedente causa, petere juramentum ab eo, quem probabiliter timet esse perjuraturum; & justa ob id causa est necessitas, vel utilitas (r); quod negare verbis Deum, blasphemiaque verba proferre ex cholera, & indignatione contra

pro-

[a] Tambur. lib. 2. c. 5. §. 8. n. 13.
[b] Gobat tom. 3. tract. 3. c. 26. n. 177.
[c] Busemb. l. 6. tract. 3. c. 2. dub. 2.
[d] Henriq. apud Dicast. Dist. 10. n. 136.
[e] Id. lib. 9. c. 25.
(f) Tamb. l. 4. c. 5. §. 7.
(g) Escob. tract. 1. Ex. 13. c. 3. n. 119.
(h) Tamb. l. 4. cap. 5. § 7. n. 45.
(i) Id. ibi. n. 37.
[k] Azor. lib. 7. c. 18. q. 1.
[l] Sanch. lib. 5. Cont. mor. c. 1. dub. 32.
[m] Suar. Disp. 12. de necess. Fid. Sect. 2. n. 10
[n] Gobat tom. 2. tract. 11. n. 609.
[o] Sirmon. in defen. virt. pag. 16.
[p] Laym. lib. 2. tract. 3. c. 6. n. 2.
[q] Longuet in 1. Prax.
[r] Filiuc. tract. 21. c. 11. n. 443.

proximum, absque indignatione contra Deum, formalique intentione Deum inhonorandi, non est mortale peccatum; soli enim illi sunt rei mortalis blasphemiæ, qui verba blasphemiæ proferunt ex intentione formali faciendi contumeliam, opprobrium, vel inhonorationem Deo, vel sanctissimis membris ipsius (a); quod licitum est matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam, non possit juxta suum desiderium nuptui tradere, vel quod ob illarum causam male tractetur a marito (b); quod subditus licite potest mortem cupere sui Prælati, ut Prælaturæ ipsi succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur (c); quod probabile est & tutum, quod filii possint matrimonium inire etiam cum indignis, absque consensu parentum; immo ipsis dissentientibus (d); quod virginitatis jus, & potestas, penes ipsam virginem est, de eaque usque adeo disponere potest, invitis parentibus, ut ipsis injuria nulla fiat sive ab ipsa, sive a stupratore, dum consentiens stupratur (e); quod licet vir nobilis, ab alio impetitus, fugiendo possit vitam salvare, non tenetur fugere, sed potest, si opus sit, occidere aggredientem; quia patitur vim, quam non tenetur fuga sibi ignominiosa declinare, sed potest vi repellere (f); quod alapa percussus censetur tandiu honore privatus, quamdiu adversarium interimit (g); quod qui inimicum necat, haud proditorie dicitur occidere, si per insidias, aut a tergo percutiat (h); quod si puella ob evidens periculum gravissimi mali, v. gr. mortis, aut ingentis infamiæ, non adhibeat omnia omnino media, quæ potest, ad vim propulsandam, fornicatio non imputabitur illi ad peccatum, secluso consensu in illam (i); quod locutio de rebus turpibus solum ob voluptatem, quæ præcise oritur ex narratione absque ulteriori intentione ipsarum rerum; vel facta ex levitate, vel curiositate, non excedit culpam venialem (k); quod idem est etiam dicendum de lectione librorum turpium, & tractantium ex professo de obscœnis amoribus (l); quod Religiosus sine Excommunicatione potest habitum ad tempus dimittere, ut eat incognitus ad fornicandum (m); quod licitum est mercatori credito merces vendere pretio summo, v. gr. centum, & statim numerato eas infimo redimere pretio, v. gr. octoginta, etiamsi nullo alio animo eas credito vendat, nisi ut mox utilius numerato redimat, modo hæc in pactum non deducantur (n); quod licitum est mercatori, si mutuum petitum dare nolit, numerata pecunia, emere censum, ad unum, vel duos annos, super aliqua re frugifera, obligareque venditorem ad censum illum post illud tempus redimendum,

(a) Baun. in Sum. c. 6.
(b) Palao tom. 1. tract. 6. Disp. 4. de Char. p. 1. n. 11.
(c) Tambur. l. 5. in Decal. c. 1. §. 3. n. 29.
(d) Id. ibi. n. 5. cit. Sanch.
(e) Baun. Sum. gal. pag. 148. & Apol. Casuis. pag. 141.
(f) Taver. p. 1. tract. 6. c. 6. §. 5. q. 2.
(g) Escob. tract. 1. Ex. 7. n. 45.
(h) Id. tract. 6. Ex. 4. n. 26.
(i) Tavern. p. 1. tract. 10. c. 3. §. 1.
(k) Filiuc. tom. 2. tract. 10. c. 20.
(l) Id. ibi. n. 213
(m) Escob. tract. 6. Ex. 7. n. 103.
(n) Tamb. lib. 8 tract. 3. c. 7. § 8. n. 9. & 10.

dum, pecunia reddita, solutaque insuper pensione (a); quod Chirographum, seu debitum liquidum, v. gr. centum florenorum, cessante omni interesse, periculoque & difficultate solutionis, potest minoris emi, si debitum sit immaturum, seu solvendum in futurum (b); quod probabiliter non est usurarium, hodie solvere nongentos florenos pro mille debitis post annum, etiam absente omni difficultate solutionis, absente etiam omni damno, lucro cessante &c. eo quod jus distans minus valeat quam solutio præsens (c), quod licitum est tabernariis vinum aqua miscere, & agricolis triticum secali, ac deinde communi pretio vendere, dummodo inde deteriora non reddantur iis, quæ communiter venduntur (d); quod raro mortaliter peccatur per temerarium judicium (e); quod si alio modo quis ab injusto teste tueri nequeat, nisi falsa crimina ipsi objiciendo, probabile est, si id faciat, non peccare contra justitiam, unde nec obligari ad restitutionem (f); quod mercator probabilem habens opinionem de injusta taxatione pretii mercis alicujus, falso eam pondere vendere possit, ad istam injustitiam sibi compensandam, & a Judice de ea postea interrogatus, sub restrictione mentali jurare, quod nec supra taxam vendiderit, nec falso usus fuerit pondere (g); quod falsare non est, nec peccatum mortale, amissæ scripturæ de hæreditate, aut nobilitate, aliam similem efficere (h); quod licitum est viduæ morose delectari de cogitata copula habita tempore matrimonii; sicut & sponsæ de habenda cum sponso futuro, cum juncti fuerint (i); quod licitum est cuique petere, & accipere Sacramentum a Sacerdote existente in peccato mortali, etiam non Parocho, nec parato alias ipsum conferre, si petenti ea receptio futura est commodior, vel utilior (k); quod qui in statu peccati mortalis, & non jejunus, sumit Eucharistiam, non peccat duplici peccato in Confessione explicando (l); quod qui multoties sacrilege cum conscientia peccati mortalis communicavit, postea conversus, subito recepit totam gratiam, quam recepisset, si toties digne, & fructuose communicasset (m); quod probabile est, dolorem necessarium, ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento Pœnitentiæ, non debere esse verum & realem, sed existimatum sufficere (n); quod si quis post debitum examen legitime confessus omnia mortalia, quorum habuit memoriam, postea ante Communionem recordetur alicujus mortalis in Confessione obliti, non tenetur pro illo ante Communionem redire ad Confessarium, licet commode possit (o); quod nulla est obligatio suscipiendi Sacramentum Confirmationis (p); quod nullum est Præceptum

(a) Apol. Casuist. pag. 108.
(b) Sà verb. Debitum n. 20.
(c) Burgab. Cent. 1. Casu 45.
(d) Less. lib. 2. c. 21. Dub. 11. n. 83.
(e) Tamb. lib. 9. cap 1. §. 2. n. 4.
(f) Id. ibi c. 2. §. 2. n. 4.
(g) Escob. tract. 1. Ex. 3. n. 34. cit. Sanch.
(h) Sà verb. Falsar. n. 2. edit. 1.
(i) Salas tract. 13. Disp. 6. Sect. 3. n. 201.
(k) Dicast. tract. 4. de Euch. Disp. 9. Dub. 9. n. 155.
(l) Hurtad. de Sacr. Disp. 9. diffic. 1.
(m) Maschar. de Sacr. tract. 1. disp. 4. c. 5.
(n) Filiuc. tract. 6. de Conf. c. 6. n. 150.
(o) Præpos. 3. p. q. 80. a. 5. dub. 3. n. 15.
(p) Palao tract. 20. dub. 8.

ceptum ſuſcipiendi extremam Unctionem, quamvis adſit opportunitas, aut commoditas ſuſcipiendi (a); quod ſi quis, in Paſchate tranſgreſſus Præceptum, non communicavit, non peccat iterum mortaliter, ſi poſtea non communicet (b); quod qui, non jejunus ſimul & excommunicatus, acceſſit ad Communionem, ſatisfacit confitendo præciſe: communicavi ſemel ſacrilege (c); quod ſi quis doleat de peccato, propterea quod Deus in pœnam illius temporale malum immiſit, ſufficit (d); quod etſi confitentem furtum grave Confeſſarius interroget, ad quam quantitatem pervenerit illud furtum, confitens non tenetur aperire (e); quod probabile eſt non eſſe repetendam Confeſſionem, in qua omiſſum eſt ex mortaliter culpabili negligentia, vel ignorantia, aliquod peccatum mortale (f); quod pœnitens non eſt jubendus repetere Confeſſiones, quando ſolum probabile eſt eas fuiſſe illegitimas (g); quod qui confitetur deſideria, cogitationes, & affectus turpes certo ſpatio v. gr. per menſem habitas, non tenetur numerum explicare, ſed ſufficit dicere, toto menſe amavi Bertam v. gr., etiamſi poſſit numerus exprimi (h); quod in confeſſione moroſarum delectationum ſufficit, ut pœnitens dicat: toties moroſe delectatus ſum ſine explicatione, an illa delectatio fuerit circa conjugatam, monialem &c. (i); quod Confeſſarius excipere poteſt confeſſionem ejus, cum qua peccavit, ſi ſit ipſi ſanguine juncta, & præ pudore non audeat inceſtum ſuum alteri manifeſtare (k); quod vir nobilis ſine juſta cauſa moram faciens ſolvendi debita, nec ipſi, ſæpius moram illam confeſſo, & in mora perſiſtenti, neganda eſt abſolutio, modo habeat animum ſolvendi, & creditor ex mora illa aliud non patiatur damnum, etiamſi petierit ſolutionem (l); quod poſt nullius emendationis experimentum, abſque voluntate tollendi occaſionem, poteſt quis abſolvi (m); quod quoties recidivus dicit ſe vere dolere, quod rurſum offenderit Divinam Majeſtatem, & proinde ſe promittere veram emendationem, toties abſolvi poteſt, modo Confeſſarius credat illum ſerio loqui (n); quod fas eſt, per ſe loquendo, committere ſe probabili periculo peccandi mortaliter, etiam ſine cauſa urgente; unde Confeſſarius negare non debet abſolutionem nolenti deſerere occaſionem, in qua probabile eſt ipſum peccaturum, probabile etiam non peccaturum; v. gr. nolenti deſerere frequentationem domus, in qua tentatus aliquoties victus fuit, aliquoties etiam, & ſæpius, victor extitit (o); quod probabile eſt quod, quando ſine magno probro nequit omitti Communio, nec conveniri Superior, Caſus alias reſervatus eſſe deſinit reſervatus, ac tunc pro-
inde

(a) Gobat tract. 8. n. 816.
(b) Sà verb. Euch. n. 7.
(c) Lugo Disp. 14.
(d) Eſcob tract. 7. Ex. 4. n. 91.
(e) Dicaſt. Diſp. 4. Dub. 3. n. 194.
(f) Gobat tract. 6. n. 568.
(g) Id. tract. 8. n. 275.
(h) Baun. in Sum. c. 4. n. 667.
(i) Vaſq. 1. 2. Diſp. 112. c. 2.
(k) Gobat tract. 7. n. 582.
(l) Molin. de Juſt. tom. 3. Diſp. 753. n. 1.
(m) Dicaſt. tract. 8. de Pœn. Diſp. 6. Dub. 19. n. 354.
(n) Dicaſt. Diſp. 21. n. 162.
(o) Gobat tract. 7. n. 526.

inde inferior ab eo directe abſolvere poteſt abſque onere ſiſtendi ſe Superiori ad Caſum illum rurſus confitendum (a); quod probabiliter validæ ſunt abſolutiones datæ a ſimplici Sacerdote, quem error communis exiſtimat Parochum, ſive alias approbatum, ſed ne quidem habet titulum coloratum (b); quod Sacerdos, ad abſolvendum utens juriſdictione minus probabili, non peccat (c); quod actus Satisfactionis Sacramentalis, ex fine mortaliter pravo elicitus, valet ad implendum Confeſſarii præceptum de Satisfactione, dummodo ponatur ſubſtantia actus præcepti (d); quod pœnitentia Sacramentalis, ſi levis ſit, licet pro peccatis gravibus, non obligat ex probabili opinione (e); quod ſi pœnitens nollet acceptare pœnitentiam, paratus in Purgatorio ſatisfacere, non ex hoc præciſe cenſendus eſt indiſpoſitus, nec ſine abſolutione dimittendus; quia Opinio, quæ docet pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam, etiam poſt Tridentinum videtur probabilis, quia non videtur Tridentinum damnare voluiſſe Opinionem, quam doctiſſimi viri ſequuntur, citati a P. Sanctarel (f); quod non peccat Confeſſarius nullam imponens pœnitentiam, dum pœnitens mox lucraturus eſt Indulgentiam plenariam (g); quod Confeſſarius, ex ſola Confeſſione Sacramentali ſubditi peccata cognoſcens, poteſt ex vi iſtius cognitionis amovere ipſum ab officio ad nutum amovibili (h); quod tempore Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ plenariæ, pœnitens non tenetur admittere niſi leviorem pœnitentiam, quæ ſe habet per modum medicinæ (i); quod qui ſuſcipit Clericalem Tonſuram, tantum ideo ut declinet tribunal ſæculare, ne venialiter quidem delinquit (k); quod in ſuo eſſe relinquendum eſt Matrimonium initum cum impedimento, quod probabilis opinio Doctorum dicebat non ſubeſſe, etiam poſtquam Pontifex declaravit ſubeſſe, & Doctores illos erraſſe (l); quod raro, vel nunquam, tenetur homo ſe præparare ad gratiam, ut ignorantiam tollat (m); quod poſtquam vir a copula conjugali ſe retraxit, uxor, quæ in ipſo actu non ſeminavit, tactibus ſe excitare poteſt ad ſeminandum (n); quod uxor, ſtatim poſt copulam ſe invertens, ut ſemen emittat, ne concipiat, peccatum mortale non admittit, ſi aliqua cauſa rationabilis excuſet, v. gr. dolor magnus in partu, vel magnum detrimentum in ſemine retinendo (o); quod practice judicandum eſt de valore Matrimonii bona fide initi in dubio de valore, licet probabiliſſimum ſit non valere, ideoque relinquendum eſt in ſuo eſſe; ſeu poſſunt, debentque perinde inſtitui omnes actiones pendentes a valore, ac ſi liquido ſciretur eſſe validum (p); quod du-

(a) Dicaſt. Diſp. 11. Dub. 16. n. 306. & ſeq.
(b) Tamb. de Pœn. lib. 5. c. 4. §. 7. n. 17.
(c) Sanch. lib. 1. in Decal. c. 9.
(d) Amic. tom. 8. Diſp. 16. Dub. 14. n. 87.
(e) Tambur. l. 3. in Decal. c. 7. §. 5. n. 1.
(f) Id. exped. Conf. l. 4. c. 2. §. 1. n. 7.
(g) Gobat tract. 7. n. 744.
(h) Vaſq. in 3. p. q. 93. a. 4. d. 8.
(i) Laym. lib. 5. tract. 6. c. 15.
(k) Gobat tract. 8. n. 27.
(l) Id. tract. 10. n. 744.
(m) Filiuc tom. 2. tract. 21. c. 12. n. 372.
(n) Sanch. lib. 9. de Matr. Diſp. 17. n. 12.
(o) Facund. in Decal. tom. 2. lib. 6. c. 3. n. 50.
(p) Gobat tract. 10. n. 742.

dubitans, an laboret aliquo impedimento dirimente, si post diligentem inquisitionem veritatis nequeat hanc reperire, licite sibi junget uxorem; ipsi quippe favet possessio (*a*); quod *Decretum Tridentini contra raptores non se extendit ad fœminam; loquitur enim de raptore, non de raptrice* (*b*); quod *si conjux putet probabilius priorem virum adhuc vivere, probabiliter vero mortuum esse, potest petere, & reddere debitum secundo viro; quinimmo probabile est, tunc posse debitum & petere, & negare; petere accomodando se Opinioni de valore; negare sequendo Opinionem de nullitate posterioris Matrimonii* (*c*); quod *præceptum de denuntiationibus non obligat, quando ex illius observatione probabilis est suspicio notabilis damni secuturi; quo proinde Casu nulla requiritur dispensatio, etiamsi Ordinarius commode adiri possit, & paratus sit dispensare* (*d*).

(*a*) Id. tract. 9. n. 62.

(*b*) Dicast. tract. 8. de Matr. Disp. 7. dub. 58. n. 660.

(*c*) Id. ibi. Dub. 14. n. 174. & 175.

(*d*) Id. Disp. 3. Dub. 27. n. 282.

Propositionibus hisce, paucis admodum, si cum magno earum, quas omisimus, numero conferantur, hoc loco consulto a nobis collectis & allatis, ut magis magisque omnibus innotesceret, quousque pervenerit Scriptorum Jesuitarum summa & fere incredibilis petulantia, quærimus rursus quid dicendum sit de quibusdam Parochis & Confessariis, qui cognitiones suas omnes ex hisce fontibus hauserunt, quique, juxta horum laxissimorum Auctorum normas, & suas & alienas actiones dirigunt, impiasque & Diabolicas eorum Doctrinas & in privatis colloquiis, & in publicis sermonibus ad populum, & ex terribili etiam Pœnitentiæ tribunali docere, defendere, vulgare audent, & gloriantur? Verum enimvero væ qui talia excogitarunt; væ qui talia scripserunt; væ qui hisce Præceptoribus aures suas stulte præbuerunt. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident ... dicentes pax, & non est pax ... Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas ... Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum ... Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes ... Væ ... Væ ... Dilatavit* enim *Infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino*. Quippe *Dei Filius, Jesus Christus, non fuit est, & non, sed est in illo fuit*.

Ezech. 13. 18.

Isai. 5. 20. & seq.

Ibi. 14.

2. Cor. 1. 19.

Fatendum tamen, quod *omnis Quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressa veritas habeatur, periculose determinatur; quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero, quo creditur esse mortale, quod est peccatum mortale, conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est*. Quare *beatus vir, qui in Lege Domini meditabitur die ac nocte*.

S. Tho quodl. 9. a. 15.

Psal. 1. 2.

Peccatum porro *ex genere veniale fieri potest mortale ex affectu & dispositione peccantis; & similiter mortale ex genere veniale esse potest;* secundum circumstantias enim personarum, loci, temporis, qualitatis, quantitatis, diuturnitatis, graviora, vel leviora fiunt peccata, ut saniores Theologi uno ore affirmant.

Id. 1. 2. q. 88. a. 2.

Quarta Regula est *Conscientia*. Hinc Ecclesiasticus singulos hisce verbis admonet: *in omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ; hoc est* enim *conservatio mandatorum Dei*. Etenim *omne, quod non est ex fide* (idest ex Conscientia) *peccatum est*. *Gloria* igitur *nostra hæc sit, testimonium Conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo*,

Cap. 32. 27.

2. Cor. 1. 12.

Et hic animadvertimus *Conscientiæ* nomine significari *Dictamen, seu Judicium mentis, judicantis actionem aliquam licitam actu fore, vel non, secundum Consilii, vel Præcepti vim*.

Distinguitur *Conscientia* a *Synderesi;* alia enim de moralibus principiis formaliter judicat; alia ex iisdem principiis peculiares Propositiones elicit. Ex. gr. in hujusmodi argumento; *quando aliquis necessitatem habet carnes edendi, non tenetur ab iisdem abstinere Quadragesimæ tempore; sed ego modo edendi carnes habeo necessitatem; ergo modo ab iisdem abstinere non teneor*. Primam Propositionem ponit *Synderesis*, duas vero alias *Conscientia*. Usuvenire enim solet, quod Doctores in universalibus Propositionibus conveniant, & in peculiaribus sint omnino discordes; prout scilicet ad varias circumstantias vario modo attendunt. Hinc licet omnes conveniant *diebus Quadragesimæ esse jejunandum*, concedunt tamen, quod hic vel ille, in hac vel in illa circumstantia, *absque peccato a jejunio possit* dispensari. Ut enim actio bona sit, satis est, eam cum secundo Judicio, a *Conscientia* recte & rationabiliter facto, cohærere.

Verum cum sit *Conscientia* proxima & immediata morum Regula, ex qua præcipue pendet actionum nostrarum *Moralitas*, fieri sane potest, ut actio aliqua bona sit, licet malum sit ejus objectum; quemadmodum e contrario, objectum bonum esse potest, & actio mala. Malitia enim actionum, vel bonitas, ut

ut ajunt Theologi, non a qualitate objecti in se considerati, *specificationem* habent, sed a solius *Conscientiæ* dictamine. Et sane si quis certo teneret sibi ex. gr. licere furari, ut egentibus possit opitulari, furans absque dubio non peccaret, licet non possit negari furtum in se malum esse. [DD. com.]

In Scholis *Conscientia* dividitur in *Rectam*, *Erroneam*, *Dubiam*, *Probabilem*, atque *Scrupulosam*. Quid significetur hisce nominibus, per se ipsa nomina declarant. Itaque hìc animadvertam solummodo, quemcunque certe peccare, qui *dubia Conscientia* aliquid operatur; simili modo peccat etiam ille, qui operatur aliquid *Conscientia non invincibiliter erronea*. [S.Tho. 1. 2. q. 19. a. 5.]

Quo ad *Conscientiam* vero *Scrupulosam* Divi Antonini libros hac de re consulere utilissimum erit. [1. par. tit. 3. c. 10. §. 10.] Ipse enim certas præscribit regulas, quibus de Fidelium animis Scrupuli possunt evelli; inter quas ea certe, meo quidem judicio, primum locum tenere debet, in qua, adhærens consilio, quod Tobias jam senior filio suo tradebat, [Tob. 4. 19.] hujusmodi hominibus nimis religiosis jubet, ut se sapienti prudentique Confessario, occlusis oculis, regendos committant, ipsique in omnibus obedientes, ea solummodo operentur, quæ ab eodem ipsis facienda præcipientur. Sciendum tamen est, quod *trepidare, ne forte Deo displiceamus, quod a nobis rectum existimatur, non est scrupulositatis indicium, sed justæ cautionis officium*. [S. Greg. lib. 5. Mor. cap. 6.] Hinc legitur Prov. 28. 14. *beatus homo, qui semper est pavidus*.

Quinta & ultima Regula Lex est. Totus Psalmus centesimus decimus octavus prædicat *Legem Dei* esse Regulam actuum humanorum, & secundum illam judicandum, quæ gravia, quæ levia peccata sint. Hinc Deus Prov. 3. ver. 1.: *Fili mi*, inquit ille, *ne obliviscaris Legis meæ, & Præcepta mea cor tuum custodiat*. Hinc David Psal. 7. 7. Deum alloquitur, dicens *exurge, Domine Deus meus, in Præcepto, quod mandasti; Dominus judicat populos*. [In Psal. 61.] *Cum* enim, inquit Augustinus, *sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quamdam justitiam, a qua si recedis, injustus es, ad quam si accedis, justus es*.

Nec silendum hoc loco est, ea peccata, quæ in Sacris Litteris dicuntur *execranda*, *Deo exosa*, *excludere a Regno Dei*; aut quibus *væ* dicitur, certe esse mortalia. Ea quoque peccata, quæ a SS. Patribus & a, Doctrina & Pietate, præstantioribus Theologis, gravia putantur, gravia censenda sunt.

Verum ultra *Legem Dei* stricte tenemur etiam ad observantiam

tiam *Legum humanarum*, *Ecclesiasticarum* scilicet, *& Civilium*: *Omnis* igitur *anima Potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim Potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque, qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. [Rom. 13. 1.]

Obedite ergo, singulis, & universis cum Apostolo addicimus, [Hebr. 13. 17.] *obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*. Quapropter advertite etiam, monente Divo Bernardo, quod *contemptus, in omni* [1. de Præcep. c. 8.] *specie mandatorum, pari pondere gravis, & communiter damnabilis est*. *Elatio* quippe *contemnentis, atque impœnitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis, culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum simplicis transgressionis*. [Id. ibi. cap. 11.]

Hoc tamen loco præterire non possum, quod tunc solum obedire Principibus non debemus, ut etiam alibi jam diximus, si aliquid Dei Præceptis contrarium ipsi imperare voluerint; *obedire* enim *oportet Deo magis quam hominibus*. [Act. 5. 29.] Similiter *si Leges evidenter sint injustæ, nisi forte propter vitandum Scandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo debet juri suo cedere*. [S.Tho. 1. 2. q. 96. a. 4.] Verum *in dubio honestatis Legis standum Superioris judicio*. [S. Aug. ep. 63.] Hinc patet ratio, cum Alexander VII. damnaverit sequentem petulantissimam Propositionem: *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem, a Principe promulgatam*; [Escob. Theol. Mor. tom. 1. lib. 1. C. 14. prob. 53.] quæ una tantum, temeraria, ut cæteras omittamus, & scandalosissima Propositio, evidentissime probat, quantum Jesuitæ, qui eam publice, voce & scriptis, promulgare ausi sunt, ingrati fuerint erga omnes Principes, a quibus & benigne accepti, & luculentis beneficiis cumulati fuerunt; unde mirandum sane non est, si, postquam pravam eorum indolem & nequitiam detexerunt, ipsorum abolitionem, Divini Numinis afflatu, a Sapientissimo, & certe immortali, Clemente XIV., solemniter definitam, unanimi consensu, nulla interposita mora, lætissimi susceperunt, & approbarunt.

Legibus vero *Civilibus parere tenentur* etiam *Clerici, salva Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum immunitate*. [Trid. Sess. 25. cap. 20.] Quapropter caveant omni studio a Recentiorum quorumdam Moralistarum libris, in quibus apertissimis verbis contrarium asseritur; & Sacras Litteras potius legentes, & serio considerantes, illud sæpe in mente revocent, quod Tito, suo dilectissimo Discipulo, scribebat Apostolus, [ad Tit. 3. 1.] hortans eum, ut id recentibus Christianis

tianis diligentissime inculcaret; *Principibus* nimirum, & *Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.*

Peregrini quoque, & *advenæ Leges & Consuetudines locorum, ad quæ veniunt, vel in quibus diversantur, ex officio Conscientiæ sequi debent.* Hinc *ad aliqua loca divertere eo tantum fine, ut fugiant obligationem Legis, damnant Sancti Patres.*

S. Aug. ep. 118. Act. Eccl. Mediol.

Observandum insuper est, quod sane per se evidens est, & apertum, quod *cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali jure, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacunque Consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte Corruptela, posse aliquatenus derogari.*

Cap. cum tanto Extra de consuet.

Si igitur *Consuetudinem quis opponit, advertendum est, quod Dominus dicit:* ego sum Via, Veritas, & Vita. *Non dixit:* ego sum Consuetudo, *sed* Veritas. *Et certe, ut Beati Cypriani utamur sententia, quælibet Consuetudo, quamtumvis vetusta, quamtumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, est abolendus.*

Joan. 14. 6.

Dist. VIII. Can. si Consuetudinem.

Notandum etiam est, quod *neque Juri positivo, Ecclesiastico, aut Civili, Consuetudo præjudicium generare potest, nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta;* tunc scilicet, cum ab aliqua Lege adversante non damnatur, & per quadraginta annos obtinuit. *Faciat* igitur *quisque, ne erret,* & curet, ut alii etiam faciant, *quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit.*

Extra de Consuet. c. cum tanto.

S. Aug. ep. 118.

PARS

PARS TERTIA

De Gratia & Prædestinatione.

D*Efectus ille, qui peccatum vocatur.... usque adeo voluntarius est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; & hoc quidem manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Quare *si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Sathana invectum in Ecclesiam, anathema sit.* Hæc veritas innumeris Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & præsertim Augustini, Conciliorum, Pontificum, Ecclesiæ demum universæ auctoritatibus stabilitur, ut vere impius, & hæreticus, & rationis lumine prorsus destitutus sit, qui neget *esse in potestate hominis vias suas malas facere, aut bonas.*

S. Aug. de ver. Relig. c. 14.

Trid. Sess. 6. Can. V.

Addendum tamen hoc loco etiam est, quod *si quis dixerit hominem in suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per Legis doctrinam fiunt, absque Divina per Jesum Christum gratia, posse justificari, anathema sit.... Si quis dixerit, ad hoc solum Divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut facilius homo juste vivere, ac Vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen, & difficulter possit, anathema sit --- Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei Justificationis gratia conferatur, anathema sit --- Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam Justificationis gratiam se disponat, ac præparet; nec posse dissentire, si velit, sed, velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.* Quibus præpositis, agimus modo breviter de Gratia & Prædestinatione.

Id. ibi. Can. I. II. III. & IV.

CA-

CAPUT PRIMUM:

De Gratia.

GRATIÆ nomen multipliciter sumitur. Ac primo *quidem om-*
ne Donum, descendens a Patre luminum, nobis impertitum, di-
S. Aug. ep. 105. *citur gratia; sive pertineat ad naturam, qua creati sumus, ut*
Id. ibi. *homines essemus, sive supra naturam sit, cujusmodi sunt Dona e-*
numerata 1. *ad Cor.* 12. Illud etiam Donum dicitur *gratia, qua*
justificamur, idest, qua Charitas Dei diffunditur in cordibus nos-
Id. l. de gr. c. 30. *tris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* quod Donum
communiter *Gratia Sanctificans* appellatur. *Gratiæ* tandem no-
mine intelligitur *adjutorium Dei, quo adjuvamur, ut declinemus*
a malo, & faciamus bonum, nedum revelando & ostendendo quid
fieri debeat, sed etiam cooperando, & dilectionem inspirando, ut
Id. ibi. c. 3. *id, quod faciendum esse cognoverit, faciat.*
Circa primam *gratiæ* acceptionem, *gratia Dei sumus id, quod*
1. Cor. 15. 10. *sumus;* & *in Deo vivimus, movemur, & sumus* (a), quoniam *ex*
(a) Act. 17. 28. Rom. 11. 36. *ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæ-*
1. Cor. 4. 17. *cula.* Et sane *quid habes, quod non accepisti?*
Circa secundam significationem est profecto *super aurum &*
Prov. 22. 1. *argentum Gratia;* idest, Donum Dei, *antecellens omnia natura-*
S. Aug. ep. 106. *lia dona;* imo etiam supernaturalia. Etenim *manet* quidem *Fi-*
1. Cor. 13. 13. *des, Spes, Charitas; major autem horum est Charitas;* quia
Ibi. *sine Charitate nihil prodest* ad Vitam æternam, quæ hominibus
2. Tim. 4. 8. justis debetur tanquam *corona justitiæ. Gratia* enim *Dei Vita æ-*
Rom. 6. 23. *terna.* Hujus gratiæ vi, *jam non dicam vos,* inquit Dominus,
Joa. 5. 15. *servos, sed amicos; & qui servat mandata mea, ille meus fra-*
Mar. 3. 35. *ter, & soror, & mater est.* Quare *videte qualem Charitatem de-*
1. Joa. 3. 1. *dit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus;* unde est
Rom. 8. 29. *ipse* Christus *Primogenitus in multis fratribus;* unde etiam di-
Matt. 6. 9. cimus: *Pater noster, qui es in Cœlis.* Ideoque, inquit Aposto-
Gal. 4. 6. lus, *quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in cor-*
Ibi. *da nostra, ut, propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis, multi*
Rom. 12. 5. *unum corpus simus in Christo, & corpora nostra templum sint*
1. Cor. 3. 16. *Spiritus Sancti, qui habitat in nobis. Qui diligit me,* sunt Chris-
Joa. 14. 23. ti verba, *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum,*
& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, Divinæ
2. Pet. 1. 4. Psal. 81. 6. *consortes naturæ.* Hinc legimus in Psal. 1. *Ego dixi: Dei estis.*
Non-

Nondum quidem *apparuit quid erimus; scimus* tamen, *quoniam,*
cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, si-
cuti est. Hæc itaque *gratia Sanctificans, Donum Dei tam gran-* 1. Joa. 4. 15.
de, est effectus Sacramentorum; hanc conservare, in hac abunda- S. Aug. lib 15. de Trinit. & alibi.
re quam desiderabile sit, nemo non videt. Videte ergo, & e-
tiam atque etiam studete, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,* 2. Cor. 6. 11.
imo ut *in hac gratia abundetis.* Ibi 8. 7.
Credendum autem *est imprimis, Gratiam Christi,* tertio modo
sumptam, *necessariam esse nedum ut facilius, sed ut absolute, bo-* S. Aug. lib. 1. de Grat. Christ.
num aut cogitemus, aut faciamus. Certum quippe est initium cap. 16.
boni operis a Deo esse. *Cur* enim *non totum tribuatur homini,*
ut qui sibi potuit instituere, quod non habebat, ipse, quod ins-
tituit, augeat, omnino non video, nisi quia resisti non potest Di-
vinis manifestissimis testimoniis: quid autem habes quod non ac-
cepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepe- 1. Cor. 4. 7.
ris? *Quo præcipue testimonio etiam ipse convictus sum,* pergit Au- Lib. de Præd. SS. cap. 2.
gustinus, *cum similiter errarem, putans Fidem, qua in Deum cre-*
dimus, non esse Donum Dei, sed a nobis esse in nobis, & per
illam nos impetrare Dei Dona, quibus temperanter, & juste, &
pie vivamus in hoc sæculo.
Credendum secundo est, *Gratiam Dei secundum merita nostra non*
dari. Contraria enim Sententia, quæ fuit Pelagii, & aliorum Id. ep. 107.
post ipsum Hæreticorum, damnata fuit. *Si* enim *gratia, jam*
non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Gratia sal- Rom. 11. 6.
vamur per Fidem, & hoc non ex nobis. Dei enim Donum est;
non ex operibus, ne quis glorietur. Eph. 2. 8. 9.
Credendum tertio, *Gratiam Dei ad singulos actus dari. Ideo* S. Aug. de Præd. SS. cap. 2.
Apostolus commendat istam Gratiam, quæ non datur secundum a- 2. Cor. 3. 5.
liqua merita, sed efficit omnia bona merita. Non quia idonei su-
mus, *inquit,* cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed suf-
ficientia nostra ex Deo est. *Nemo* enim *habet de suo nisi men-* Conc. Arauf. II. cap. 4.
dacium, & peccatum.
Sed hìc posset aliquis reponere: *nulla ne igitur sunt merita*
justorum? Sunt plane, quia justi sunt, sed ut justi fierent, me-
rita non fuerunt. Justi enim facti sunt, cum justificati sunt, sed
sicut dicit Apostolus: justificati gratis per gratiam ipsius.... Rom. 3. 24.
Pelagius ipse *in Ecclesiastico judicio Palæstino* (*non enim aliter*
inde impunitus exiisset) *anathematizavit eos, qui dicunt Gratiam*
Dei secundum merita dari, quamvis nihil aliud in eorum etiam posterio-
ribus Disputationibus invenatur, quam meritis dari etiam Gratiam. S. Aug. ep. 105.
Quod

Quod autem hìc dicimus adeo verum est, ut *etiam ipsa Oratio inter Gratiæ munera reperiatur*. Quid enim oremus, *ait Doctor* Rom. 8. 26. *Gentium*, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid est autem iaterpellat, *nisi interpellare nos facit? .... Adjutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod, ut facia-* S. Aug. ep. 105. Joa. 15. 5. *mus, facit. Hinc* sine me, *ait Christus*, nihil potestis facere. S. Aug. tract. 8. in Joa. *Sive parum ergo, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest*. Innumera sunt Divi Augustini testimonia, quæ evidentissime probant, Fidem, Charitatem Dei, & notitiam eorum, quæ agere tenemur, & amorem, quo ad illa agenda accendimur, & conversionem hominis ad Deum, & victoriam in tentationibus, & Divinorum Mandatorum observantiam, & posse mereri, a Divina Jesu Christi Gratia unice pro- Sess. 6. cedere. Quod & Patres, & Concilia, Tridentinum præcipue, concordi sententia docuerunt.

Et hoc loco opportune ad examen revocari potest celeberrima illa Propositio: *facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiam*. Ad cujus intelligentiam animadvertendum est, quod si allata Propositio ita accipiatur: *facienti quod in se est, viribus Gratiæ adjutus, Deus non denegat Gratiam*, Propositio sana est, & Catholica. *Ipsum* enim, ut optime docet Divus Tho- Lect. 3. in ep. ad Rom. mas, *quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est, movente corda ipsorum ad bonum*. Hinc Cap. 13. 12. *qui habet*, inquit Matthæus, *dabitur ei, & abundavit*; & Au- Ep. 106. gustinus, *ipsa Gratia*, ait, *meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*.

Si vero ita intelligatur: *facienti, quod in se est*, solis naturæ viribus, *Deus non denegat Gratiam*, Semipelagiana Propositio est. *Si quis* enim, sunt Concilii II. Arausicani Can. VI. verba, *sine Gratia Dei credentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem Spiritus Sancti in no-* 1. Cor. 4. 7. *bis fieri confitetur, resistit Apostolo dicenti:* quid habes, quod Ibi cap. 25. 10. non accepisti? Gratia Dei sum id, quod sum. Nemo po- Ibi cap. 12. 13. test dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. *Quod est* ergo *meritum hominis ante Gratiam, quo merito percipiat Gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi Gratia? & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet ni-* S. Aug. ep. 105. *si munera sua?*

Notate etiam Davidis verba; *a Domino*, inquit, *gressus ho-* Psal. 36. 23. *minis diriguntur, & viam ejus volet. Non dixit:* & viam ejus discet, *aut* tenebit, *aut* ambulabit, *aut aliquid hujusmodi, quod posset discere a Domino quidem dari, sed homini jam volenti, ut scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, & hoc Dei Donum, præcedente sua voluntate, mereatur; sed ideo dixit:* a Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet, *ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere, illius esse Donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, ut velimus. Non enim ait Scriptura:* a Domino gressus hominis diriguntur, quia ejus viam voluit; *sed* diriguntur, *inquit*, & volet. *Non igitur, quia voluit, diriguntur, sed, quia diriguntur, voluit*. Deus est *enim*, qui operatur in nobis & vel- Philip. 2. 13. le, *& multa hujusmodi, quibus commendatur vera Dei Gratia; hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa, cum datur, quæ prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit*. S. Aug. ep. 107.

Et sane *unde fit, ut homo, ab ineunte pueritia, modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit, ubi & prædicari Gratia Christiana non possit?* Quomodo *enim* invocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? *Alius au-* Rom. 10. 14. *tem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus fuerit, laudabiliter hìc vivat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt? .... Quid hinc respondeant, omnino non video, qui volentes humanis conjecturis Justitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem Gratiæ, fabulas impro-* S. Aug. de pec. mer. cap. 22. *babiles texuerunt*.

Credendum quarto, singulare Gratiæ Dei Donum esse *Perse-* Matt. 10. 12. *verantiam, de qua scriptum est:* qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; *quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere. Nemini sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio fir-* missi-

*miſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim,
niſi ipſi illius Gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita per-
ficiet, operans velle & perficere. Verumtamen, qui ſe exiſtimant
ſtare, videant, ne cadant; & cum timore & tremore ſalutem
ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in ora-
tionibus, & oblationibus, in jejuniis, & caſtitate. Formidare e-
nim debent, ſcientes, quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam
renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt, cum carne, cum mundo, cum
Diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei Gratia*
Rom. 8.12.13. *obtemperent Apoſtolo dicenti:* debitores ſumus, non carni, ut
ſecundum carnem vivamus; ſi enim ſecundum carnem vixeri-
Trid. Seſſ. 6. cap. 13. tis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis,
vivetis. *Nos tamen felices, qui certi ſumus, Deum nobis præſtan-
tiſſimum hoc adjutorium ſemper eſſe daturum, dummodo, omni ad-
hibita diligentia, ejus Præcepta exequi ſtudeamus;* in iis *enim*,
Lib. de Corsept. & Gr. c. 11. *optime animadvertit Auguſtinus*, in iis *enim*, quibus deeſt tale
adjutorium, pœna peccati eſt.

Gratia in Scholis multipliciter dividitur; in *operantem* ſcili-
cet, & *cooperantem*; in *prævenientem* & *ſubſequentem*; in *exci-
tantem* & *adjuvantem*. Certum enim admodum eſt, quod *Deus,
ut velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic vo-*
S. Aug. lib. de gr. & lib. arb. cap. 17. *lumus, ut faciamus, operatur nobiſcum ... ut velimus, operatur
incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Nolentem prævenit,*
Id. Enchir. *ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. Prævenit, ut ſa-
nemur, & ſubſequitur, ut etiam ſanati vegetemur. Prævenit, ut
vocemur; ſubſequitur, ut glorificemur. Prævenit, ut pie viva-
mus; ſubſequitur, ut cum illo ſemper vivamus, quia ſine illo ni-*
Pſal. 58. 11. *hil poſſumus facere. Utrumque enim ſcriptum eſt; &* Deus meus,
Pſal. 22. 6. miſericordia ejus præveniet me; & miſericordia tua ſubſequetur
S. Aug. de nat. & gr. c. 31. me per omnes dies *vitæ meæ. Non igitur ego*, de ſe ipſo loquens
inquit Auguſtinus, *prior ad te, Domine exſurrexi voluntate, ſed*
(a) Id. in Pſal. 58. *tu ad excitandum veniſti (a)*, excitatum adjuvaſti. *Adjuva* er-
Pſal. 118. 117. go *me, Domine, & ſalvus ero.*

Celeberrima autem Gratiæ diviſio eſt in *Efficacem* & *Suffi-
cientem. Aliud* eſt enim *adjutorium, ſine quo aliquid non fit,
& aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non
poſſumus vivere; nec tamen, cum adfuerint alimenta, eis fit, ut
vivat, qui mori voluerit. Eſt* quippe *in nobis per hanc Dei Gra-
tiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolum poſ-
ſe, quod volumus, verum etiam velle, quod poſſumus; quod non*
fuit

*fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum
non fuit. Namque, ut reciperet bonum, Gratia non egebat, quam
nondum perdiderat; ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio
Gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet; & acceperat poſſe, ſi vellet,
ſed non habuit velle, quod poſſet; nam ſi habuiſſet, perſevera-
viſſet. Poſſet enim perſeverare, etiam ſi vellet; quod, ut nollet,
de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene
velle poſſet, & male.* Id. ibi cap. 11.

Quod vero ſpectat ad *Gratiam* hujuſmodi *efficacem*, cui ne- Id. de Præd. SS. cap. 8.
mo reſiſtit, & datur a Deo ad duritiem cordium noſtrorum fran-
gendam, eaque, fortiter æque atque ſuaviter, trahimur ad bo-
num, profecto ab inſtituta methodo recederemus, ſi vellemus
modo famoſiſſimam de *Gratia efficaci* Quæſtionem exponere &
examinare, quam excitavit P. Ludovicus Molina Jeſuita, vul-
gatiſſimo illo Tractatu, cui titulus *de Concordia*, in quo quam-
plures errores nefarios admodum diſſeminavit, qui illico a ce-
leberrimis totius Europæ Univerſitatibus deteſtati damnatique
fuerunt; & eam de *Gratia efficaci* Opinionem afferre & defende-
re eſt auſus, contra id, quod cum aliis Sanctis Patribus duo
præcipui Eccleſiæ Doctores, Auguſtinus & Thomas, doce-
bant, tenebantque; quæ Opinio in multis Congregationi-
bus coram Pontifice Clemente VIII. & Paulo V. a Jeſuitis pro-
pugnata, & ab aliis ex Inſtituto Sancti Dominici impugnata,
ſumma contentione atque ſtudio, diu inutiliterque agitata fuit; V. Berti de Theol. Diſc.
in qua quærebatur unde hujuſmodi Gratiæ procederet *efficacia*. lib. 14. c. 8.
Ne igitur nos etiam tempus & operam fruſtra perdamus, hic
ſolummodo Lectores noſtros monitos facimus, neminem Catho-
licorum hujus Gratiæ communicationem negare, cum Chriſtia-
ni omnes, revera Catholici, perſuaſum habere debeant, Deum eſſe
qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate; Philip. 2. 13.
Deum, inquam, *cujus in manu cor Regis*, & omnium homi-
num; qui *quocunque voluerit, inclinabit illud*. Hinc Eccleſia in Prov. 21. 1.
ſuis precibus hiſce vocibus Deum humiliter adprecatur: *fac nos
amare, quod præcipis; inſere cordibus noſtris tui amoris affectum;
noſtras etiam rebelles ad te compelle propitius voluntates*. Hinc
Jeremias: *converte nos, Domine, ad te, & convertemur. Dabo* Thren. 5. 21.
enim *vobis*, inquit Dominus apud Ezechielem, *cor novum, &* Cap. 36. 26. 27.
*ſpiritum novum ponam in medio veſtri; & auferam cor lapideum
de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum; & ſpiritum meum*
ponam

ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.

Nec tamen aliquis hinc deducat, opera nostra bona sic pendere a Gratia efficaci, ut in iis nullam omnino partem habere liberum arbitrium censendum sit. Certissimum enim est, quod

Trid. Sess. 6. Can. IV.

efficaciæ Gratiæ cooperatur liberum arbitrium. Quod si *dicet mihi aliquis: ergo agimur, non agimus, respondeo, imo & agis, & ageris; & tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Adjutorem utique invocas Deum; nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.... si non esses operator, ille non esset cooperator... Non enim adjutor est ille, si nihil agatis; non cooparator est ille, si nihil operamini.*

S. Aug. Ser. 13. de verb. Apost.

Nullo igitur modo per efficaciam Gratiæ libertas minuitur, aut tollitur. *Voluntas* enim *libera tanto est liberior, quanto sanior; tanto autem sanior, quanto Divinæ Misericordiæ, Gratiæque suæ subjectior. Libertas enim sine Gratia non est libertas, sed contumacia.*

Id. ep. 89.

Utrumque ergo tenendum est, & Gratiæ efficaciam & liberum arbitrium; *quamvis ista Quæstio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei Gratia disputatur, ita sit ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei Gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Id. de Gr. cap. 47.

Hoc præterea verissimum omnino est, Gratiam efficacem non omnibus hominibus dari, eisque, quibus datur, misericorditer gratisque dari; iis vero, quibus non datur, justo Dei judicio subtrahi, quemadmodum fuse docet Sanctus Augustinus ep. 107. Quapropter *cum præbetur alteri misericordiæ Gratia, non habet quod de humano merito glorietur, quoniam non ex operibus, ne forte quis extollatur; cum vero alteri vindictæ redditur veritas, non habet, cur iste queratur; id enim redditur, quod pro peccato jure debetur, quoniam unus, in quo omnes peccaverunt, utique etiam in singulis quibusque punitur. Quare autem illos potius, quam illos liberet, iterum atque iterum dicimus, nec dicere nos piget:* o homo (Rom. 9. 26.), tu quis es, qui respondeas Deo? *Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, ab altero exigitur, quod pariter ab utroque debetur... Qui liberatur, habet unde gratias agat; qui damnatur, non habet, quod reprehendat.... & profecto neutrum iniquitate, sed utrumque misericordia & veritate.*

Id. ep. 107.

Ad

Ad *sufficientem* vero *Gratiam* quod attinet, hujusmodi adjutorium, quo homo pro libito potest, si velit, bonum operari, cuicunque a Deo dari temere negarunt Lutherus & Calvinus; quibus, sunt, qui addunt, Jansenium, Iprensem Episcopum; sunt tamen multi, qui eum ab hoc crimine absolvunt. Nos vero Fideles simul convenimus, dicentes uno ore: *fidelis Deus est, qui non patietur, nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.* Hinc 1. Cor. 10. 13.

Concilium Tridentinum anathemate percussit eum, *qui dixerit,* Sess. 24. Can. IX.

posse omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se Castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget; nec patitur, nos supra id, quod possumus, tentari. Apposuit quippe *Deus tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Neque juste Eccli. 15. 16. 17.

dicere quis potest: *mandata Dei gravia sunt; jugum* enim *meum,* 1. Joa. 5. 3.

inquit Dominus, *suave, & onus meum leve.* Matt. 11. 30.

Quare *nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita, voce uti debet:* Dei Præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. *Nam* Deus *impossibilia non jubet: sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Trid. Sess. 6. cap. 11.

Ideo *si quis dixerit, Dei Præcepta, homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Id. ibi Can. XVIII.

Et sane eo ipso, quod firmissime credimus Deum simul esse justum & bonum, clarissime patet, impossibilia non potuisse præcipere. Et ob hanc causam *non tibi imputatur ad culpam, quod* S. Aug. de nat. & gr. c. 43.

invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras; nec quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Non tibi dicitur: labora quærendo viam, ut pervenias ad Id. ibi cap. 36.

veritatem, & vitam; sed hoc tibi dicitur: piger, surge, via ipsa ad te venit, & te de somno dormientem excitavit. Id. tract. 34. in Joa.

Hinc ab Innocentio X. hæc omni jure proscripta fuit Propositio, quæ Jansenio a pluribus solet adscribi: *aliqua Dei Præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, impossibilia sunt; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.* Ex quo evidentissime sequitur, Deum Christianis omnibus, & justis præsertim hominibus, Gratia sua præsto semper esse, ut ipsi ejus mandata implere valeant. *Neque* enim

nim

nim *imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret, ut hoc ab homine fieret.*

Id. in Pſal. 56.

V. Iven. Inſtit. Theol. p. 6. Diſſ. 1. c. 5. a. 2.

Sunt præterea quidam magni nominis Theologi, qui, aliquorum Patrum, & nonnullorum Scripturarum teſtimoniorum, auctoritate ſuffulti, putant Infideles, queis Evangelica lux non affulſit, quique de Evangelio nunquam audierunt, Gratiam ſufficientem non habere, qua Vitam æternam conſequi poſſint. Ego tamen certo ſciens, quod *Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire... qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis*, contrariæ ſententiæ libentius ſubſcribo, quæ videtur magis conſona verbis Apoſtoli, ſcribentis ad Romanos: *inviſibilia ipſius* (Dei) *a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles, quia, cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Quomodo enim excuſabuntur, *ſi cælum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, undique*, inquit Auguſtinus, *mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus? A ſummo* enim *cælo egreſſio ejus, & occurſus uſque ad ſummum ejus; nec eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus;* præcipue cum, *manu formatoris noſtri, in ipſis cordibus noſtris Veritas ſcripſit:* quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; *hoc eſt, antequam Lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet, unde judicarentur, & quibus Lex non eſſet data.*

1. Tim. 2. 4. 6.

Cap. 1. 20. 21.

Lib. 10. Conf. cap. 6.

Pſal. 18. 7.

S. Aug. in Pſal. 57.

At modo quid dicendum de pueris, qui vel in matrum utero pereunt, vel jam nati, ante rationis uſum, ſine Baptiſmate decedunt? Num Deus *Gratiam ſufficientem* ad Vitam æternam conſequendam ipſis largitur? Ad hanc rem *non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti, paucorum dierum homines, ad illam pertineant Gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa Nationibus; quia utique, ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur; omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia, necdum rationalis infantia, ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, niſi per alios conſuli poteſt, & conſequens eſt, illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione, non credunt.... Sicut autem circa*

ca

ca majores præter illam generalem gratiam, parcius atque occultius, omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exoritur, ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio.

S. Aug. lib. 2. de Voc. Gent. c. 23

En igitur quomodo his Theologis ſit reſpondendum, qui pro ſua ſententia, geminum Divi Auguſtini teſtimonium afferentes, acriter contendunt, pueros, ſine Baptiſmate decedentes, a Deo *ſufficientem gratiam* non obtinuiſſe. Etenim ipſi quoque eam gratiam receperunt, quam donat Deus ſingulis & univerſis hominibus, nemine prorſus excepto; quod ſi pereunt, quia Baptiſmate non regenerati, id plerumque accidit incuria & culpa Parentum. *Hac de re legi poteſt, ſaltem curioſitatis cauſa, Diſſertatio edita a Patre Ignatio Bianchi C. R.* de remedio æternæ ſalutis pro parvulis in utero clauſis morientibus, *in qua demonſtrat quot modis & mediis, præter ea, quæ recenſuimus, Deus illorum puerorum, in matrum utero morientium, ſaluti provide conſuluerit.*

Verum neque hoc in dubium poteſt revocari, ipſis etiam peccatoribus obduratis in malo *gratiam ſufficientem* non deeſſe, qua ſuaviter trahuntur, ut reſipiſcant. Et ſane quomodo Stephanus dixiſſet Judæis: *dura cervice, & incirconcifis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, ſi eam gratiam non habuiſſent, qua ad meliorem frugem ſe poſſent recipere? verum quoniam plura ſunt Scripturarum teſtimonia, quæ omnino evincunt, quod multos peccatores, eo quod *non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt*, hinc profecto videtur non temere poſſe concludi, peccatoribus obſtinatis, obduratiſque in malo, Deum aliquando ſufficientem gratiam negare, qua, ad peccata ſua deteſtanda, Divinamque gratiam acquirendam interius moveantur.

Act. 7. 51.

Rom. 1. 28.

Itàque facili negotio explicatur, quomodo quandoque *tollatur Dei auxilium ab iis, qui indigni ſunt, ut, quia non ſenſerunt Deum per beneficia, ſentiant per ſupplicia.* Hujuſmodi peccatores ſignificantur ſub vineæ metaphora apud Iſaiam. *Vinea*, inquit, *facta eſt dilecto meo in cornu filio olei; & ſepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea, & expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruſcas. Nunc ergo, habitatores Jeruſalem & viri Juda, judicate*, inquit Dominus, *inter me, & vineam meam. Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, &*

S. Hier. in cap. 5. Iſa.

Cap. 5. 1. & ſeqq.

non

non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem; & ponam eam desertam; non potabitur, & non fodietur; & ascendent vepres, & spinæ; & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Profecto *illa est pœna peccati justissima, ut amittat quisque, quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, si quis sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui recte facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.* [S. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 18.] Cujus rei veritatem funesto exemplo probant Antiochus & Esau; *orabat* enim *ille scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus;* [2. Mach. 9. 13. Heb. 12. 17.] infelix vero Esau, ut testatur Apostolus, *postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

Interim vero etiam atque etiam caveamus, ne nos, vitio mancipantes, in nobismetipsis terribilem hunc Divinæ iræ effectum forte experiamur. Immo, quantum in nobis est, studeamus Deo ita fieri acceptos, ut Gratiam suam nobis largiatur, eamque semper custodire & conservare possimus. *Nibil* porro *est æque efficax ad Gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inveniamur coram Deo non altum sapere, sed timere. Beatus* enim *homo, qui semper est pavidus* (a). [S. Bern. Ser. 53. in Cant.] Et tali pacto *cum metu & timore salutem nostram operabimur;* tunc enim *Deus operabitur in nobis & velle & perficere.* [(a) Prov. 28. 14. Philip. 2. 12. 13.]

His, quæ de Gratia usque modo diximus, aliquid addendum superest de *Justificatione*, quæ primarius est Gratiæ effectus. Quo loco *Justificationis* nomine, [V. L' Hermen. tract. de Just.] licet per hoc nomen plura significentur in Sacris Litteris, hoc tantum insinuatur, ut sit *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Jesum Christum, Salvatorem nostrum; quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro Regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est:* [Trid. Sess. 6. cap. 4. Joa. 3. 5.] nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.

Quamvis autem infantes, utpote qui non sunt adhuc rationis compotes, ad *Justificationem*, nullo liberi sui arbitrii deliberato actu, se præparare teneantur, ut consentientibus omnibus Theologis docet Divus Thomas, [In 4. dist. 17. q. 1. a. 2.] tamen *declarat* Sacrosancta

Tri-

Tridentina Synodus, *ipsius Justificationis exordium in adultis per Christum Jesum, præveniente Gratia, sumendum esse;* [Sess. 6. cap. 5.] *hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum Justificationem, eidemque gratiæ, libere assentiendo & cooperando, disponantur;* & idem Can. III. & IV. ejusdem Sessionis sancitum fuit, ut jam notavimus in hujus tertiæ Partis Procemio. [Pag. 167.] Hujus autem Doctrinæ ratio est sane apertissima. Si enim in justificandis adultis non requireretur eorum voluntatis ullus prævius actus, & ipsi in ea acquirenda nihil omnino agerent, frustra certe in Scripturis hæc passim occurrerent: *si in toto corde vestro revertimini ad Deum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth; & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli* [1. Reg. 7. 3.] -- *hominis est animum præparare* -- *si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum;* [Prov. 16. 1. Apoc. 3. 20.] frustraque in Scripturis sæpissime peccatores redarguerentur, eo quod, neglectis dulcissimis misericordis Dei animadversionibus, Divinæque vocationi obsurdescentes, se ad Deum convertere noluerunt.

Peccatores vero tunc *disponuntur ad ipsam justitiam, dum, excitati a Divina gratia & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu; & dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem; hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata.* [Trid. Sess. 6. c. 6.]

Dispositiones igitur, quæ necessariæ sunt in adultis ad gratiam Justificationis in lavacro Regenerationis suscipiendam (idem dicendum de gratia Sanctificante, quæ per Sacramentum Pœnitentiæ comparatur) sunt Fides, Amor, Spes, Dilectio Dei saltem inchoata, Odium atque Detestatio peccatorum, Votum Baptismatis, Propositum tandem Divina Præcepta studiose observandi, ut docent saniores Theologi.

Et

Et hìc notandum est, modernos Novatores magnopere errare, qui temerarie pertinaciterque contendunt, ad peccatores justificandos solam Fidem sufficere. In Sacris enim Litteris eodem pacto inculcatur Fides, ac cætera opera bona; & quemadmodum sunt quædam loca, quæ videntur probare, satis esse ad Justificationem impii solam Fidem, sic occurrunt etiam alia loca, quibus posset quis contendere, singula ex allatis bonis operibus so-
Rom. 10. 10. lummodo esse necessaria. Hinc uti de Fide legimus; *corde cre-*
Eccli. 1. 27. *ditur ad justitiam*; ita de timore dicitur: *timor Domini expel-*
Luc. 7. 47. *lit peccatum*; & de Magdalena dictum fuit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Cæterum *Justificatio* in Sacris Litteris Fidei sæpius, quam aliis bonis operibus, adscribitur, quia *Fides est humanæ salutis initium, & omnis justitiæ radix, & fundamentum, sine qua impossibile est, placere Deo,*
Trid. Sess. 6. c. 8. *& ad filiorum ejus consortium pervenire*. Quapropter *si quis dixerit, sola Fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad Justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præpara-*
Ibi Can. IX. *ri, atque disponi, anathema sit*. Simili modo *si quis dixerit, Fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam Divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel etiam Fiduciam*
Id. ibi Can. XII *solam esse, qua justificamur, anathema sit*.

Cum vero peccator per opera sua bona Justificationis gratiam consequitur, ejus anima illico a peccatis, quibus antea fædabatur, munda fit, & libera. Hinc impie audaciterque volunt Protestantes, per *Justificationem* non tolli peccata, sed solummodo *tegi*, & *radi*. Verumenimvero *quis hoc nisi Infidelis affirmet? Dicimus enim Baptisma dare omnium indulgentiam pec-*
S. Aug lib. 1. cont. duas ep. Pel. cap. 13. Id. Enchir. cap. 52. *catorum, & auferre crimina, non radere*; & *sicut* in Christo *vera mors facta est, ita & in nobis vera remissio peccatorum; & sicut in illo vera Resurrectio, ita & in nobis vera Justitia*.

Et sane *in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Dia-*
Act. 10. 43. *boli*; & ipsi omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in
Psal. 50. 9. eum. Quare David sic Deum alloquebatur; *asperges me hysopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor*. Quare *si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum Originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati ratio-*

nem

nem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, a- Trid. Sess. 5. Can. V.
nathema sit.

Hæc porro veritas manifestius patebit ex consideratione alterius Dogmatis nostræ Fidei admodum certi, quod similiter impugnarunt Protestantes, quo gloriamur defendere, *Justificationis gratiam* non consistere nec *in illa Sanctitate, qua Deus ipse justus est*, ut vulgavit Osiandrus, aut *in sola peccatorum remissione*, ut defendit Calvinus, aut *in sola externa imputatione justitiæ Jesu Christi*, ut volebat Lutherus, sed essentialiter per ipsam impium renovari vi gratiæ, & charitatis Dei, quæ diffusa est in corde ipsius per Spiritum Sanctum. Rom. 5. 5.
Tunc enim homo a statu peccati ad statum gratiæ pertransit, cum Deus super ipsum purissimam aquam infundit, qua mundus fit ab omni labe, delenturque penitus sordes omnes, & in ipso creat Deus novum spiritum, & cor novum. Propterea *si quis dixerit, hominem justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret; sive etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum fa-* Trid. Sess. 6.
vorem Dei, anathema sit. Can. XI.

Verum *neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi, nisi eum, qui certo credat se absolutum, & justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici; quasi, qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo prius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat, certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. Id. ibi cap. 9.

Nemo igitur, nisi, ut accidit Paralytico (*a*), & Magdalenæ (a) Matt. 7. 2.
(*b*), de quibus fit mentio apud Evangelistas, id peculiari mo- (b) Luc. 7. 47.
do ipsi fuerit revelatum, certo asserere potest se ab omni labe peccati lotum fore, & nemo sibi potest dicere: *mundum est cor* Prov. 20. 9.
meum; purus sum a peccato; dum vivit enim, *nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*. *Quantalibet* enim *justitia sit* Eccli. 9. 2.
præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum Rex justus sederit in thro-

no,

S.Aug. de Perf. Just. cap. 15. *no, cujus cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa, de quibus dictum est: delicta quis intelligit?* Ideo sane, de se ipso loquens, ajebat Apostolus: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* & ideo etiam scribebat idem Apostolus ad Philippenses: *cum metu, & tremore salutem vestram operamini;* & in Ecclesiastico cuicunque dicitur: *de propitiato peccato noli esse sine metu.*

1. Cor. 4. 4.

Cap. 2. 12.

Cap. 5. 5.

Addendum præterea, Christiano homini timorem hunc ideo etiam fore necessarium, quia licet sperare ipse possit se Dei gratiam esse consecutum, immo de hoc sit moraliter certus, præcipue si sincere & ex animo de patratis criminibus doluerit, & diligenti habito examine, factaque Confessione, Absolutionem ab approbato Sacerdote obtinuerit, periculum tamen eam amittendi ipsi semper imminet, cum semper novis peccatis possit consentire; quapropter, id probe noscens, semper pugnabat Apostolus, castigabatque corpus suum, & in servitutem redigebat. *Caro enim*, inquit alibi, *concupiscit adversus spiritum;* & ideo timens, ne, malesuadis concupiscentiæ motibus indulgens, caro aliquando vinceret, ipsam continue affligebat; itàque potuit ea mala declinare, queis & nostri Protoparentes, & David, & Apostolus Petrus, quia sibimetipsis nimis arrogantes, infeliciter Sanctificantem gratiam amittentes, fuerunt obnoxii.

1. Cor. 9. 27.

Gal. 5. 17.

Si ergo de æternæ nostræ salutis negotio, ut debemus, solliciti sumus, ad Pauli Apostoli exemplum salutari timore muniamur, & carnem spiritui subdentes, omne studium atque diligentiam in eo collocemus, ut, in dies magis magisque in omnium virtutum genere proficientes, tandem perfecti simus; itàque eam Justitiæ coronam consequamur, quam promisit Deus diligentibus se. Ex Fide enim nostra certo tenemus, licet contrarium propugnare ausus sit Calvinus, quemcunque, gratia Sanctificante instructum, *de condigno* posse mereri, & suis bonis operibus vitam æternam sibi comparare, quam ideo in Sacris Litteris & *præmium*, & *merces*, & *corona* appellatur.

Eph. 1. 14. Quod ex eo maxime fit evidens, quod in Scripturis dicatur

1. Joa. 3. 9. Gratia *pignus hæreditatis nostræ*, & alibi *semen gloriæ*. Hinc

Sess. 6. c. 16. Tridentina Synodus *bene operantibus*, inquit, *usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est Vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, &*

Can. XXXII. *meritis fideliter reddenda.* Et eadem Tridentina Synodus anathemate

mate percutit eum, qui dixerit, *ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consecutionem.*

CAPUT SECUNDUM.

De Prædestinatione.

INter Gratiam & *Prædestinationem hoc tantum interest, quod Prædestinatio est Gratiæ præparatio, Gratia vero jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus:* non ex operibus, ne forte quis extollatur; ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, *Gratia est; quod autem sequitur:* quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, *Prædestinatio est, quæ sine Præscientia non potest esse; potest autem esse sine Prædestinatione Præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscribit, quæ fuerat ipse facturus; unde dictum est:* fecit, quæ futura sunt. *Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata; quia, & si sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiam peccatorum, unde dictum est:* tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant, quæ non conveniunt, *non ibi peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio; Gratia vero est ipsius Prædestinationis effectus.*

Eph. 2. 9.

Ibi.

Isai. 45. sec. 70. Interp.

Rom. 1. 28.

S. Aug de Præd. SS. cap. 10.

Quamvis autem *Prædestinationis* nomine significari etiam possit (in quo sensu illud usurparunt Sanctus Augustinus, & alii Patres) etiam Reproborum damnatio, tamen communiter hoc nomine intelligimus efficacem Dei intentionem, qua Deus ab æterno statuit electos a perditorum numero segregare, & ideo in Scholis sic passim definitur: *Prædestinatio est Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.* Dicitur *Præscientia*, sive *Prænotio* eorum, quæ electis contingere debent, quæ non *simplicis intelligentiæ*, ut quidam Theologi volebant, cum hæc ad sola spectet possibilia, sed hujusmodi scientia est scientia *visionis*, per quam futura omnia Deo nuda & aperta sunt. Præterea dicitur *Præparatio*, ut intelligatur, Prædestinationem non esse tantummodo antecedentem, & præviam notitiam æternæ salutis electorum, sed ipsam im-

V. L' Hermin de Præd.

importare poſitivum deliberatumque actum Divinæ voluntatis, quæ ante omnia Sæcula decrevit prædeſtinatorum ſalutem. Additur tertio *beneficiorum Dei, ſeu auxiliorum Divinæ gratiæ*, quibus, quaſi quibuſdam mediis, utuntur electi, ut æternam vitam conſequantur, quæ Prædeſtinationis finis eſt, & complementum. Non enim iis Theologis aſſentior, qui contendunt, inter ea beneficia ipſam Gloriam eſſe recenſendam; nam Prædeſtinatio ea ſolummodo beneficia complectitur, quibus a perditione electi liberantur. Et ſane, proprie loquendo, non Gloria, ſed Gratia liberantur. Sic tandem concluditur definitio: *quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur*; quibus verbis non ſolum efficacia Divinæ gratiæ ſignificatur, quæ effectum ſemper conjunctum habet, cum Prædeſtinatio firmum ſit, atque immutabile Dei Decretum; ſed fit etiam aliqua mentio eorum, qui peccaverunt, quorum ii perduntur, qui peculiariter per Divinam miſericordiam non liberantur.

Accuratius etiam Prædeſtinatio ſic ſolet definiri, ut *ſit æternum Dei Decretum, quo ipſe efficaciter ſtatuit quibuſdam Gratiam ſuam largiri in hac vita, & Gloriam in alia*; ex qua definitione videtur poſſe diſtingui duplex Prædeſtinatio; una ad Gratiam, ad Gloriam altera, quarum quæ in Dei mente prima fuerit, Theologorum Scholis definiendum relinquimus.

Verumenimvero eſt *præclariſſimum lumen Prædeſtinationis, & Gratiæ ipſe Salvator, ipſe Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui hoc ut eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, vel fidei, præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparavit?... Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet; ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſ-*
S.Aug. de Don. Perſev. c. 15. *ſemus. Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat, Dei gratia per Jeſum Chriſtum.*

Vocat quidem *Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici Filii ſui, non ea vocatione, qua*
Luc. 14. 18. *vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias.... ſed ea vocatione, quam diſtinxit Apoſtolus, dicens ipſis vocatis Judæis & Græcis prædicare Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam; ſic*
1. Cor. 1. 24. *enim ait:* ipſis autem vocatis, *ut illis oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quamdam certam vocationem eorum, qui ſecundum pro-*
S.Aug. de Don. Perſev. c. 16. *poſitum* vocati ſunt, quos præſcivit (Rom. 8. 29.), & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.

Ex quo *intelligimus vocationem, qua fiunt electi, non qui eli-* gun-

guntur, quia crediderunt, ſed qui eliguntur, ut credant. Hanc enim & Dominus ipſe ſatis aperit, ubi dicit (Joa. 15. 16.): non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Nam ſi propterea electi erant, quoniam crediderant, ipſi eum prius utique elegerant, credendo in eum, ut eligi mererentur. Auſert autem hoc omnino, qui dicit:* non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos; *& ipſi quidem procul dubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum. Unde non ob aliud dicit:* non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi, *niſi quia non elegerunt eum, ut eligeret eos, ſed ut eligerent eum, elegit eos, quia miſericordia ejus prævenit eos ſecundum gratiam, non ſecundum debitum. Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret in carne, ſed jam electos in ſe ipſo ante mundi conſtitutionem. Hæc eſt immobilis veritas Prædeſtinationis & Gratiæ.... Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea Prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit; electi ſunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædeſtinavit, implevit. Quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit, illa ſcilicet vocatione ſecundum propoſitum; non ergo alios, ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit; nec alios, ſed quos ita vocavit, ipſos & juſtificavit; nec alios, ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos &*
glorificavit. Hinc, ſtricte loquendo, Prædeſtinatio *non volentis,* Id. ibi cap. 17.
neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Rom. 9. 16.

Verum *cur iſte aſſumatur, ille relinquatur... cur hic vocetur, ille non vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Illud tamen Fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe*. Nam ſi fuiſſent ex nobis, *ait unus Prædeſtinatorum* (1. Joa. 2. 19.), *qui de pectore Domini bibebat hoc ſecretum*, manſiſſent utique nobiſcum. *Quid eſt quæſo*, non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent, manſiſſent utique nobiſcum? *Quænam eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei, non avertamus aſpectum. Clamat Scriptura Divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant ſecundum propoſitum vocati; non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi; non erant in eo ſortem*
conſecuti; non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui S. Aug. de Don. perſev.
univerſa operatur. cap. 7.

Inveſtigabilis ſane *eſt miſericordia, qua, cujus vult, miſeretur, nullis ejus præcedentibus meritis; & inveſtigabilis veritas, qua, quem vult, obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo, cujus miſeretur, plerumque communibus... In quibus tamen ſic alter magna Dei bonitate liberatur, ut alter nulla ejus* ini-

iniquitate damnetur. Nunquid *enim* est (Rom. 9. 14.) iniqui-
tas apud Deum? *Absit; sed investigabiles sunt viæ ejus. Itaque*
misericordiam ejus in his, qui liberantur, & veritatem in his,
qui puniuntur, sine dubitatione credamus; neque investigabilia ves-
Id. ibi cap. 11. *tigare conemur. Absit, ut pudeat nos respondere, quod respon-*
disse videmus (Rom. 20. 21.) *Apostolum*: o homo, tu quis es,
qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se fin-
xit, quid me fecisti sic? An habet potestatem figulus luti ex
eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero
in contumeliam? .... *Videt homo, si capit, universum genus*
humanum tam justo judicio Divino in apostatica radice damna-
tum, ut, etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vi-
tuperare justitiam; & qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut
ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima dereli-
ctis, ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, & quo etiam
istos debitum judicium Dei duceret, nisi ejus indebita misericor-
dia subveniret, ut volentium de suis meritis gloriari, omne os ob-
struatur, & qui gloriatur (1. *Cor.* 1. 31.), in Domino glorie-
Id. Enchir. c. 99 tur.

Absit tandem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem
vestram in ipso habere jubemini, non in vobis; *maledictus* e-
Jer. 17. 5. nim *omnis, qui spem habet in homine*; & *bonum est confidere in*
Psal. 117. 8. *Domino, quam confidere in homine*, quia *beati omnes, qui con-*
Psal. 2. 13. *fidunt in eum. Ipse* enim *vult omnes homines salvos fieri, & ad*
1. Tim. 2. 4. *agnitionem veritatis venire*; ipse *qui pro omnibus mortuus est*;
2. Cor. 5. 15. (a) 1. Tim. 2. 6. qui *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (*a*). Recte ergo
2. Pet. 1. 10. omnibus inquit Petrus: *satagite, ut per bona opera certam ves-*
Matt. 22. 14. *tram vocationem & electionem faciatis*. Monet enim Evangelium,
quod *multi sunt vocati, pauci vero electi*; ac proinde orandum
est, ut *nos ab æterna damnatione eripi, & in electorum suorum*
Can. Miss. *jubeat grege numerari. Bonum* autem *facientes non deficiamus;*
Gal. 6. 9. *tempore enim suo metemus non deficientes*. Tum maxime quia
nemo, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinæ Præ-
destinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat,
se omnino esse in numero Prædestinatorum; quasi verum esset,
quod justificatus, aut amplius peccare non possit, aut si peccave-
Trid. Sess. 6. c. 12. *rit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat; nam nisi ex spe-*
ciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

Certi tamen sumus, quod, *si cor nostrum non reprehenderit nos,*
fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus
ab

ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ placita
sunt coram eo, facimus. Quod si peccatores sumus, *confiteamur* 1. Joa. 3. 22.
peccata nostra; fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata
nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Ibi 1. 9.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis
peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum jus-
tum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris
autem tantum, sed etiam pro totius mundi... Nolite igitur *di-* Ibi. 2. 3. 4.
ligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit
mundum, non est charitas Patris in eo. Qui autem *manet in* Ibi. 15.
charitate, in Deo manet, & Deus in eo; & qui servat manda- Ibi. 16.
ta ejus, in illo manet, & Deus in eo; & in hoc scimus, quo-
niam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis. Ipse enim Ibi. 3. 24.
Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei;
si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem
Christi, si tamen compatimur, & conglorificemur. Non est igi- Rom. 8. 17.
tur *voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cœlis est, ut pereat*
unus de pusillis istis. Perditio tua ex te: tantummodo in me au- Matt. 18. 14.
xilium tuum. Vult enim *Deus, omnes homines salvos fieri, non* Osee 13. 9.
sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel ma- S. Aug. de Don.
le utentes, justissime judicentur. Persev. cap. 19.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS

ET ULTIMUS.

De Sacramentis.

B*Enedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo . . . Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui, cum visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui*, dignatus est, non solum dulce ac suave jugum nobis imponere, sed & ea omnia nobis suppeditavit præsidia, quæ ad salutem æternam consequendam forent opportuniora, ne dum necessaria. Sunt hæc nimirum Sacramenta, quæ, de latere Christi in Cruce pendentis, lancea percusso, manantia, totam Ecclesiam, cœlestis Patris amenissimum hortum, irrigant & fœcundant. Per hæc enim & vitam rursus habent Fideles, si eam forte amiserint, & gratiam acquirunt, quibus Deo, si velint, diu vivere possint. Nos itaque, qui supra præcipua exposuimus Catholicæ Fidei Mysteria, & sermonem habuimus de Decalogo & Ecclesiæ Præceptis, de Virtutibus & Peccatis, de Gratia & Prædestinatione, modo, uti postulat rectus ordo, agimus in hoc ultimo libro de Sacramentis.

Ps.33.2.4.
Luc.1.68.69.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in Genere.

S*Acramenti nomen aliter a Prophanis, quam a Sacris Scriptoribus acceptum est. Nam alii Auctores Sacramenti nomine obligatio-*

tionem illam significare voluerunt, cum jurati aliquo servitutis jugo obstringuntur; ex quo jusjurandum, quo se milites fidelem operam Reipublicæ præstituros pollicentur, Sacramentum militare dictum est; atque hæc frequentissima hujus vocabuli significatio apud illos videtur fuisse. Verum apud Latinos Patres, qui res Divinas scriptis tradiderunt, Sacramenti nomen aliquam rem sacram, quæ in occulto latet, declarat; quemadmodum Græci ad eamdem rem significandam Mysterii vocabulo usi sunt. In eam vero sententiam Sacramenti vocem accipiendam esse intelligimus, cum ad [Cap. 1. 9.] *Ephesios scribitur:* ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ; [1. c. 3. 16.] *deinde ad Timotheum:* magnum est pietatis sacramentum. [Cap. 2. 22.] *Præterea in libro Sapientiæ:* nescierunt sacramenta Dei. *Quibus in locis, & aliis multis, licet animadvertere, Sacramentum nihil aliud, nisi rem sacram, abditam, atque occultam, significare. Quare Latini Doctores Signa quædam sensibus subjecta, quæ gratiam, quam efficiunt, simul etiam declarant, &* [Catech. Rom. P. II. c. 1. n. 2. & 3.] *veluti ante oculos ponunt, Sacramenta commode appellari posse existimarunt.*

Ut igitur *explicatius, quid Sacramentum sit, declaretur, docendum erit, rem esse sensibus subjectam, quæ, ex Dei inspiratione, sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet. Ex quo sequitur, ut facile quivis possit intelligere, Imagines Sanctorum,* [Id. ib. n. 11.] *Cruces, & alia id generis, quamvis sacrarum rerum Signa sint, non ideo tamen Sacramenta dicenda esse. Sacramentum* autem *est Signum rammemorativum ejus, quod præcessit, scilicet passionis Christi, & demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, & prognosticum, idest prænunciativum, futuræ gloriæ.* [S. Thom. p. 3. q. 60. a. 3.]

Id exemplo Baptismatis fiet manifestius. *Cum* enim *Apostolus ait:* [Rom. 6. 3.] quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, *plane ostendit, idcirco Baptismum Signum dicendum esse, quod Dominicæ passionis & mortis nos admonet; deinde cum inquit:* consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, *ex his verbis perspicuum est, Baptismum Signum esse, quo cœlestis gratia in nos infusa declaratur, cujus munere nobis datum est, ut, novam vitam instituentes, omnia veræ pietatis officia, facili & libenti animo exequamur. Postremo cum addit:* [Ib. 5.] si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, *apparet*

ret Baptismum vitæ etiam æternæ, quam per illum consecuturi sumus, non obscuram significationem dare. [Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 12.]

Verum *non ideo credendum est, & ante Circumcisionem* (idest in Lege naturæ) *famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris Fides in carne venturi, nullo Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. Nam & Sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi. In nullum* enim *nomen Religionis, seu verum, seu falsum,* [S. Aug. lib. 5. cont. Jul. c. 11.] *coagulari homines possunt, nisi aliquo Signaculorum, vel Sacramentorum visibilium, consortio colligentur, quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit; impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* [Id. lib. 12. cont. Faust. c. 21.]

Porro *sicut homines nulla Lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius Legem dari, tum propter obscuritatem Legis naturæ ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur; & ideo etiam necesse fuit* [S. Thom. p. 3. q. 60. a. 5.] *res determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis.*

Licet vero in quolibet statu post prævaricationem Adæ viguerint aliqua Sacramenta, tamen, si *discernemus duo Testamenta, vetus & novum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem Promissa, eadem tamen pleraque Præcepta ... Præcepta eadem, quia secundum hæc Deo servire debemus; Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem; Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* [S. Aug. in Psal. 73.]

Et sane *prima Sacramenta, quæ observabantur, & celebrabantur ex Lege, prænunciativa erant Christi venturi, quæ, cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; & ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere Legem, sed adimplere: & alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia Fidei revelata, & in libertatem vocatis Filiis Dei, jugo servitutis ablato, quod duro & carni* [Id. lib. 19. cont. Faust. c. 13.] *dedito populo congruebat.*

His itaque *adversus calumniosam imperitiam Fausti* Manichæi *demonstrare suffecerit, quanto errore delirent, qui putant, Signis Sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, quas ritus Pro-*

Propheticus prænuntiavit promiſſas , & quas ritus Evangelicus annunciavit impletas ; aut qui cenſent , cum res eædem ſint , non eas aliis Sacramentis annuntiari debuiſſe completas , quam iis , qui- Id. ibi cap. 16. *bus adhuc complendis prænuntiabantur*. Quapropter *ſi quis dixerit, ea ipſa novæ legis Sacramenta a Sacramentis veteris Legis non differre , niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi , a-* Trid. Seſſ. 7. Can. II. *nathema ſit .*

Omnia autem *Sacramenta tribus perficiuntur , videlicet Rebus tanquam materia , Verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi , quod facit Eccleſia , quorum, ſi* Eug. IV. in Conc. Flor. *aliquid deſit , non perficitur Sacramentum* . Et quidem *cum Res ſacræ , quæ per Sacramenta ſignificantur , ſint quædam ſpiritalia , & intelligibilia bona , quibus homo ſanctificatur , conſequens eſt , ut per aliquas res ſenſibiles ſignificatio Sacramenti impleatur ; ſicut etiam per ſimilitudines ſenſibilium rerum in Divina Scriptura res* S.Thom. 3. p. q. 60. a. 9. *ſpiritales nobis deſcribuntur .*

Hujuſmodi igitur *Res ſenſibiles vocantur materia Sacramentorum . Ad perfectionem* vero *ſignificationis Sacramentalis neceſſe fuit , ut ſignificatio rerum ſenſibilium per aliqua Verba determinaretur . Aqua enim ſignificare poteſt & ablutionem , & refrige-* S. Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 2. *rium ; ſed cum dicitur :* ego te baptizo, *manifeſtatur , quod aqua utimur in Baptiſmo ad ſignificandam emundationem ſpiritalem .* Verba igitur, quæ proferuntur in conferendis Sacramentis , dicuntur *Sacramentorum forma .*

Quod ſpectat ad duas haſce Sacramentorum partes , *Materiam* videlicet , & *Formam*, certiſſimum eſt, Chriſtum , qui Sacramentorum omnium , ut dicemus infra , fuit inſtitutor , eas ſpeciali modo in Sacramentis Baptiſmatis & Confirmationis declaraſſe , & præcepiſſe . Quæ enim eſſe debeat Baptiſmatis *materia* , tunc ſignificavit , cum dixit : *niſi quis renatus fuerit ex aqua , & Spi-* Joan. 3. 5. *ritu Sancto , non poteſt introire in Regnum Dei ;* & ejus *formam* hiſce aliis verbis denotavit : *euntes docete omnes gentes , bapti-* Matt. 28. 19. *zantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti .* Similiter Euchariſtiæ materiam ac formam ipſe definivit , cum in ultima cœna *accepit panem , & benedixit , fregit , deditque* Matt. 26. 26. 27. *Diſcipulis ſuis , & ait : accipite , & comedite, hoc eſt corpus meum ; & accipiens calicem , gratias egit , & dedit illis dicens : bibite ex* Luc. 22. 19. *hoc omnes . . . hoc facite in meam commemorationem .* Circa alia vero Sacramenta Quæſtio eſt in Scholis ſummo ardore agitata , utrum

trum Chriſtus eorum materiam & formam decreverit peculiari modo , vel generaliter eas ſtatuendas Eccleſiæ mandaverit .

Nos modo hujuſmodi Quæſtiones , quæ ad nos ex noſtro inſtituto parum faciunt , Scholaſticis Theologis relinquentes , animadvertimus, *mutationem ſubſtantialem* materiæ, aut formæ Sacramentalis , nullum prorſus reddere Sacramentum , non tamen *accidentalem* . Tunc vero *ſubſtantialis* accidit mutatio , cum, pro re ſenſibili a Chriſto determinata , res alia alterius ſpeciei adhibetur ; ex. gr. ſi in Baptiſmate aliquis, pro aqua ſimplici, liquore alterius generis uteretur ; vel ſi in Sacramento Euchariſtiæ Sacerdos verba ſupra panem, non ex tritici farina coagmentatum, proferret . Tunc vero contingeret mutatio materiæ ſolummodo *accidentalis* , cum in materia jam determinata aliqualis tantummodo fieret mutatio ; ex. gr. ſi quis Baptiſmatis aquæ cinerem admiſceret ; vel ſi quis ex Latinis in Euchariſtia panem fermentatum conſecraret . DD. com.

Quoad formam vero , quæ mutari poteſt, verba tranſponendo, omittendo , addendo , interrupte proferendo &c. tunc mutatio eſt *ſubſtantialis*, cum verba non amplius ſignificant , quod Chriſtus voluit . Si quis ex. gr. tali pacto , uti mos erat Arianis , baptizaret : *ego te baptizo in nomine Patris majoris , & Filii minoris* , tunc mutatio eſſet *ſubſtantialis* . Eſſet autem ſolummodo *accidentalis* , cum , quin mutetur ſenſus , aliqua fieret verborum immutatio ; quemadmodum, ſi in conferendo Baptiſmate, omitteretur pronomen *ego* , vel pro illis verbis *ego te baptizo* &c. hæc adhiberentur : *ego te aſpergo* &c. De diſtinctione mutationis *ſubſtantialis* ab *accidentali* conſulendi ſunt Theologi , qui de hac re accuratius agunt , ne in re tanti momenti aliquis ſubrepat error , & tunc accidentalem contingere mutationem quis putet , cum reapſe ſit ſubſtantialis ; uti eveniret utenti hujuſmodi forma : *ego te baptizo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis :* hoc enim *Trinitatis* verbo non diſtinguuntur Perſonæ , ut neceſſario poſtulat forma Baptiſmatis . DD. com.

Licet vero , uti monuimus , validum ſit Sacramentum , cum formæ , vel materiæ mutatio eſt ſolummodo *accidentalis* , nemini tamen licet pro lubitu verba , vel materiam immutare ; quod quotieſcunque quis facit , peccat mortaliter . Ratio eſt , quia Miniſter tunc agit Perſonam *diſpenſatoris Myſteriorum Dei*, prop- 1. Cor. 4. 1. tereaque tenetur ea materia , & his verbis uti , quæ definivit Eccleſia , ut apertiſſime conſtat ex Tridentina Synodo , quæ de- Seſſ. 7. Can. XIII.

crevit, quod si *quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato, a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Neque licet in Sacramentis conferendis uti forma & materia probabili, tutiore posthabita, uti patet ex hujusmodi nefanda Propositione, propugnata inter alios Jesuitas a Patre Thoma Tamburino, & damnata ab Innoc. XI.: *non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia tantum probabili utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Lib. 1. in Dec. cap. 3.

Conveniunt tamen plerique ex sanioribus etiam Theologis, in Casu extremæ necessitatis, si agatur de Sacramentis omnino necessariis, Baptismatis nimirum & Pœnitentiæ, licere sequi Opinionem etiam mere probabilem. Si enim hæc Sacramenta invalide etiam tunc conferantur, non ideo tamen violatur honos Sacramentis debitus, quæ a Christo Domino ob spiritalem solummodo animarum nostrarum utilitatem fuerunt instituta.

Quid porro dicendum de formis *conditionatis*? ex. gr. si quis diceret; *ego te baptizo, si non es baptizatus in nomine Patris* &c. Quamvis usque ad Sæculum VIII. (quemadmodum animadvertunt plures eruditi Scriptores, quos recenset Doctissimus P. Berti) nulla hujus conditionatæ formæ facta sit mentio, certum tamen est, Sæculo præsertim XII., Decreto Alexandri III. hujusmodi formæ usum approbatum fuisse, & postea in Ecclesia, regnante Summo Pontifice Gregorio IX., universaliter fuisse receptum. Licitum igitur est absque dubio conferre Sacramentum Baptismatis sub hujusmodi conditionata forma, cum certum, saltem moraliter, sit, antea valide non fuisse collatum. Idem quoque dicendum, non solum de Sacramentis, quæ Characterem imprimunt, de quo agemus infra, de Confirmatione scilicet & Ordine, sed de aliis quoque, quæ Characterem non imprimunt. Sacerdos sane conditionali forma uti debet in conferendo Pœnitentiæ Sacramento, cum dubitat, an aliquod omiserit essentiale verbum, vel nescit, utrum pœnitens Absolutionis sit capax.

De Theol. Disc. l. 30. c. 12. n. 1.

Quo loco, antequam ulterius progrediamur, juvat animadver-

vertere, formam Sacramentorum non esse verba promissoria, aut concionatoria, uti temere volebant Lutherus aliique Hæretici, sed mere consecratoria; nulla enim apparet concio, aut promissio v. g. in forma Baptismatis: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nec in forma Sacramenti Eucharistiæ, quæ est hujusmodi: *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus* &c. Hæc enim verba, ex quibus constat forma allatorum Sacramentorum, quæ citati etiam Novatores admittunt, nec gratiam promittunt, nec annuntiant, sed potius vere exprimunt eorumdem Sacramentorum effectum. Forma enim Baptismatis declarat animam a peccati sordibus emundari; & Eucharistiæ forma denotat, panem & vinum in sanctissimum Christi corpus & sanguinem transubstantialiter converti.

Quo vero pacto tanta res, & tam admirabilis efficiatur, quemadmodum Sancti Augustini sententia celebratum est, aqua corpus tangat, & cor abluat, *id quidem humana ratione, atque intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura, & vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat. At Fidei lumine cognoscimus, omnipotentem Dei virtutem in Sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsæ naturales penetrare non possunt.*

Tract. 80. in Joan.

Catech. Rom. P. II. c. 1. n. 27.

Hinc *plane constat, excellentiorem & præstantiorem vim Sacramentis novæ Legis inesse, quam olim veteris Legis Sacramenta habuerunt, quæ, cum infirma essent egenaque elementa, inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non animæ; quare ut signa tantum earum rerum, quæ mysteriis nostris efficienda essent, instituta sunt. At vero Sacramenta novæ Legis, ex Christi latere manantia, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, atque ita eam gratiam, quam significant, Christi sanguinis virtute operatur.*

Id. ib. n. 29.

Cum porro *Deus sit, qui homines justos efficiat, ipsa vero Sacramenta justitiæ adipiscendæ mirifica quædam instrumenta sint, patet, unum eumdemque Deum in Christo justificationis, & Sacramentorum auctorem agnoscendum esse. Præterea Sacramenta eam vim, & efficientiam continent, quæ ad internam animam penetrat. Cum vero unius Dei potentiæ proprium sit in corda, & mentes hominum illabi, ex hoc etiam perspicitur, Sacramenta a Deo ipso per Christum instituta esse; quemadmodum ab eo quoque intus dispensari, certa & constanti fide tenendum est; hoc enim testimo-*

nium de illo se accepisse Sanctus Joannes c. 1. *v.* 33. *affirmat,*
cum ait: qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: su-
per quem videris Spiritum descendentem, & manentem super
Id. ib. n. 23. eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Quare si *quis di-*
Trid. Sess. 7. Can. I. *xerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Do-*
mino nostro instituta . . . anathema sit.

Quamvis autem Deus Sacramentorum auctor & dispensator sit,
ea tamen, non per Angelos, sed per homines, ut optime advertit
3. p. q. 64. a. 7. D. Thomas, ministrari in Ecclesia voluit. Proptereaque gravissime
Lib. de Miss. priv. erravit impius Lutherus, affirmans Dæmonem quoque ministrum
Sacramentorum esse posse, & inter Christianos unumquemque,
neque ipsis fœminis & pueris exceptis, potestatem habere con-
ferendorum Sacramentorum. Quisquis enim, cui rationis lumen
affulgeat, facili negotio intelligit, necessarium esse, ut *non sit*
1. Cor. 12. 25. *Schisma* in mystico Ecclesiæ corpore, Sacerdotum officium, &
Ordinis Sacramentum. Quapropter ipse Christus *dedit quos-*
dam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero E-
vangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem
Eph. 4. 12. *Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.*
Hujusmodi autem *honorem nemo sibi sumit, sed qui vocatur a*
Heb. 5. 4. *Deo tanquam Aaron;* & ideo *si quis dixerit, Christianos omnes,*
in verbo & in omnibus Sacramentis administrandis, habere potes-
Trid. Sess. 7. Can. X. *tatem, anathema sit.* De Ministris singulorum Sacramentorum
tunc dicemus aliquid, cum agemus de Sacramentis in specie;
ideoque hic quædam tantum afferam, scitu necessaria, & ad-
modum utilia, spectantia ad *intentionem, fidem,* & *probitatem*
Ministrorum.

Intentio igitur est *Propositum voluntatis, qua Minister Sacra-*
mentum conferre deliberat, & statuit. Triplex est; *Habitualis,*
Actualis, & *Virtualis,* quam quidam & *Interpretativam* vocant.
Prima est *prompta quædam facilitas operandi ex habitu, seu in-*
L. Hirmin. de Sacr. c. 16. *fuso, seu acquisito; sive est voluntas operis faciendi, nullatenus in*
actionem influens; immo de qua nulla est cogitatio, vel memoria.
Altera est *præsens animi applicatio, & attentio ad opus, quod*
agitur. Tertia ea est, *quæ ex actuali intentione præcedente, nec*
per contrariam intentionem, aut notabilem temporis moram inter-
rupta, in opere perseverat.

Intentio porro, habita ratione ad id, quod tunc intendit ope-
rari Minister, dividitur in *internam* & *externam*. *Interna* est men-
tis deliberatio exequendi non solum ritus externos ab Ecclesia
præ-

præscriptos, sed agendi etiam rem in se sacram & religiosam.
Externa contra est voluntas *simulata* exequendi ritus tantum ex-
ternos, quin advertat animus rem illam sacram esse & religio-
sam, vel etiam animo rem sacram non agendi. *Intentio* hæc
simulata, alia *occulta* est, alia *manifesta;* potest enim quis se-
rio tantum externos ritus exercere, ut hypocrita, & tunc *oc-*
culta est; & potest quis eos exercere ad derisionem, uti hystrio-
nes, & tunc dicitur *manifesta*.

Quibus præpositis, ut res meliori in lumine collocetur, ad-
vertendum est, esse Fidei Dogma juxta Decretum Eugenii IV.,
quod attulimus supra, necessariam esse in Ministris Sacramento-
rum eam intentionem, quam habet Ecclesia in conferendis Sa-
cramentis; & ideo ab Apostolo *Ministri Christi* appellantur, & *Dis-* Cor. 4. 1.
pensatores Mysteriorum Dei; & propterea Martinus V., Summus
Pontifex, in Concilio Constantiæ decrevit, ut interrogarentur
ii, qui Wiclefi Hæresi addicti suspicabantur, utrum *certo te-*
nerent, improbum Sacerdotem, præscripta forma & materia uten-
tem, & intendentem id agere, quod agit Ecclesia, valide confi-
ciat, & conferat Sacramenta. Si quis igitur *dixerit, in Ministris,*
dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem Trid. Sess. 7. Can. 11.
saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.

Hinc quisque facile intelligit, quam impie a veritate aber-
raverint Lutherus & Calvinus, defendentes, ad valorem Sacra-
mentorum Ministri intentionem non requiri, & tunc etiam fo- V. Iven. Diss. 1. de Sacr. q. 5. c. 2. a. 3.
re valida, cum ad illudendum conficiuntur, vel conferuntur;
in quo sensu fortasse, uti plures docti Theologi existimant,
damnata fuit ab Alexandro VIII. sequens Propositio: *valet Bap-*
tismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formam-
que baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resol-
vit: non intendo facere, quod facit Ecclesia.

Verum utrum sufficiat ad conficiendum Sacramentum, Minis-
trum gerere solummodo Ecclesiæ personam, & serio adhibere
materiam & formam secundum Ecclesiæ ritus, quin agere intendat,
quod agit Ecclesia, consulendi sunt Episcopi, & Romana Sedes.
Certum quidem est plures doctissimos Theologos post Ambrosium
Catharinum, insignem Episcopum ex Instituto S. Dominici, hu-
jusmodi Sententiæ affirmative subscripsisse, quamvis plures non
desint, iique etiam Clarissimi Theologi, qui eam impugnent,
eamque valde affinem declarent alteri Sententiæ, quam in mo-
dernis Novatoribus nuper proscripsit Ecclesia. Ego sane Quæs-
tio-

tionem hanc, adeo agitatam, Scholasticis relinquens, animadverto solummodo, verisimile non esse Catharinum, qui adfuit Concilio Tridentino, propatereaque mentem illius Concilii probe erat assecutus, quique Opinionem hanc suam scriptis vulgaverat, antequam conficeretur Tridentina Synodus, ea asseruisse, quæ ipsa improbaret. Quocumque vero modo res se habeat, modo licet unicuique eam sententiam amplecti, quæ sibi veritati magis consona videatur. *Quicumque autem desiderat Catharini Sententiam egregie expositam, & pulcherrime propugnatam, legat Dissertationem Patris Serry.*

Sed ut progrediamur ea referentes, de quibus nulla est controversia inter sacros Doctores, illud certo constat, necessariam non esse in administratione Sacramentorum *actualem intentionem*, licet optima foret, sed *virtualem* sufficere, cum *intentio virtualis* sit ipsa actualis intentio producta, non tamen interrupta longo temporis spatio, proptereaque est deliberatus voluntatis actus, quo Minister ad agendum humaniter impellitur. Hinc Theologi conveniunt etiam in hoc, ut asserant *habitualem intentionem* non sufficere; qui enim hac solummodo intentione agit, agit absque consilio, & sine voluntatis concursu, ut liquido patet in ebriis, & dormientibus. Nec sane valet quidquam auctoritas Theologorum, qui ante Scotum scripsere; ipsi enim tunc *intentionis habitualis* nomine id intelligebant, quod nos modo nomine *virtualis*.

V. Iren. Diss. 1. de Sacr. cap. 2. a. 2. q. 5.

Et illud etiam certissimum est, quod in administratione Sacramentorum non requiritur intentio producendi spiritales ipsorum effectus. Quod patet ex universali Ecclesiæ praxi, quæ validum atque ratum declarat Baptismatis Sacramentum, nec iterari sub conditione permittit, dummodo debita materia & forma fuerint adhibitæ, si conferatur a Lutheranis etiam & Calvinistis, licet hujusmodi Ministri negent, tale Sacramentum peccata remittere, & Characterem imprimere.

Hinc error esset, qui Catholicæ Religioni adverseretur, si requireretur Fides in Ministris ad valorem Sacramentorum. Tertio quidem, & quarto Sæculo plures Catholici, & quidam etiam clarissimi Episcopi, præsertim Afri, sibi persuaserunt, eos iterum esse baptizandos, qui ab Hæreticis fuissent baptizati, asserentes, ut valida sint Sacramenta, Fidem in Ministris necessario requiri. Primus qui huic Sententiæ subscripsit, fuit quidam Agrippinus, Chartaginensis Episcopus, quemadmodum testatur D. Cy-

Cyprianus, qui ep. 71. & ipse summo studio eumdem errorem propugnavit, si tamen ipse auctor est citatæ epistolæ, ut putant plures eruditi Scriptores, contrarium asserente P. Raymundo Missorio ex insigni Ordine Minorum Conventualium. Hujusce autem erroris certior factus Stephanus Primus, Romanus Pontifex, Divum Cyprianum, missa ad eum epistola, acriter reprehendit, &, huic novitati Ecclesiæ constantem opponens traditionem, validum decrevit Baptismatis Sacramentum, etiam ab Hæreticis collatum; quæ audiens D. Cyprianus, vel errorem abjuravit, vel martyrio emendavit. Ipse tamen venia dignus erat, eo quod illud defenderet, quod illis temporibus universalis Ecclesiæ consensu non damnabatur. *Si quis ergo dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse vere Baptismum, anathema sit.*

V. L'Hermin. de Sacr. c. 17. S. Aug. lib. 2. de Bapt. c. 4.

Id. Ibi. c. 18.

Trid. Sess. 7. Can. IV.

Ex quibus sequitur etiam evidentissime, necessariam non esse in administratione Sacramentorum probitatem Ministri. *Hanc in Ecclesia certam & exploratam Sententiam semper fuisse Sanctus Augustinus in iis Disputationibus, quas adversus Donatistas conscripsit, clarissime demonstravit. Quod si etiam Scripturæ testimonia quærimus, ipsum Apostolum his verbis loquentem audiamus.* Ego, *inquit*, plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit; neque enim, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. *Ex quo loco satis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obest eorum improbitas, quorum manu satæ sunt, ita nihil vitii aliena culpa contrahi illis posse, qui malorum hominum ministerio Christo insiti sunt. Quare, ut ex D. Joannis Evangelio Sancti Patres nostri docuerunt, Judas etiam Iscariotes plures baptizavit, ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuisse legimus; ita ut præclare Divus Augustinus scriptum reliquerit:* dedit Baptismum Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem; quia, quod datum est a Juda, Baptisma Christi erat; quod autem a Joanne datum est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed Baptismum Christi, etiam per Judæ manus datum, Baptismo Joannis, etiam per manus Joannis dato, recte præponimus. Quapropter *si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum, pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

1. Cor. 3. 6. 7.

Cap. 4. 2.

Tract. 5. in Joan.

Catech. Rom. P. II. c. I. n. 25.

Trid. Sess. 7. Can. XII.

Licet

Licet igitur suscipere Sacramenta, etiamsi a malis Ministris conferantur, quando tamen ab Ecclesia tolerentur; hoc est, dummodo non excommunicentur, vel suspendantur ab officio, vel sint publici Clericorum percussores; improbitas enim Ministri in conferendis Sacramentis ipsi tantum nocet.

Mart. V. Const. ad evitan.

Immo licet etiam in Casu necessitatis Sacramenta petere ab iis Sacerdotibus, qui facultatem habent ipsa ministrandi, & præsertim a suis Parochis, qui ex officio illa conferre tenentur, quamvis certo constaret, eos tunc mortali aliqua culpa fœdari.

S. Tho. in 4. Dist. 24. q. 1. a. 1. q. 5.

Tamen ne quis forte alieno peccato cooperetur, caveat quammaxime unusquisque a postulandis Sacramentis ab hujusmodi Sacerdotibus, quin revera gravissima urgeat necessitas; quæ tamen si adsit, Sacramenta petere licet, Baptismatis nimirum & Pœnitentiæ, a Sacerdotibus, non solum malis, sed etiam ab Ecclesia non toleratis.

Id. ibi. S. Aug. lib. 1. de Bapt. c. 2.

Hoc loco animadvertendum est, quoniam sermonem habemus de administratione Sacramentorum, Sacerdotes graviter peccare, quotiescunque aliqua culpa fœdati, aliquid agunt tanquam Ecclesiæ Ministri; & toties peccare juxta plurimorum saniorum Theologorum sententiam, quoties ab ipsis eadem actio iteratur. *Sancta enim, quod semel atque iterum, ac sæpius admonere oportet, sancte & religiose tractanda sunt. Peccatori, ut est apud Prophetam, dixit Deus:* quare enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam. *Quod si homini, peccatis contaminato, minus licet de rebus Divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra Mysteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere, & ministrare vereatur?*

Ps. 42. 16.17.

Catech. Rom. P.II. c. 1. n. 26.

Quapropter *Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, quod absit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.*

Rit. Rom.

Sed, quæ diximus de Ministro Sacramentorum, sint satis; dicamus modo quædam de eorum numero; *quæ sane cognitio hanc utilitatem affert, quod populus eo majori pietate omnes animi sui vires ad laudandam, & prædicandam Dei erga nos singularem beneficentiam convertet, quo plura salutis, ac beatæ vitæ adjumenta nobis divinitus parata esse intellexerit. Catholicæ igitur Ecclesiæ Sacramenta, quemadmodum ex Scripturis probatur, & Patrum traditione ad nos pervenit, & Conciliorum testatur auctoritas, septenario numero definita sunt.* Impie ergo conantur moderni Novatores Sacramentorum numerum imminuere, quorum aliqui duo solummodo esse Sacramenta asserere sunt ausi, uti Calvinus & Melanthon, alii tria, ut Brenzius, alii quatuor, uti Lossius, alii sex, uti Willelmus Postellus. Quare optime sancivit Tridentina Synodus, ut si *quis dixerit, Sacramenta novæ Legis . . . esse plura, vel pauciora, quam septem, anathema sit.*

Catech. Rom. P.II. c. 1. n. 19.

Sess. 7. Can. I.

Septem igitur sunt novæ Ecclesiæ Sacramenta, quæ significantur Prov. 9. v. 1. ubi legitur: *Sapientia ædificavit sibi domum; excidit columnas septem;* & Apoc. 1. v. 13. & 16. ubi testatur Joannes, se vidisse *septem candelabra aurea, & in medio candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere . . . & habentem in dextera sua stellas septem. Cur autem nec plura, nec pauciora numerentur, ex iis etiam rebus, quæ per similitudinem a naturali ad spiritalem trasferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum, vitamque conservandam, & ex sua, reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur, ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur, si in morbum incidat, sanetur, imbecillitas virium reficiatur; deinde, quod ad Rempublicam attinet, ut Magistratus numquam desint, quorum auctoritate, & imperio regatur; ac postremo, legitima sobolis propagatione, se ipsum & humanum genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facile Sacramentorum numerus colligetur.*

Catech. Rom. P.II. cap. 1 n. 20.

Inter Sacramenta *primus est Baptismus veluti cæterorum janua, quo Christo renascimur; deinde Confirmatio, cujus virtute fit, ut Divina gratia augeamur, & roboremur; baptizatis enim jam Apostolis, ut Divus Augustinus testatur, inquit Dominus:* sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto. *Tum Eucharistiam, qua tanquam cibo vere cœlesti spiritus noster alitur, & sustinetur; de ea enim dictum est a Salvatore;* caro mea vere est cibus; & sanguis meus vere est potus. *Sequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero extrema Unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur; siquidem D. Jacobus, cum de hoc Sacramento loqueretur, ita testatus est:* & si in peccatis sit, remittentur ei. *Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exequendi potestas traditur. Postremo additur Matrimonium,*

nium, ut, ex maris & fœminæ legitima & sancta conjunctione, filii ad Dei cultum, & humani generis conservationem, procreentur, & religiose educentur.

Id. ibi. n. 21.

Duo ex septem allatis Sacramentis, *Baptisma* scilicet, & *Pœnitentia*, dicuntur *Sacramenta mortuorum*, eo quod conferantur peccatoribus, qui Divinæ gratiæ mortui sunt, ut resipiscant, & rursus Divinam gratiam sibi comparent. Cætera dicuntur *Sacramenta vivorum*; ab iis enim solummodo suscipi debent, qui ex gratia Deo vivunt.

Sed *illud maxime est advertendum, quamvis omnia Sacramenta Divinam & admirabilem virtutem in se contineant, tamen non parem omnia, & æqualem necessitatem, aut dignitatem, aut unam eamdemque significandi vim habere. Atque ex iis tria sunt, quæ, tametsi non eadem ratione, tamen præ ceteris necessaria dicuntur. Baptismum enim, unicuique sine ulla adjunctione necessarium esse, Salvator his verbis declaravit:* nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei. *Pœnitentia vero illis tantummodo necessaria est, qui se post Baptismum aliquo mortali peccato obstrinxerunt; neque enim æternum exitium effugere poterunt, nisi & admissi peccati rite pœnituerit. Ordo præterea, etsi non singulis Fidelibus, toti tamen Ecclesiæ omnino necessarius est. Verum si dignitas in Sacramentis spectetur, Eucharistìa, sanctitate & Mysteriorum numero, ac magnitudine, longe cæteris antecellit. Quæ omnia facilius intelligentur, cum suo*
Id. ibi n. 22. *loco ea, quæ ad singula Sacramenta pertinent, explicabuntur.*
Hinc *si quis dixerit, septem Sacramenta ista esse inter se paria,*
Trid. Seff. 7. Can. III. *ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

Certum præterea est, per Sacramenta, ut aliquid dicamus etiam de effectu Sacramentorum, Divinam gratiam consequi. Sacramenta enim illi fontes nimirum sunt, de quibus inquit Isajas cap. 12. v. 3.: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Paucis verbis Tridentina Synodus omnes complectitur Sa-
Loc. cit. cramentorum effectus, inquiens, quod *per Sacramenta vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*.

Duplex est hujusmodi gratia, quam conferunt Sacramenta. Prima est *gratia Sanctificans*, quam producunt, vel augent in Fidelium animis, qui ea digne suscipiunt; quæ gratia, uti notavimus alibi, animam Deo acceptam, æternaque gloria dignam reddit. Secunda est *gratia Sacramentalis*; omnia enim Sacramenta speciales quasdam gratias conferunt, quibus Fideles adjuti

eum finem consequuntur, ad quem instituta fuerunt Sacramenta. Hinc *Baptisma* gratiam confert, qua Christiane possit quis vivere, & cætera Sacramenta suscipere valeat. Per eam vero gratiam, quam confert *Confirmatio*, fit, ut Fideles intrepide, & animose Christianam Fidem profiteantur, & Evangelium non erubescant. *Eucaristìa* auxilia præbet peculiaria, quibus bona pietatis opera exerceantur, & in bono perseveret, qui eam digne suscipit; quin imo aliquando confert etiam gratiam primam, cum ab eo percipitur, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam non habet, cuique nullo affectu adhæret. *Pœnitentiæ* gratia satisfacimus Divinæ justitiæ, & adjuvamur, ne in eadem peccata rursus incidamus. Per *extremam Unctionem* eam gratiam acquirimus, qua fortibus Dæmonum tentationibus obsistere, & instantis mortis pericula tuto possimus effugere. *Ordo* autem *Sacer* gratiam producit, qua Sacerdos sacra munera sua rite & recte possit adimplere. Per *Matrimonium* confertur gratia, qua conjuges sanctam tranquillamque vitam simul agant, sibique invicem ad Deo serviendum opitulentur, filiosque suos alant, & Christiane instituant.

V. Anacl. Theol. Mor. tract. 14. dist. 2. q. 7.

V. S. Thom. 3. p. q. 89. a. 3.

DD. com.

Porro præter gratiam *Baptismus*, *Confirmatio*, & *Ordo Characterem imprimunt*. Est autem *Character*, velut insigne quoddam animæ impressum, quod deleri nunquam potest, eique perpetuo inhæret. Hujusmodi Character *hoc præstat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipiendum, vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur. Ac Baptismi quidem Charactere utrumque consequimur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, & eo præterea Fidelis populus a Gentibus, quæ Fidem non colunt, distinguatur. Idem etiam Charectere Confirmationis, & Sacri Ordinis licet agnoscere, quorum altero veluti Christi milites, ad ejus nominis publicam confessionem, & propugnationem, ac contra insitum nobis hostem, & spiritalia nequitiæ in cælestibus armamur, atque instruimur, simulque ab iis, qui nuper baptizati, tanquam modo geniti, infantes sunt, discernimur; alter vero, tum potestatem Sacramenti conficiendi, & ministrandi conjunctam habet, tum eorum, qui hujusmodi potestate præditi sunt, a reliquo Fidelium cætu distinctionem ostendit. Tenenda igitur est Catholicæ Ecclesiæ regula, qua docentur, tria hæc Sacramenta Characterem imprimere, neque ullo tempore iteranda esse.* Ideoque qui temere *dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima,*

Catech. Rom. P. II. c. 1. n. 31.

Trid. Sess. 7. Can. IX. *nima, hoc est, signum quoddam spiritale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Graviter admodum, & egregie de more, differit de hac re variis in locis suorum operum D. Augustinus, sed præsertim in ep. 23. & 50.

Superest, antequam de singulis Sacramentis loquamur, aliquid dicendum de Cæremoniis, *quæ, tametsi prætermitti sine peccato non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat, tamen, si quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione imminui credendum est. Ac merito quidem a primis usque Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam Cæremoniis ministrarentur. Primum enim maxime decuit, sacris Mysteriis eum Religionis cultum tribuere, ut sancta sancti tractare videremur. Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, Cæremoniæ ipsæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum sanctitatem in animos Fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, Fidemque in eis & Charitatem excitant.* Ut hujusmodi vero Cærimoniæ rite observari possint, consulantur sæpe Instructiones S. Caroli, & Rituale Romanum.

Catech. Rom. P. II. c. 1. n. 31.

CAPUT SECUNDUM

De Baptismo.

B*Aptismum græcum esse nomen nemo ignorat; quod, etsi in Sacris Litteris non solum eam ablutionem, quæ cum Sacramento conjuncta est, sed etiam ablutionis genus, quod aliquando ad passionem translatum est, significat, tamen apud Ecclesiæ Scriptores non quamvis corporis ablutionem declarat, sed eam, quæ cum Sacramento conjungitur, nec sine præscripta verborum forma ministratur; qua quidem significatione Apostoli ex Christi Domini instituto frequentissime usi sunt.*

Id. ibi. C. 2. n. 3.

Alia quoque nomina ad eamdem rem significandam Sancti Patres usurparunt. Sacramentum enim Fidei appellari, quod illud suscipientes universam Christianæ Religionis Fidem profiteantur, Divus Augustinus testatur. Alii vero, quia Fide corda nostra illuminantur, quam in Baptismo profitemur, hoc Sacramentum illuminationem vocarunt; nam Apostolus Heb. 10. *v.* 32. *ita inquit:* rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum

gnum certamen sustinuistis passionum; *tempus nimirum, quo baptizati erant, significans. Chrysostomus præterea in oratione, quam ad Baptizandos habuit, tum expurgationem, qua per Baptismum expurgamus vetus fermentum, ut simus nova conspersio, tum sepulturam, tum plantationem, tum crucem Christi nominat; quarum omnium appellationum causas in epistola ad Romanos scripta licet colligere. Cur autem D. Dionysius principium sanctissimorum mandatorum vocaverit, perspicuum est; cum hoc Sacramentum veluti janua sit, qua in Christianæ vitæ societatem ingredimur; atque ab eo Divinis Præceptis obtemperandi initium faciamus.* Id. ibi. n. 9.

Quod præterea *ad rei definitionem attinet, etsi multæ ex Sacris Scriptoribus afferri possunt, illa tamen aptior & commodior esse videtur, quæ ex verbis Domini apud Joannem, & Apostoli ad* (Cap. 3. 5.) *Ephesios licet intelligere. Nam cum Salvator dicat:* nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei; *& Apostolus cum de Ecclesia loqueretur:* mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, *ita fit, ut recte & ap-* (Cap. 5. 26.) *posite definiatur, Baptismum esse* Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. *Natura enim ex* Adam filii iræ *nascimur; per Baptismum vero in Christo filii misericordiæ renascimur; siquidem* dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in (Joan. 1. 13. 14.) nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 5.

Quamquam juxta D. Pauli Doctrinam, quemadmodum *unus est* (Eph. 4. 5.) *Deus, & una Fides*, sic & unus sit Baptismus, in quo Catholicam Religionem profitentes fiunt membra Christi, & hinc Patres Concilii Constantinopolitani in Fidei Symbolo, a Patribus Concilii (Nat. Alex. Hist. Eccl. sect. 4. dist. 37. a. 2.) Nicæni composito, inter alios Articulos & hunc addiderint: *confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum;* tamen communiter Baptisma in Scholis dividitur in Baptismum *aquæ*, *sanguinis*, & *voti*; non quod Baptismus non sit unus, sed quia *præter Baptismum aquæ potest aliquis consequi Sacramenti effectum ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur pro Christo patiendo.*

S. Thom. 3. p. q. 66. a. 11.

Quapropter animadvertit Divus Augustinus, a Lege Christi, qua (Lib. 2. de an. & ejus orig. c. 12.) excluduntur a Regno Cœlorum quicunque *renati non fuerint ex aqua*, Martyres exceptos fuisse; ipse enim Christus testatur alibi: *qui* (Matt. 10. 39.) *perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Simili modo extra omnem dubitationis aleam Baptismatis effectum consequuntur illi quoque, qui licet non renati ex aqua, nec proprio sangui-

gui-

Trid. Seff. 6. de Juftif. cap. 4. guine propter Chriftum afperfi fint, ex animo, imminente morte, baptizari fincere defiderant, quique dolentes de patratis criminibus, Fidei vivæ ac veræ fanctum Dei amorem adjungunt; apertiffimis enim verbis promifit apud Joannem Salvator nofter,
Cap. 14. 21. Chriftus Jefus, quod, qui ipfum dilexiffet, & ipfe & Pater dilexiffent eum, & manifeftaviffet ei fe ipfum.

Omittimus modo Baptifmum *Sanguinis & Voti*, fermonem habituri hoc loco de folo Baptifmate *aquæ*. Hujus igitur Sacramenti, uti & cæterorum omnium, materia alia eft *remota*, alia *proxima*. *Remota* eft res fenfibilis, quæ adhibetur in ipfius adminiftratione; *proxima* vero eft actualis ejufdem rei fenfibilis ufus, & applicatio. *Materia igitur, five elementum hujus Sacramenti, eft omne naturalis aquæ genus, five ea maris fit, five fluvii, five paludis, five putei, aut fontis, quæ fine ulla adjun-*
Joan. 3. 5. *ctione aqua dici folet. Nam & Salvator docuit:* nifi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteft introire in Re-
Eph. 5. 26. gnum Dei. *Et Apoftolus inquit:* Ecclefiam lavacro aquæ mun-
Cap. 5. 8. datam effe. *Et in B. Joannis Epiftola fcriptum fuit:* tres funt, qui teftimonium dant in terra, Spiritus, fanguis, & aqua. *Quod e-*
Catech. Rom. P. II. C. 2. n. 7. *tiam aliis facrarum Scripturarum teftimoniis comprobatur.*

Verum, quamvis adeo clara fint allata Sacræ Scripturæ teftimonia, ut nullam prorfus cavillandi anfam præbere poffe videantur, fuerunt a primis ufque Ecclefiæ Sæculis quidam Hæretici, uti Cainiani, Manichæi, Seleuciani, Pauliciani, aliique quamplures, qui, omiffa aqua naturali, in collatione Baptifmatis alia materia pro lubitu utebantur. Ultimis etiam temporibus Theodorus Beza aufus eft afferere, quod deficiente a-
V. Pet. de Theol. Difc. lib. 31. cap. 4. qua, & urgente neceffitate, liceat uti quocumque alio liquore. Lutherani quoque & Calviniftæ audaciter propugnabant allata verba *nifi quis renatus fuerit* &c. metaphorice effe accipien-
Seff. 7. Can. II. da. Quapropter jure ac merito decrevit Tridentina Synodus, quod *fi quis dixerit, aquam veram & naturalem non effe de neceffitate Baptifmi, atque ideo verba illa Domini noftri Jefu Chrifti*, nifi quis renatus fuerit ex aqua &c. *ad metaphoram aliquam detorferint, anathema fit.*

Quantum vero Baptifmi naturæ ac virtuti confentaneum fuerit, ut ejus propria materia aqua inftitueretur, pluribus rationibus Di-
Catech. Rom. P. II. C. 2. n. 10. *vus Hieronymus, ad Oceanum fcribens, demonftravit.* Aliqua tantum ex ipfis, ne multus fim, afferam hoc loco. *Et primo quidem quantum ad ipfam rationem Baptifmi, qui eft regeneratio in fpi-*

ritalem vitam, hoc maxime congruit aquæ. Unde & femina, ex quibus generantur omnia viventia, fcilicet plantæ, & animalia, humida funt, & ad aquam pertinent; propter quod quidam Philofophi pofuerunt aquam omnium rerum principium. Secundo quantum ad effectus Baptifmi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ fua humiditate lavat; ex quo conveniens eft ad fignificandam, & caufandam ablutionem peccatorum; fua frigiditate etiam temperat fuperfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam concupifcentiam fomitis; fua diaphaneitate eft luminis fufceptiva, unde competit Baptifmo, inquantum eft Fidei Sacramentum. Tertio quia convenit ad repræfentandum Myfteria Chrifti, quibus juftificamur. Ut enim dicit Chryfoftomus fuper illud Joannis 3. nifi quis renatus fuerit &c. *ficut in quodam fepulchro, in aqua fubmergentibus nobis capita, vetus homo fepelitur, & fubmerfus deorfum occultatur, & deinde novus rurfus afcendit. Quarto, quia, ratione fuæ communitatis & abundantiæ, eft conveniens materia neceffitati hujus Sacramenti; poteft enim ubique facile ha-*
beri. S. Thom. p. 3. q. 66. a. 3.

Debet autem Parochus animadvertere, *ut aqua, quæ materia Sacramenti Baptifmi eft, non folum vera, naturalifque fit, fed etiam eo ipfo anno, quemadmodum fancte cautum eft, benedicta in Sabbatho Sancto Pafchæ Refurrectionis Domini, aut Sabbatho*
Pentecoftes. S. Car. Inftruct.

Quod fi intra annum præ temporis diuturnitate, aliave caufa, illam corrumpi contigerit, in Sacrarium prope fontem Parochus projiciet, ftatimque & fontem purgabit; & vero, fi in urbe eft, ad Metropolitanam, fi in Diæcefi, ad Plebanam Ecclefiam veniet, unde, proprio vafculo nitido aquam Baptifmalem accipiat, in Parrochialem Ecclefiam fecreto ferat; ubi quamprimum in fontem effundet, Baptifmalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ, nitidæ, & recentis addet, quantum fatis erit. Hoc ipfum quoque præftabit, fi etiam aqua Baptifmalis per annum aliquo
modo defecerit. Id. ibi.

Quoniam vero *interdum accidit, ut in fumma hyeme aqua Baptifmalis vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat, tunc, ut aliquo calore liquefacta, aut calefacta, ufui ad baptizandum infantem effe poffit, aliam aquam, vafe mundo calefactam immifceri licet, quæ aqua calefacta longe paucior erit, quam illa, quæ benedicta eft. Qua in re etiam cavebit Sacerdos, ne quid aliud com-*

commisceat, quam aquam puram & naturalem, quamvis calidam. (Id. ibi.)

Ne tandem temeraria manus abutatur aqua Baptismali ad superstitionem, & perniciem, Sacerdos fontem ex præscripto bene communitum, sera etiam, clavique claudet, quam, ne Clerico quidem committens, apud se custodiet perpetuo. (Id. ibi.)

Certissimum porro est, ablutionem esse materiam proximam Baptismi; eam enim præscripsit Christus Jesus, inquiens Discipulis suis: *euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* (Matt. 28. 19.) Ex quibus verbis concludunt Moralistæ, unam, vel alteram, aquæ guttam, non sufficere ad valorem Baptismatis; nec valide conferri Baptisma, si aqua baptizandi capillos tantum abstergat. Quin imo putant aliqui, nec tunc fore validum, cum aqua vel unum solummodo pedem, vel brachium, vel aliam minus principalem corporis partem attingit. Tunc enim dici nullo modo potest, hominem illum vere lotum, vel baptizatum fuisse. Hinc Doctores omnes uno ore affirmant, quoniam præter necessitatis casus in administratione Sacramentorum tutior Sententia, ut monuimus supra, est semper amplectenda, aquam infundendam esse super caput Baptizandi, eo quod in capite contineantur sensus omnes, & interni & externi, & tantam esse debere aquæ copiam, ut revera dici possit, Neophytum illum baptizatum, hoc est, lotum fuisse.

Quoniam vero aliquando periculum partus incidit, hoc Parochus aliquando monebit, ut obstetrix, aliave mulier, in partu præsens, si quando aliquam in parturiendo ita laborantem animadverterit, ut fœtui periculum mortis probabile, antequam nascatur, immineat, ubi primum aliquod membrum, vitalem motum habens, ex matris utero exire videbit, illud aqua perfundens, aspergensque, nullo nomine imposito, baptizet dicens: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: . . . *Si fœtus ex utero Matris, manu, vel pede, vel alia parte extans, ob necessitatem in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est, cum superstes erit, sub conditione baptizetur, adhibitis cæteris Cærimoniis. Si vero in capite baptizatus est, forma rite servata, quando supervixerit, ad Ecclesiam deferatur, cui tantum reliquæ Cærimoniæ adhibeantur.* (S. Car. Instruct.)

Quod si quando in partu mulier obierit, hoc fieri admonebit Parochus, ut uterus aperiatur, indeque fœtus eductus, si vivit, quamprimum baptizetur. Id vero magna cautione fiat, ut & is vivus ex

utero extrahatur, & tunc in primis, cum mater vere mortua est, ne pro salute filii mater occidatur. (Id. ibi.) *Non sunt enim facienda mala, ut veniant bona.* (Rom. 3. 8.)

Infantes tandem, qui mortui nascuntur, omnino baptizandi non sunt, nisi evidens dent signum vitæ; in dubio, baptizandi sunt sub conditione. Similiter, si dubium sit, an sit homo, an una persona, an vero duæ. At vero monstrum, quod hominis speciem non præsefert, non baptizetur, nisi primum Archiepiscopus, vel Episcopus consulatur. (S. Car. Instruct.)

Præterea quo ad ablutionem, quæ, ut diximus, est materia proxima Baptismi, quoniam Christus Discipulis suis, quos baptizare jussit, nullum præscripsit determinatum modum, Ecclesia validum semper judicavit Baptismum, qui vel per immersionem, vel per aspersionem, vel per infusionem, ministratur. Et sane affirmari citra errandi periculum potest, tres hosce baptizandi modos a Discipulis etiam fuisse adhibitos. Eunucho enim Reginæ Candacis contulit Baptismum Philippus per immersionem, ut ex hisce Actuum Apostolorum verbis colligi potest: *descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.* (Cap. 8. 38.) Cum vero iidem Apostolorum Actus testentur, a Divo Petro una die tria hominum millia, & alio die quinque millia, fuisse baptizatos, habita ratione temporis, id profecto, cum ipse solus esset, uti multi contendunt, fieri non poterat, nisi per aspersionem. (Cap. 2. 41. & 4. 4.) Considerata tandem antiqua Ecclesiæ praxi, constat, per integrum trium Sæculorum spatium omnibus in Ecclesia, solis infirmis exceptis, quibus in lecto jacentibus per infusionem conferebatur, Baptismum semper per immersionem administratum fuisse. Fiebat autem hujusmodi immersio, variantibus circumstantiis, vel una tantum, vel triplici vice. Cum enim damnandi erant illi Hæretici, qui baptizantes in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, semel tantum immergebant Neophytum in commemorationem mortis Jesu Christi, tunc trina immersio præcepta fuit; cum vero damnandi fuerunt, qui, trina utentes immersione, impugnare contendebant Divinarum Personarum *consubstantialitatem*, tunc simplex tantum immersio fuit injuncta. Trinæ tamen immersionis usus, ut colligitur ex libris Sanctorum Patrum, frequentior fuit. (V. Nat. Alex. lib. 1. de Bapt. cap. 2. a. 2. prop. 2. & 3.)

Hujusmodi tamen inveterata consuetudine ministrandi Baptismum, una vel trina immersione, non obstante, laudabilis ille mos in Latina Ecclesia inductus fuit baptizandi per infusionem, fun-

dendo nimirum triplici vice, licet in necessitatis casu semel etiam sufficiat, naturalem aquam in formam Crucis, in honorem Divinarum Personarum SS. Trinitatis, quæ tunc nominantur, proferendo eodem tempore sequentia verba: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

Pluribus vero rationibus, ad id faciendum, mota fuit Latina Ecclesia. Primo, quia, imminuto Diaconorum numero, deficiebant Ministri, qui Neophytos immergerent, & extraherent de aqua. Secundo, quia immersio, pueris præcipue teneræ admodum ætatis, valde obnoxia aliquando esse poterat. Tertio, quia foret semper periculum, quod infans, de Ministri manibus elabens, ad imum Baptisterii præcipitans, suppresso halitu, necaretur. Quoniam tandem Diaconissarum ministerium non viget amplius in Ecclesia, nullo sane modo pateretur Christiana modestia, ut baptizarentur mulieres, quæ nudæ, ut antiquitus mos erat, sacro fonti se sisterent. *Conc. Diff. de Bapt. cap. 4.*

Ablutionem, quæ fieri debet a Ministro juxta ritum suæ Ecclesiæ, quin immutetur, comitatur forma; ea nimirum verba, quæ proferri debent, ut valide conferatur Baptismus. Verum circa hoc etiam non defuerunt Hæretici, qui debitæ formæ aliam suffecerunt, quæ impiis eorum Dogmatibus melius cohæreret. Hinc inter ipsos fuerunt aliqui, quorum Hæresis vigebat temporibus Vigilii Papæ, baptizantes *in nomine trium principio carentium, trium Filiorum, trium Paraclitorum*. Gnostici ministrabant Baptismum *in nomine Patris ignoti hujus universi, in veritate Matris rerum omnium, in eo, qui descendit in Jesum Christum in unione, & redemptione, & communione virtutum*. Montanistæ & Sabelliani formam Baptismi adeo immutarunt, ut Baptismus, sic ab ipsis collatus, declararetur irritus a Concilio I. Constantinopolitano. Idem definitum fuit in Concilio primo Nicæno adversus Baptismum Paulianistarum. Inter Arianos, juxta Divi Hieronymi testimonium, alii necessaria forma, alii hac sequenti utebantur: *ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris*. Eunomiani tandem conferebant Baptismum *in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & procedentis a creato Filio*.

Cap. si quis Presb. Dist. 4. de conf. — *S. Iren. lib. 1. cap. 18.* — *Can. VII.* — *Can. XIX.* — *Cont. Lucif.* — *S. Epiph. Hær. 76.*

Nos interim Catholici, utpote de veritate nostræ Religionis certissimi, tenemus, & *Pastores docebuntur*, *hanc esse perfectam & absolutam Christi formam*: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Ita enim a Domino, & Salvatore nostro, traditum est, cum Apostolis apud Matthæum præcepit*: euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Ex illo enim verbo baptizantes Catholica Ecclesia, divinitus edocta, optime intellexit, in hujus Sacramenti forma actionem Ministri exprimendam esse, quod equidem fit, cum dicitur*: ego te baptizo. Et hinc patet etiam ratio, propter quam, ad Quæstiones omnes de medio tollendas, quæ inter Doctores antiquitus agitabantur, sapientissime sequentem Propositionem damnavit Alexander VIII.: *valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus*; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *prætermissis istis*: ego te baptizo.

Cap. 28. 19. — *Catech. Rom. P.II.c.2. n. 13. V. Chard. de Sacr. lib. 1. c. 13.*

Antequam ulterius progrediamur, observandum est, quod *in Baptismi forma, quæ integra & perfecta esse debet, quædam verba non ita sunt necessaria, ut, si desint, Sacramenti ratio non consistet; cujusmodi est vox illa* ego, *cujus vis in verbo* baptizo *continetur. Et sane in Ecclesiis Græcorum, variata dicendi ratione, prætermitti consuevit, propterea quod nullam fieri oportere Ministri mentionem judicarunt. Ex quo factum est, ut in Baptismo hac forma passim utantur*: baptizetur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *a quibus tamen perfecte Sacramentum ministrari ex Concilii Florentini sententia, & definitione apparet; cum iis verbis satis explicetur id, quod ad Baptismi veritatem attinet; nimirum ablutio, quæ tunc re ipsa peragitur*. *Catech. Rom. P.II. c.2. n. 14.*

Quoniam vero præter Ministros, tum illius personam, qui baptizatur, tum principalem causam, quæ Baptismum efficit, significare oportebat, idcirco illud pronomen te, *& distincta Divinarum Personarum nomina adduntur, ut absoluta Sacramenti forma iis verbis concludatur, quæ modo exposita sunt*: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Neque enim sola Filii persona, de quo a Joanne cap.* 1. v. 33. *scribitur*: hic est, qui baptizat, *sed simul omnes Sanctæ Trinitatis Personæ ad Baptismi Sacramentum operantur. Quod autem in* nomine, *non in* nominibus, *dictum est, hoc plane declarat unam Trinitatis naturam, & Divinitatem. Etenim hoc loco* nomen *ad Personas non refertur, sed Divinam substantiam, virtutem, & potestatem, quæ una & eadem est in tribus Personis, significat*. *Id. ib. n. 15.*

Porro ad hujusmodi formam quod attinet, licet conveniant omnes Theologi in eo, ut asserant contra Lutherum, & Zuinglium, præscripta fuisse ab ipso Christo ea verba, quæ necessario

rio pronuntiari debent in administratione Baptismi, & invalidum omnino fore Baptismum, si expresse & distincte non invocarentur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nihilominus
3. p. q. 66. a. 6. aliqui ex ipsis, D. Thomæ, Doctoris Angelici, auctoritate suffulti, enixe contendunt, Apostolos, ut Christi nomen primis Ecclesiæ temporibus magis propagaretur, peculiari Spiritus
V. Orsi de Bapt. in nom. J. C. Sancti impulsu, Baptismum conferre solitos fuisse, invocato tantum Christi nomine.

Dubium vero alicui videtur, an hujusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii & Basilii, sanctissimorum & gravissimorum Patrum, auctoritatem sequi volumus, qui ita Baptismum in nomine Jesu Christi interpretati sunt, ut dixerint, iis verbis significari Baptismum, non qui a Joanne, sed qui a Christo Domino traditus est, tametsi a communi & usitata forma, quæ distincta trium Personarum nomina continet, non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in Epistola ad Galatas cap. 3. vers. 27. usus videtur, cum inquit: quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis, ut *significaret in Fide Christi;*
Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 16. *nec alia tamen forma, quam idem Salvator, & Dominus noster, servandam præceperat, baptizatos esse.* Quidquid vero sit de hujusmodi Quæstione, quæ probabiliter nunquam definietur, cum jam satis dictum sit de *materia*, & *forma* Baptismi, nunc addemus aliqua de *Ministro* ejusdem Sacramenti.

Cap. Major. Extra. de Bapt. Ac primo quidem illud certum est, neminem semetipsum baptizare posse; hinc ipse Christus, a Galilæa discedens, ad Jorda-
Matth. 3. 13. nem se contulit, ut ibi baptizaretur a Joanne. *Doceantur præterea Fideles triplicem esse eorum ordinem; ac in primo quidem Episcopos, & Sacerdotes collocandos esse, quibus datum est, ut jure suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exerceant.*
Ibid. 28. 19. *Iis enim in Apostolis præceptum est a Domino:* euntes baptizate, *quamvis Episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogerentur, Baptismi ministerium Sacerdotibus relinquere soliti essent. Quod vero Sacerdotes jure suo hanc functionem exerceant, ita ut, præsente etiam Episcopo, ministrare Baptismum possint, ex doctrina Patrum, & usu Ecclesiæ constat. Nam cum ad Eucharistiam consacrandam instituti sint, quæ est pacis, & unitatis Sacramentum, consentaneum fuit, potestatem iis dari illa omnia administrandi, quæ necessario hujus pacis & unitatis quilibet particeps fieri posset. Quod si aliquando Patres Sacerdotibus, sine Episcopi venia, baptizandi jus permissum non esse dixerunt,*

runt, id de eo Baptismo, qui certis anni diebus solemni cærimonia administrari consueverat, intelligendum videtur. Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 24.

Tamen, licet hujusmodi potestas vi Ordinis conferatur omnibus Sacerdotibus, ipsis non licet ob defectum jurisdictionis, nisi in casu necessitatis, ministrare Baptismum, Parochis non consentientibus; imo neque ipsis Parochis licet quempiam baptizare, qui suæ jurisdictionis subditus non sit. Quare *videat Parochus,* DD. com.
ubi primum infans Baptismi causa ad se delatus est, an suæ Parochiæ sit; quem si alienæ esse novit, eum, nisi instante necessitate, non baptizet, sed ad Parochum proprium, a quo baptizetur, deferri jubeat. Conc. IV. Mediol. sub S. Car.

Verum nec *in aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant.* Clem. de Bapt. lib. 3. tit. 15.
Itaque, sola necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizare debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis deposcentibus, dummodo id fiat in eorum capellis, seu Oratoriis, & in aqua Baptismali benedicta. Rit. Rom.

Secundum porro *Ministrorum locum obtinent Diaconi, quibus, sine Episcopi aut Sacerdotis concessu, non licere hoc Sacramentum ministrare plurima Sanctorum Patrum decreta testantur.* Hinc Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 23.
Diaconi possunt baptizare solummodo *uti ministri extraordinarii;* non enim ordinariam potestatem habent ullum ex Sacramentis conferendi, sed tantum assistendi Sacerdotibus in Sacramentorum administratione. Ex quo sequitur, quod si quis Diaconus, sine licentia Episcopi, vel Parochi, quæ, nisi urgente DD. com.
aliqua gravissima necessitate, nunquam secundum præsentem Ecclesiæ praxim, erit concedenda, non solum mortaliter peccaret, sed fieret etiam irregularis, ut gravissime defendunt quamplures magnæ fidei, & Doctrinæ Theologi. Conc. de Bapt. c. 9. ex cap. de Cler. ord. Minist.

Extremus ordo illorum est, qui, cogente necessitate, sine solemnibus cæremoniis baptizare possunt; quo in numero sunt omnes, etiam de populo, sive mares, sive fœminæ, quamcumque illi Sectam profiteantur. Nam & Judæis quoque, Infidelibus & Hæreticis, cum necessitas cogit, hoc munus permissum est; si tamen id effi-

efficere propoſitum eis fuerit, quod Eccleſia Catholica in eo adminiſtrationis genere efficit. Hæc autem cum multa veterum Patrum, & Conciliorum Decreta confirmarunt, tum vero a Sacra Tridentina Synodo, anathema in eos ſancitum eſt, qui dicere audeant, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum. In quo profecto ſummam Domini noſtri Bonitatem, & Sapientiam licet admirari. Nam, cum hoc Sacramentum neceſſario ab omnibus percipiendum ſit, quemadmodum aquam ejus materiam inſtituit, qua nihil magis commune eſſe poteſt, ſic etiam neminem ab ejus adminiſtratione excludi voluit. Quamvis, ut dictum eſt, non omnibus liceat ſolemnes cæremonias adhibere, non quidem quod ritus, aut cæremoniæ, plus dignitatis, ſed quod minus neceſſitatis, quam Sacramentum, habeant.

Seſſ. 7. Can. IV.

Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 24.

Neque tamen *hoc munus ita omnibus permiſſum eſſe Fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem Miniſtrorum inſtituere maxime deceat. Mulier enim, ſi mares adſint, Laicus item præſente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptiſmi adminiſtrationem ſibi ſumere non debent. Quamquam obſtetrices, quæ baptizare conſueverunt, improbandæ non ſunt, ſi interdum, præſente aliquo viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minime peritus ſit, quod alias viri magis proprium officium videretur, ipſæ exequantur.*

Id. ibi. n. 25.

Accedit porro *ad eos Miniſtros, qui, ut hactenus declaratum eſt, Baptiſmum conficiunt, aliud etiam Miniſtrorum genus, qui, ad ſacram & ſalutarem ablutionem celebrandam, ex vetuſtiſſima Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine adhiberi ſolent. Ii nunc Patrini, olim Suſceptores, Sponſores, ſeu Fidejuſſores, communi vocabulo, a rerum Divinarum Scriptoribus vocabantur. De quorum numero, quoniam ad omnes fere laicos pertinet, accurate a Paſtoribus agendum erit, ut Fideles intelligant, quæ potiſſimum ad illud recte perficiendum neceſſaria ſint. In primis vero explicare oportet, quæ cauſa fuerit, cur ad Baptiſmum præter Eccleſiæ Miniſtros, Patrini etiam, & Suſceptores adjungerentur. Quod quidem optimo jure factum eſſe omnibus videbitur, ſi meminerint, Baptiſmum eſſe ſpiritalem regenerationem, per quam filii Dei renaſcimur. De ea enim ita loquitur ep. 1. cap. 2. v. 1. D. Petrus:* ſicut modo geniti infantes rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite. *Ut igitur, poſtquam aliquis in hanc lucem editus eſt, nutrice & pædagogo indiget, quorum ope atque opera educetur, ac doctrina &*

bonis

bonis artibus erudiatur; ita etiam neceſſe eſt, ut, qui ex Baptiſmi fonte vitam ſpiritalem vivere incipiunt, alicujus fidei, & prudentiæ committatur, a quo Chriſtianæ Religionis præcepta haurire, ad omnemque pietatis rationem inſtitui poſſint, atque ita paulatim in Chriſto adoleſcere, donec tandem viri perfecti, juvante Domino, evadant, cum præſertim Paſtoribus, qui publicæ Parochiarum curationi præpoſiti ſunt, tantum temporis non ſuperſit, ut privatim illam curam, pueros in Fide erudiendi, ſuſcipere poſſint.

Id. ibi. n. 26.

Ubi vero *filii baptizati nutriuntur inter Catholicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari Patrini, præſumendo, quod a ſuis parentibus diligenter inſtruantur. Si tamen quocumque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundum ſuum modum ſaluti ſpiritalium filiorum curam impendere.*

S. Th. 3. p. q. 67. a. 8.

Nec abs re erit hic animadvertere, juſtas ob cauſas, quæ a Canoniſtis recenſentur, vocandos non eſſe ad miniſterium Patrinorum, ſine peculiari Epiſcopi licentia, neque Regulares, neque eos, qui, præter Sacramentum Baptiſmi, & illud Confirmationis non ſuſceperint. Simili modo, *ad ſuſcipiendum ex ſacro fonte puerum, non ſunt admittendi ſimul vir & uxor, nec excommunicati, interdicti, publici criminis rei, uſurarii, infameſve, puta concubinarii, ebrioſi, qui cum inimicis reconciliari nolunt &c. qui Paſchalis Confeſſionis, & Communionis officio perfuncti non fuerint; nec pueri natu minores quatuordecim annis, aut puellæ duodecim; nec qui ſana mente non ſunt; nec præterea illi, qui Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, rudimenta Fidei Chriſtianæ ignoraverint, de quibus interrogare eos debet Parochus, ſi ea de re dubitet.*

Conc. I. Mediol. ſub S. Car.

Sed *eam* quoque *rationem Parochus cohortando habebit, ut ne peregrini, hoſpites ignoti, & ii denique Compatres adhibeantur, quorum domicilium, cum longe abſit, veriſimile non eſt, conſuetudinem inter Baptizatum eoſque in futurum, ut ſuſcepti muneris functionem in inſtruendo præſtare poſſint.*

S. Car. Inſtruct.

Præcipue vero *Patrinos ſacrum Chriſma attingere Parochus non patietur; neque item infanti, ejuſque parentibus quidquam, Baptiſmi tempore, ab iis donari; neque, ut Canone vetitum eſt, quidquam pecuniæ ſibi dari. Infantem præterea, quem baptizaverit, ſupra Altare non collocabit, ne inde Compatrum muneribus redimatur; nec Compatri, Comatrive, linteola, ad Baptiſmum adhibita, tangenda, aut oſculanda, exhiberi ſinet.*

Id. ibi.

Quoad

Seſſ. 24. de Refor. cap. 2.

Quo ad eoſdem Patrinos *ſtatuit præterea Tridentina Synodus, ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum, ſpiritalis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum, vel eos tantum, ad illum ſuſcipiendum amittat; & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant. Quod ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritalem nullo pacto contrahant, Conſtitutionibus, in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia, ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniantur.*

Verum, cum ſatis uſque modo dictum ſit de Miniſtris & Patrinis Baptiſmi, ut ulterius aliquo ordine procedamus, ante omnia rurſus advertam contra Pelagianos, & Manichæos, Baptiſmum omnibus abſolute eſſe neceſſarium, apertiſſimis verbis e- dicente Chriſto Domino apud Joannem: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei; quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Si quis ergo dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

Cap. 2. 5. 6.

Trid. Seſſ. 7. Can. V.

Occurrit hoc loco Quæſtio, quæ graviter agitari ſolet, utrum Marìa, quam a peccati contagio, a primo ſuo conceptionis momento immunem fuiſſe pie credit Eccleſia, utrum, inquam, Marìa & potuerit baptizari, & fuerit reapſe baptizata. Non deſunt, qui aſſerant Marìæ nunquam collatum fuiſſe Baptiſmum, Divi Auguſtini auctoritati innixi, cujus hæc ſunt verba: *in eis, qui nullum habent omnino peccatum, falſus eſt Baptiſmus, qui in remiſſionem traditur peccatorum.* Alii contra, Eutimio ipſis favente, contendunt juxta antiquam traditionem, Marìam ab ipſo Salvatore fuiſſe baptizatam. At quoniam conſtat, Divum Auguſtinum eo loci contra Pelagianos de præcipuo Baptiſmi effectu diſſerere, de peccatorum ſcilicet remiſſione; & quoniam certum eſt, Baptiſmum eſſe viſibile ſignum, quo baptizatus aggregatur Eccleſiæ, poteſt ſane haud temere teneri, Marìam ipſam, licet ab ipſo conceptionis ſuæ inſtanti ab omni labe peccati prorſus mun-

V. Berti de Theol. Diſc. lib. 31. cap. 16.

In cap. 3. Joan.

mundam, ſuſcepiſſe Baptiſmatis Sacramentum; eo ferme pacto, quo ipſa, quamvis ope humana non conceperat, ideoque poſt partum munda prorſus extiterat, ſe tamen Moſaicæ Legi ſubjicere non recuſavit, qua parientibus præcipiebatur, *ut darent hoſtiam... par turturum, aut duos pullos columbarum.* Luc. 2. 24.

Quæſtione hac non admodum utili prætermiſſa, Quæſtionem aliam magni momenti definiendam ſuſcipiemus, in qua agitur utrum liceat baptizare infantes, priuſquam ratione uti poſſint. Id enim apertiſſime negarunt Valdenſes, Petrobruiſiani, Catari, Sociniani, Anabatiſtæ, hoc nomine donati, eo quod rurſus baptizarent eos, quibus hujuſmodi Sacramentum in infantia fuerat miniſtratum. Nos tamen Catholici certo tenemus, *eam Chriſti Legem:* niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei, *non ſolum de iis, qui adul-* Matt. 3. 18. *ta ætate ſunt, ſed etiam de pueris infantibus intelligendam eſſe, idque ab Apoſtolica traditione Eccleſiam accepiſſe communis Patrum ſententia, & auctoritas confirmat. Præterea credendum eſt, noluiſſe Chriſtum Dominum Baptiſmi Sacramentum, & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat:* ſinite parvulos, & nolite Mar. 10. 16. eos prohibere ad me venire; talium eſt enim Regnum Cœlorum; *quos amplexabatur, ſuper quos manus imponebat, & quos benedicebat. Deinde cum legimus, totam aliquam familiam a Paulo bap-* 1. Cor. 1. 16. *tizatam eſſe, ſatis apparet, pueros etiam, qui in illorum numero erant, ſalutari fonte ablutos eſſe. Deinde Circumciſio, quæ figura fuit Baptiſmi, eum morem maxime commendat; pueros enim octavo die circumcidi ſolitos, nemo eſt, qui ignoret. At quibus Circumci-* Gen. 17. 11. *ciſio manu facta in expoliatione corporis carnis proderat, iiſdem Baptiſmum, qui eſt Circumciſio Chriſti non manufacta, prodeſſe perſ-* Eph. 2. 11. *picuum eſt. Poſtremo, ut Apoſtolus docet, ſi unius delicto mors* Col. 2. 11. *regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & do-* Rom. 5. 17. *nationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Cum itaque per Adæ peccatum pueri ex origine noxam contraxerint, multo magis per Chriſtum Dominum poſſunt gratiam & juſtitiam conſequi, ut regnent in vitam, quod quidem ſine Baptiſmo fieri nullo modo poteſt.* Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 32.

Oportet igitur, ut Sacramento Regenerationis, ne ſine illo male de hac vita exeat, etiam parvulus imbuatur. Si infantes pe- S. Aug. lib. 2. de pecc. mer. c. 27. *dibus ad Eccleſiam currere non poſſunt, alienis pedibus currunt, ut ſanentur. Accomodat illis Mater Eccleſia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur, ut* quo-

quoniam, quod ægri sunt, alio peccante prægravantur; sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente, salventur. Nemo ergo nobis susurret doctrinas. Hoc Ecclesia semper habuit; semper tenuit; hoc a Majorum fide percepit; hoc usque in finem perseveranter custodit.

Id. Ser. 10. de verb. Apost.

Si quis propterea *dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit. Si quis quoque dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter Fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit. Si quis* tandem *dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, non alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

Trid. Sess. XII. XIII. XIV.

Usus baptizandi infantes, qui in Ecclesia semper viguit, *hoc* tamen *nunquam habuit, quod Judæorum filii (aliorumque Infidelium) invitis Parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus & Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut, præter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Judæorum filii, aliorumque Infidelium, invitis parentibus, baptizarentur. Et hujus ratio est duplex. Una quidem propter periculum Fidei; si enim pueri, nondum usum rationis habentes, Baptismum susciperent, postmodum, cum ad perfectam ætatem pervenirent, de facili possent a parentibus induci, ut relinquerent, quod ignorantes susceperunt, quod vergeret in Fidei detrimentum. Alia vero ratio est, quia repugnat Justitiæ naturali. Filium enim ... postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spirituali utero ... Unde contra justitiam naturalem esset, si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur, invitis parentibus.*

S. Th. 2. 2. q. 10. a. 12.

Quan-

Quandoque tamen, consentientibus omnibus Theologis, licite baptizari possunt, quin adsit infidelium parentum assensus. Si nimirum filii sint infidelium, qui a Catholica Religione defecerint; Ecclesia enim idem dominium supra ipsos exercere potest, quod habet in eorum parentes, quos cogere juste posset ad Catholicam Religionem amplectendam; vel si ipsi, aut eorum parentes, Christianorum captivi fiant, quia tunc omnino sunt sub dominorum potestate; vel si a parentibus derelinquantur; parentum enim jus, qui eos suscipiunt, acquirunt; vel si in mortis articulo sint constituti, cum nullo alio modo æternæ eorum damnationi possit occurri; vel tandem si alteruter parentum assentiat; illius enim assensus, alio etiam contradicente, utpote favens Catholicæ Religioni, & æternæ filiorum saluti, prævalere debet.

Quid vero modo dicendum, si adsit periculum, infantes in matrum utero, antequam nascantur, esse perituros? Ego sane pro ea veneratione, qua prosequor memoriam P. Gabrielis Gualdo, Præceptoris olim mei, viri Pietate, Doctrina, & animarum Zelo præstantissimi, qui Scriptis etiam suis immortalem sibi nominis famam comparavit, subscribere deberem ejus Sententiæ, qua defendit, pueros, cum etiam in utero matrum nati jam dici possint, baptizandos esse, aptis adhibitis instrumentis, per quæ, aqua immissa, parvula fœtuum corpora abstergantur. Bona tamen venia tanti viri, quolibet partium studio remoto, Doctoribus illis potius assentio, qui acriter contendunt, invalidum esse Baptismum tali modo collatum. *Non enim renasci quisquam potest, antequam natus sit. Quod si quisquam dicit, jam esse natum hominem, etiam cum adhuc est in utero matris, testimonium adhibens ex Evangelio, quia dictum est ad Joseph de prægnante Virgine, Domini matre:* quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est, *nunquidnam huic nativitati accedit secunda nativitas? Alioquin non erit jam secunda, sed tertia. Dominus autem, cum hinc loqueretur,* nisi quis, *inquit*, renatus fuerit denuo, *eam scilicet computans primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante; quæ fit ex ea, non quæ fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero. Sed, illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & spiritu. Secundum quam ex matre nativitatem etiam ipse Dominus in Bethlem Judææ* dici-

Matt. 1. 20.

Joan. 3. 5.

Matt. 2. 5. *dicitur natus. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo, an-*
S. Aug. ep. 57. *tequam nascatur, quod fieri nullo modo potest.* Quamvis autem hanc ob causam invalidus videatur Baptismus collatus infantibus, in matrum utero periclitantibus, tamen cum hæc Patris Gualdo Opinio non sit prorsus improbabilis, cumque plures sint, magni etiam nominis viri, qui eam amplexi sunt, damnandus sane non esset, qui eam Sententiam tenens, & infantium animæ, æternum perituræ, zelo commotus, Baptismi Sacramentum allato modo in adducto casu conferret.

Memoratis itaque præcipuis Quæstionibus, quæ in Scholis moveri solent, nihil addendum superest de infantium Baptismo. Quo ad Baptismum vero adultorum quamplurima scitu digna circa Catechumenos, & antiquam Ecclesiæ disciplinam, habet vir Clarissimus Ivenin *Diss. 2. de Bapt. q. 2. c. 2.*, & celeberrimus P. Berti *de Theol. disc. lib.* 31. *c.* 20.

S. Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 24. Illud primum observandum est, ut *adultus velit Baptismum*; tum ut *Fidem Catholicam teneat*, quæ certe necessaria est, ut Baptismi effectum, gratiam nimirum sanctificantem, ipse consequa-
Heb. 11. 6. tur; *sine Fide* enim *impossibile est placere Deo; & credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunera-*
Marc. 16. 16. *tor sit*. Quare ait Christus: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Requiritur præterea, ut simul cum Fide Charitatis saltem inchoatum principium habeat, qua Deum, uti omnis justitiæ fontem, diligere incipiat; requiritur Spes, Timor, Propositum Divina man-
V. Trid. Sess. 6. cap. 6. data stricte observandi; & præcipue Dolor de patratis criminibus cum proposito non peccandi de cætero. *Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta Fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes; nondum enim uti possunt libero arbitrio ... Cæterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non*
S. Aug. Hom. 50 *erat, nisi eum pœniteat fuisse, quod erat.*

Cum *itaque Baptismus ob eam rem expetendus sit*, ut Chris-
Gal. 3. 27. tum induamus, & cum eo conjungamur, *plane constat, merito a sacra ablutione rejiciendum esse, cui in vitiis & peccatis perseverare propositum est; præsertim vero, quia nihil eorum, quæ ad Christum & Ecclesiam pertinent, frustra suscipiendum est; inanemque Baptismum, si justitiæ & salutis gratiam spectemus, in eo futu-*

futurum esse, satis intelligimus, qui secundum carnem ambulare; non secundum spiritum cogitat: etsi, quod ad Sacramentum perti- Rom. 8. 1.
net, perfectam ejus rationem sine ulla dubitatione consequitur, si modo, cum rite baptizatur, in animo habeat id accipere, quod a Sancta Ecclesia administratur. Quamobrem Princeps Apostolorum magnæ illi hominum multitudini, qui, ut ait Scriptura, compuncti corde, ab eo, & a reliquis Apostolis, quid sibi faciendum esset, quæsiverant, ita respondit: pœnitentiam agite; baptize- Act. 2. 38.
tur unusquisque vestrum; *& alio loco:* pœnitemini, *inquit*, & Ib. 3. 19. Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 40.
convertimini, ut deleantur peccata vestra.

Quapropter non consuevit Ecclesia, Baptismi Sacramentum adultis statim tribuere, sed ad certum statutumque tempus differendum esse constituit, ne quis ad hoc Sacramentum, ficto & simulato animo, accederet; & a pluribus Conciliis sancitum Dist. de consecr. dist. 9. cap. Judæi.
fuit, ne conferatur Baptismus Judæis, qui Fidem Catholicam amplecti vellent, antequam aliquot menses inter Catechumenos vixerint, quos mos erat baptizare diebus Paschatis & Pentecostes.

Accidit tamen aliquando, ut adultis, nulla interjecta mora, Baptismus sit administrandus, uti legimus in Actibus Apostolorum Eunuchum Reginæ Candacis a Divo Philippo, & Cor- Cap. 8. 38. & 10. 98.
nelium Centurionem a D. Petro fuisse baptizatos. Sic *Catechumenis in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo, vel casu aliquo, sic oppressi sint, ut, quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prodest eis, quod eorum in Fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere .... Sunt enim qui vel in his, vel etiam in aliis, observandum putant, quod dixisse Dominum legimus:* nolite Sanctum dare canibus; neque projeceritis margaritas ante porcos; *& ista Salvatoris* Matt. 7. 6.
verba referentes, baptizare non audeant eos, qui pro se respondere nequiverint, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium; quod de parvulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est usus. Sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenos velle, verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est, nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, & tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum, ea Sacramenta percipere, sine

ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire. Si autem Dominus, ubi ait: nolite dare Sanctum canibus hoc, quod iſti cavendum putant, vellet intelligi, non ipſe ſuo traditori dediſſet, quod in ſuam ille perniciem ſine culpa dantis cum dignis indignus accepit. Unde cum hoc diceret Dominus, credendum eſt, ſignificare voluiſſe, quod lucem intelligentiæ ſpiritalis immunda corda non portant.

Id. 16.

S. Aug. de adult. conjug. cap. ult.

Ego ſane, auctoritate D. Auguſtini, non ſolum alios Catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia, cum ſalvos corpore, in his permanentes, non admittamus ad Baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum adulterina carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri? Si autem ab illa deſperatione recreati potuerint vivere, aut facient, quod ſtatuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet.

Id. ibi.

Circa amentes autem, & furioſos eſt diſtinguendum. Quidam enim ſunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet; & de talibus, quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem, videtur eſſe idem judicium ac de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ. Alii vero ſunt amentes, qui ex ſana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt; tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent, & ideo, ſi tunc in eis apparuit voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debet eis exhiberi in furia, & amentia conſtitutis, etiamſi tunc actu contradicant; alioquin, ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum Sanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi. Quidam vero ſunt, qui, etſi a nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti poſſunt; unde, ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt etiam in amentia conſtituti; & debet eis tunc Sacramentum conferri, ſi periculum timeatur. Alioquin melius eſt, ut tempus expectetur, in quo ſunt ſanæ mentis, ut devotius ſuſcipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non apparet in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, baptizari non debent in amentia conſtituti. Quidam vero ſunt, qui, etſi non omnino ſanæ mentis exiſtant, intantum tamen ratione utuntur, quod poſſunt de ſua ſalute cogitare, &

in-

intelligere Sacramenti virtutem; & de talibus idem eſt judicium, ſicut de his, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.

S.Th. 3.p. q.68. a. 12.

Et ſane id eſt Religioni Chriſtianæ contrarium (cujus jugum ſuave eſt, & onus leve), ut ſemper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam & conſervandam Chriſtianitatem, aliquis compellatur. Propter quod, inter invitum & invitum, coactum & coactum, alii non abſurde diſtinguunt. Quod is, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis, ſicut & is, qui ficte ad Baptiſmum accedit, Characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam Fidei Chriſtianæ ... Ille vero, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem ſuſcipit Sacramenti, quia plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire.

Matt. 11. 30.

Cap. Majores Extra de Bapt. & ej. eff.

His expoſitis, convenit præterea docere, atque in Fidelium memoriam reducere, Baptiſmum, quemadmodum & reliqua Sacramenta, a Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe. Duo tamen diverſa tempora notanda ſunt; alterum cum Salvator eum inſtituit, alterum cum Lex de eo ſuſcipiendo ſancita eſt. Ac quod ad primum attinet, tunc a Domino hoc Sacramentum inſtitutum eſſe perſpicitur, cum ipſe a Joanne baptizatus ſanctificandi virtutem aquæ tribuit. Teſtantur enim Sancti Gregorius Nazianzenus & Auguſtinus, eo tempore aquæ vim generandi, in ſpiritualem ſcilicet vitam, datam eſſe. Et alio loco ita ſcriptum reliquit: ex quo Chriſtus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua; & alibi: baptizatur Dominus, non mundari indigens, ſed tactu mundæ carnis aquas mundans, ut vim abluendi habeant. Atque ad eam rem illud maximo argumento eſſe potuit, quod tunc Sanctiſſima Trinitas, in cujus nomine Baptiſmus conficitur, Numen ſuum præſens declaravit; vox enim Patris audita eſt, Filii Perſona aderat, & Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie deſcendit; præterea Cæli aperti ſunt, quo nobis jam per Baptiſmum licet aſcendere. Quod ſi quis ſcire cupiat, quanam ratione tanta, & tam Divina virtus a Domino aquis tributa ſit, id quidem humanam intelligentiam ſuperat; hoc vero ſatis percipi a vobis poteſt, Baptiſmo ſuſcepto, ſanctiſſimi & puriſſimi ejus corporis tactu, aquam ad Baptiſmi ſalutarem uſum conſacratam eſſe, ita tamen ut hoc Sacramentum, etſi ante Paſſionem inſtitutum fuerit, a Paſſione tamen, quæ om-

Matt. 3. 16.

Id. ibi 17.

nium

Catech. Rom. *nium Christi actionum tanquam finis erat, vim & efficientiam du-*
P.II.c.3.n.20. *xisse credendum est.*

De altero etiam, quo scilicet tempore Lex de Baptismo lata fue-
rit, nullus dubitandi locus relinquitur; nam inter sacros Scripto-
res convenit, post Domini Resurrectionem cum Apostolis præcepit:
euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &
Matt. 28. 12. Filii, & Spiritus Sancti, *ex eo tempore omnes homines, qui sa-*
lutem æternam consecuturi erant, Lege de Baptismo teneri cæpisse.
1. Pet. 1. 3. *Quam quidem ex Apostolorum Principis auctoritate colligitur, cum*
inquit: regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Je-
Eph. 5. 25. 26. su Christi ex mortuis. *Item ex illo Pauli loco:* se ipsum tra-
didit pro ea, ut illam sanctificaret, *cum de Ecclesia loqueretur,*
mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, *licet cognoscere. U-*
terque enim Baptismi obligationem ad tempus, quod mortem Do-
mini consecutum est, videtur retulisse, ut dubitandum nullo mo-
do sit, verba etiam illa Salvatoris: nisi quis renatus fuerit ex
Catech. Rom. aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei,
P.II. c. 2. n. 21. *idipsum tempus spectasse, quod post Passionem futurum erat.*

Postea vero, quidquid contra sentirent Cerenziani, Nazaræi,
V. Iven. Diss. 2. & Ebionitæ, merito damnati in Concilio tertio Jerosolimitano,
de Bapt. q. 1. c. Lex Circumcisionis abrogata fuit cum cæteris Ritibus Mosaicæ
1. a. 1. Legis, & Baptismus Joannis inutilis evasit, qui a Divo Augusti-
Lib. 2. cont. Pe- no *Sacramentum Præcursorium* appellatur; institutus enim fuit
til. cap. 56. sub veteris Testamenti finem, & a Præcursore prædicatus & col-
latus ad novos Fideles disponendos, ut digne Christi Baptismum
postea susciperent, qui absque dubio Baptismo Joannis multo
est præstabilior, ut ex ipsis Joannis verbis liquido patet sic ad
Hebræos de suo Baptismate dicentis apud Matthæum 3. v. 11.: *ego*
quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me ven-
turus est... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne. Hinc
Sess. 7. Can. I. apparet ratio, cur Sacrosancta Tridentina Synodus illum ana-
themate percusserit, *qui dixerit, Baptismum Joannis habuisse eam-*
dem vim cum Baptismo Christi. Qui autem de discrimine inter
Baptismum Joannis & Baptismum Christi plura desiderat, legat
inter alios doctissimos libros P. Natalis Alexandri *lib.* 2. *de*
Sacr. tract. 2. *c.* 2. & Joannis Laurentii Berti *de Theol. Disc.*
Enchir. cap. 49. *lib.* 31. *c.* 2. Nos interim illud tantum cum Divo Augustino
animadvertimus, Joannem in aqua tantum, Christum in aqua
& in Spiritu Sancto baptizavisse.

Verum enimvero quales uberrimi fructus ex hoc Sacramento
per-

percipiuntur, quod a Christo Domino non propter solos pueros;
sed propter adultos etiam, rite & recte dispositos, fuit institu-
tum! *Et* sane *hoc primum tradere oportet, peccatum sive a pri-*
mis parentibus origine contractum, sive a nobis ipsis commissum,
quamvis etiam adeo nefarium sit, ut ne cogitari quidem posse vi-
deatur, admirabili hujus Sacramenti virtute remitti & condona-
ri. At vero multo ante ab Ezechiele prænuntiatum est, per quem Cap. 36. 25.
Dominus Deus ita loquitur: effundam super vos aquam mun-
dam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris; *&*
Apostolus ad Corinthios post longam peccatorum enumerationem 1. Cor. 6. 11.
subjecit: & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctifica-
ti estis. *Atque hanc Doctrinam perpetuo a Sancta Ecclesia tradi-*
tam esse perspicuum est. Sanctus enim Augustinus in libro, quem
de Baptismo parvulorum conscripsit, ita testatur: generante car-
ne, tantum contrahitur peccatum originale, regenerante autem
Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum pec-
catorum fit remissio; *& Sanctus Hieronymus ad Oceanum*, om- Catech. Rom.
nia, *inquit*, in Baptismate condonata sunt crimina. P.II. c. 2. n. 42.

Temere ergo negant Lutherani & Calvinistæ, Origenistarum
errorem repetentes, per Baptismum animas a peccatis mundari S. Epiph. Hær.
prorsus, & peccata radicitus tolli, contenduntque *radi* solum- 64.
modo, & *tegi*, adeo ut non imputentur, nec a Deo puniantur.
Quare *si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in*
Baptismate confertur, reatum Originalis peccati remitti negat; aut
etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam pecca-
ti rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputa-
ri, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil
est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Bap- Trid. Sess. 5. de
tisma in mortem.... Manere tamen *in baptizatis concupiscen-* pecc. orig.
tiam, vel fomitem, Sancta Synodus fatetur, & sentit; quæ, cum
ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per
Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet; quinimo, qui legi-
time certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquan-
do Apostolus peccatum *appellat, Sancta Synodus declarat, Eccle-*
siam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod ve-
re, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est,
& ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, a- Id. ibi.
nathema sit.

Quod *si quæratur, quomodo ista concupiscentia carnis maneat in*
regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum;...

ad hæc reſpondetur, dimitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo, non
ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem
reatu ſuo jam ſoluto, manet tamen, donec ſanetur omnis infirmi-
tas noſtra, proficiente renovatione inferioris hominis de die in diem,
cum exterior induerit incorruptionem. Non enim ſubſtantialiter ma-
net ſicut aliquod corpus, aut ſpiritus, ſed affectio eſt quædam ma-
læ qualitatis ſicut languor. Non ergo aliquid remanet, quod re-
Pſal. 102. 3. 4. *mittatur, cum ſit, ſicut ſcriptum eſt,* propitius Dominus omni-
bus iniquitatibus noſtris; *ſed donec fiat & quod ſequitur,* qui
S. Aug. de Nup. & Conc. c. 25. ſanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam
tuam, *manet in corpore mortis hujus carnalis concupiſcentia*, quæ
homini ſuppeditat ſemper cauſam, & occaſionem merendi.

Alter Baptiſmi effectus eſt pœnarum totalis remiſſio, quæ pec-
cato deberentur. *Etſi* enim *omnibus Sacramentis hoc commune*
ſit, ut per illa virtus paſſionis Chriſti Domini communicetur, de
Rom. 6. 3. *ſolo tamen Baptiſmo dictum eſt ab Apoſtolo,* nos per ipſum Chriſ-
to commori & ſepeliri. *Ex quo Sacra Eccleſia ſemper intellexit,*
ſine maxima Sacramenti injuria fieri non poſſe, ut ei, qui Bap-
tiſmo expiandus ſit, ejuſmodi pietatis officia, quæ uſitato nomi-
ne Sancti Patres opera ſatisfactionis vocarunt, imponantur. Nec ve-
ro, quæ hoc loco traduntur, veteris Eccleſiæ conſuetudini adverſan-
tur, quæ olim Judæis, cum baptizarentur, præcipiebat, ut qua-
draginta continuos dies jejunarent. Neque enim illud inſtitutum
ad ſatisfactionem pertinebat, ſed qui Baptiſmum percepiſſent, ea ra-
tione admonebantur, ut, Sacramenti dignitatem venerantes, jejuniis
Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 45. *& orationibus aliquandiu ſine intermiſſione operam darent.* Itàque
pravos affectus & mores emendantes, flagrantes devotione, fu-
turas tentationes exturbantes, admirabiles Baptiſmi effectus ſe-
curius conſequerentur, Deoque deſervirent *contrito corde & hu-*
Pſal. 50. 19. *miliato.*

Hinc intelligimus quam ſapienter ab Alexandro VIII. dam-
nata fuerit ſequens Propoſitio: *homo debet agere pænitentiam to-*
ta vita de peccato originali. Si enim *continuo poſt Baptiſmum*
S. Aug. de pec. mer. cap. 28. *ſequatur ex hac vita migratio, non erit omnino, quod obnoxium*
hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant. Quam ob cau-
ſam nonnulli fuerunt primis Eccleſiæ Sæculis, qui Chriſtia-
Iven. Diſſ. 2. de Bap. q. 8. c. 1. a. 2. nam vitam agebant, Baptiſmum tamen extremo tantum vitæ
tempore ſuſcipiebant.

Quamvis autem, qui baptizantur, vi hujus Sacramenti ab
operibus ſatisfactionis eximantur, non ideo tamen non tenen-
tur

tur damna reparare, quæ proximorum perſonæ, aut ſubſtantiis,
forte intulerunt. *Reſtituere* enim *male oblata proximis, & ſa-*
tisfacere de injuriis illatis, eſt ceſſare a peccando; quia hoc ip-
ſum, quod eſt detinere aliena, ac proximum læſum non placare
peccatum eſt; & ideo peccatoribus baptizatis injungendum eſt, S. Tho. 3. p. q. 68. a. 5.
quod ſatisfaciant proximis, & quod deſiſtant a peccato.

Simili modo per Baptiſmum nemo ab iis pœnis liberatur,
quæ ipſi manent apud Judicem hujus ſæculi propter aliquod gra-
ve peccatum, quod patraverit. *In pœnis* enim, *quæ judicio hu-*
mano inſeruntur, non ſolum attenditur, qua pœna ſit homo dignus
quoad Deum, ſed etiam in quo ſit obligatus adhuc quoad homi-
nes, quos juſtum eſt ædificari de pæna, ſicut ſunt ſcandalizati
de culpa. Pie tamen talibus Princeps poſſet pœnam indulgere. Id. ibi. q. 69. a. 2.

Duabus autem præcipue de cauſis, homo, in aqua & Spiritu
Sancto regeneratus, per Baptiſmum, qui, ut ſupra monuimus,
nos abſolvit ab omni debito per culpam contracto, perfectum
illum vitæ ſtatum non aſſequitur, quo fruebatur Adam, ante-
quam peccaret, ſed tot pœnis adhuc eſt obnoxius, perverſis
ſcilicet animi motibus, ægritudini, ærumnis, morti, aliiſque
innumeris malis, quorum aliqua unicuique noſtrum quotidie
miſerrime obverſantur. *Prima eſt, quod nobis, qui per Baptiſ-*
mum Chriſti corpori conjuncti, atque ejus membra effecti ſumus, Rom. 6. 3. 4.
plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quam ipſi capiti noſ-
tro tributum eſſet. Cum igitur Chriſtus Dominus, etſi ab initio Joan. 1. 14.
ortus ſui, gratiæ & veritatis plenitudinem habuit, tamen huma-
næ naturæ fragilitatem, quam ſuſcepit, non ante depoſuerit, quam
paſſionis tormenta, & mortem pertulit, ac deinde ad immortalis vitæ
gloriam reſurrexit, quis miretur, cum videat Fideles, qui jam
per Baptiſmum cœleſtis juſtitiæ gratiam adepti ſunt, adhuc tamen
caduco, & fragili corpore veſtiri, ut, poſtquam multis laboribus
pro Chriſto perfuncti, morte obita, denuo ad vitam revocati fuerint, Catech. Rom. P. II. c. 2. n. 48.
tandem digni ſint, qui cum Chriſto ævo ſempiterno perfruantur?

Altera vero cauſa, cur in nobis poſt Baptiſmum infirmitas cor-
poris, morbus, dolorum ſenſus, concupiſcentiæ motus relinquatur,
illa eſt, ut ſcilicet, tanquam ſegetem & materiam virtutis ha-
beremus, ex qua deinde uberiorem gloriæ fructum, atque am-
pliora præmia conſequeremur. Nam cum patienti animo vitæ in-
commoda omnia toleramus, pravaſque animi noſtri affectiones ſub
rationis imperium Divina ope ſubjicimus, certa ſpe niti debemus,
fore, ut, ſi cum Apoſtolo bonum certamen certaverimus, curſum 2. Tim. 4. 7.

 con-

consummaverimus, Fidem servaverimus, repositam quoque justitiæ
2.Tim. 4.26. coronam reddat nobis Dominus in illa die justus Judex. Sic ve-
ro etiam cum filiis Israel videtur Dominus egisse, quos, etsi ab
Ex. 14. 24. 25. Ægyptiorum potestate, Pharaone, atque ejus exercitu, in mare de-
merso, liberavit, tamen non statim in beatam illam Promissionis
terram introduxit, sed prius in multis variisque casibus exercuit;
ac deinde, cum eos in promissæ terræ possessionem misisset, cæteros
Jud. 3. 2. 3. quidem incolas ex patriis sedibus exturbavit, quasdam vero Na-
tiones reliquas fecit, quas delere non potuerunt, ut populo Dei
bellicæ virtutis, & fortitudinis exercendæ occasio nunquam deesset.
Huc accedit, quod, si per Baptismum præter Dona cœlestia, qui-
bus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari me-
rito posset, quin multi, præsentis potius vitæ commoda, quam fu-
2. Cor. 4. 18. turæ separatam gloriam consectantes, ad Baptismum venirent; cum
tamen, non falsa hæc & incerta, quæ videntur, sed vera, atque
Catech. Rom. æterna, quæ non videntur, bona Christiano homini semper pro-
P.II. c. 2. n.48. posita esse debeant.

Sed interim tamen hujus vitæ conditio, quæ miseriarum plena
est, in his, qui digne ambulant sua vocatione, suis voluptatibus,
& lætitiis non caret. Quid enim nobis, qui jam per Baptismum
veluti palmites insiti sumus in Christum, jucundius, aut opta-
bilius esse potest, quam, cruce in humeros nostros sublata, eum Du-
cem sequi, nullisque aut laboribus defatigari, aut periculis retar-
dari, quominus, ad præmium supernæ vocationis Dei, omni studio
contendamus, alii Virginitatis lauream, alii Doctrinæ & Prædi-
cationis coronam, alii Martyrii palmam, alii alia virtutum de-
cora a Domino accepturi? Quæ quidem præclara laudis insignia
nemini darentur, nisi prius nos ipsos in hujus ærumnosæ vitæ
Id. ibi n. 49. studio exercuissemus, eaque in acie invicti stetissemus.

Tertio loco efficit Baptismus, ut animus noster Divina gra-
Pag. 168. tia repleatur, qua, ut alibi diximus, justi & filii Dei effe-
Rom. 8. 17. cti, æternæ quoque salutis hæredes instituimur; nam scriptum
Marc. 16. 16. est: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.

Gratiæ sanctificanti additur nobilissimus omnium virtutum
comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.
Tit. 3. 5. Quare ait Apostolus: salvos nos fecit per lavacrum regeneratio-
nis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Chris-
tum Salvatorem nostrum; quæ verba abunde effudit explicans S.
Lib. 1. de Bapt. Augustinus, ad remissionem, inquit, peccatorum, & copiam virtu-
parv. cap. 26. tum. Et revera si per Baptismum, uti sæpe affirmat Aposto-
lus,

lus, Christo capiti tamquam membra copulamur, & commit-
timur, quemadmodum a capite vis manat, ita etiam ex
Christi plenitudine omnes accepimus gratias, quibus opera bo-
na exequi valeamus. Per Baptismum igitur virtutes Theologa-
les accepimus, & omnia Dona spiritalia, ut hæredes simus æter-
næ gloriæ, cohæredes autem Christi; & quidquid ab eis, qui Rom. 8. 17.
post acceptum Baptismum hic vivunt, infirmitate humana contra-
hitur, quantumcumque culparum propter ipsum lavacrum dimit-
titur. S. Aug. ep. 50.

Et sane quid prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi
Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet? In ipsa quoque
Dominica Oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fru-
ctu, quo effectu diceretur: dimitte nobis debita nostra, nisi ab
eis, qui baptizati sunt, diceretur? Itemque elemosynarum largitas,
& beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda sua pec-
cata prodessent, si baptizatus non esset? Postremo regeneratorum
ipsa felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam, aut rugam,
aut aliquid ejusmodi, ubi nihil reprehensionis, nihil simulationis
erit, ubi non solum reatus, sed nec concupiscentia erit ulla pec- Id. lib. 1. de
cati, quorum erit nisi baptizatorum? Nupt. & Con-
cup. cap. 33.

Quartus Baptismi effectus est gratia Sacramentalis, qua Chris-
to quasi cognatione conjungimur, qui, uti caput, in fortuna-
tissima membra influens, gratiam nobis largitur, qua Divi-
nam Legem accurate adimplentes, integerrimam vitam, vereque
Christianam usque agamus.

Per Baptismum tandem consignamur Charactere, qui ex ani-
ma deleri nunquam potest, de quo nihil est, ut plura hic dis-
serantur, cum liceat ex his, quæ supra dicta sunt, satis multa V. pag. 203.
huc transferre. Vi hujus Characteris capaces fiunt baptizati alia
Sacramenta suscipiendi, & ab Infidelibus distinguuntur, qui
Deum non adorant in spiritu & veritate. Caveamus interim, Joan. 4. 24.
ne hoc Charactere insigniti a Fide aliquando deficiamus, per-
versis cupiditatibus turpiter inservientes, & de nobis etiam di-
ci possit, quod olim ajebat Augustinus: quomodo desertor habet
Characterem, ita & isti habent Baptismum; habent, sed unde Lib. de Symb.
damnentur, non unde coronentur. cap. 8.

Nomen porro, quod ad extremum Baptizato imponitur, ab a-
liquo sumendum est, qui, propter excellentem animi pietatem, &
religionem, in Sanctorum numerum relatus est. Ita enim facile fiet,
ut quivis, nominis similitudine, ad sanctitatis imitationem excite-
tur;

tur; ac praeterea, quem imitari studeat, eum quoque precetur, & speret sibi advocatum, tum ad salutem animi, tum corporis defendendam venturum esse.

Circa Ritus vero & Cæremonias, quæ exerceri solent in administratione Baptismatis animadvertit egregie Cardinalis Bellarminus, eas ab ipsis Apostolis & Sanctissimis Ecclesiæ Patribus institutas fuisse, iisque Fideles primis etiam Ecclesiæ Sæculis passim usos fuisse. Verum, ut ex ipsis præcipuas saltem innuamus, præmissa consecratione Fontis, quæ fieri solet in vigiliis Paschatis & Pentecostes, contestante baptizando, vel eo, qui pro ipso respondet, se velle Catholicam Fidem amplecti, abrenuntiare Sathanæ, & pompis ejus, seque credere in Deum, trinum & unum, Sacerdos Divinorum Sacramentorum observantiam ipsi inculcat, ab eoque postulat, utrum salvari desideret; tum triplici vice in faciem ejus insufflat, variis Exorcismis & Precibus ipsum a barbara Dæmonis tyrannide vindicat. Devotis deinde orationibus, & impositione manuum Divinam rogat assistentiam, & in os ejus salem immittit benedictum, quo significatur, Dei gratiam ipsum a putredine peccati esse preservaturam, ipsumque bonorum operum saporem esse relaturum. Recitatis interim Apostolorum Symbolo & Oratione Dominica, Sacerdos digito accipit de saliva oris sui, & tangit aures & nares baptizandi, ut eas aperiat ad optimum virtutum odorem recipiendum; deinde intingit pollicem in oleo Catechumenorum, & infantem ungit in pectore, & inter scapulas in modum Crucis, ut contra hostes, qui æternæ nostræ saluti adversantur, pugnet & vincat. Talibus præsidiis munito baptizando, Sacerdos expresso nomine ipsum interrogat de præcipuis Fidei Articulis, & respondente baptizando, vel Patrino, se velle baptizari, ad Fontem accedunt, ter in modum Crucis aquam Baptismalem super ejus caput fundit, simul verba proferens superius non semel allata. Intingit deinde Baptizans pollicem in Sacro Chrismate, & ungit baptizandum in summitate capitis, ut intelligat, se per Baptismum vivum membrum Christo capiti adhærere; imponitque capiti ejus linteolum candidum loco vestis albæ, eumque hortatur, ut candidam innocentiæ vestem, quam tunc induit, immaculatam perferat ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeat vitam æternam. Ei tandem candelam accensam præbet, ut discat, a Potestate tenebrarum ad lucem veritatis, & ad beatam Sanctorum sortem trans-

latum

Catech. Rom. P.II. c. 2. n. 75.
De Bap. lib. 1. cap. 24.
V. pag. 207.
Matt. 19. 17.
S. Aug. lib. 1. de Symb. ad Cat. cap. 2.
S. Ambr. lib. 1. de Sacr. cap. 1.
S. Chrys. Hom. 6. in ep. ad Coloss.
Catech. Rom. S. Ambr. lib. de init. cap. 7.
S. Greg. Naz. Orat. 42.

latum fuisse, & teneri ignem Charitatis semper accensum conservare, bona opera semper exercendo, & Fidei, quam in Baptismate solemniter profitetur, depositum integerrime custodiendo. Postremo eum dimittit dicens: *vade in pace, & Dominus sit tecum.*

CAPUT TERTIUM.

De Confirmatione.

Confirmatio variis nominibus a Sanctis Patribus fuit designata. Ipsa enim modo, uti legere est apud celeberrimum P. Berti, *Impositio manuum*, modo *Sacramentum Chrismatis*, vel *Spiritale Chrisma*, vel *Chrisma sanctum*, vel *Chrisma supracœleste*, modo *Oleum sanctificatum*, vel *Unguentum perenne*, modo *Perfectio*, sive *Consummatio*, modo *Signaculum*, vel *Sigillum Domini* passim apud ipsos appellatur. Communiter tamen Confirmatio dicitur, quod *Baptismi gratiam perficit; qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti, teneritatem adhuc & mollitiem quamdam habent, ac deinde Chrismatis Sacramento adversus omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus robustiores fiunt; & eorum animus in Fide omnino confirmatur ad confitendum, & glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi.* Hinc statui potest, & definiri, Confirmationem esse *Sacramentum novæ Legis, quo, virtute plenitudinis Spiritus Sancti, Fideles firmiores facti, Fidem publice profiteri, & propugnari non reformident.*

Hanc Definitionem veram germanamque esse, Catholici omnes conveniunt, & negant Protestantes, qui negant etiam, Confirmationem esse veri nominis Sacramentum. Quidquid vero sentiendum sit de iis, qui opinantur, eumdem errorem tribuendum esse Novatianis etiam, Donatistis, Arianis, Apollinaristis, Valdesiis, Wiclefistis, Uscitis, verum omnino est, neminem tanta impudentia ausum fuisse, a Sacramentorum numero Confirmationem excludere, quanta Lutherum, & Calvinum; quorum primus temerario ore asseruit, & vulgavit, Confirmationem nihil aliud esse quam Ecclesiasticum ritum, & otiosam quamdam Sacramentalem cæremoniam, alter vero, Confirmationem a Catechesi non differre, qua infantes, qui baptizati erant, cum adulti essent, ad Episcopum adducti, Fidem Christianam, quam in Baptismate susceperant, confirmabant. *Si quis* igitur (sic san-

ci-

De Theol. Disc. lib. 32. cap. 1.
Catech. Rom. P.II. c. 3. n. 20.
DD. com.
Conc. Diss. 2. de Conf.
Lib. de Capt. Babil.
Antid. Conc. Trid.

Seff. 7. de Conf. Can. I. & II. civit Tridentina Synodus) *dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & non proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam Catechesim quamdam, qua, adolescentiæ proximi, Fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit*. Item *si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit*. *In Confirmatione enim veram & propriam Sacramenti rationem Catholica Ecclesia semper agnovit; quod Melchiades Pontifex, & plures etiam alii Sanctissimi, & vetustissimi Pontifices aperte declarant*. *Ac Sanctus Clemens*

Ep. 4. ad Julian. *ejus veritatis Doctrinam graviori sententia comprobare non potuit. Inquit enim:* omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum ab Episcopo consignari; idest septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, cum alioquin perfectus Christianus nequaquam esse possit is, qui injuria & voluntate, non autem necessitate compulsus, hoc Sacramentum prætermiserit, ut a Beato Petro accepimus, & cæteri Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt. *Hanc vero eamdem fidem Doctrina sua confirmarunt, qui, eodem Spiritu pleni, pro Christo sanguinem profuderunt, Urbanus, Fabianus, Eusebius, Romani Pontifices, quemadmodum ex eorum Decretis licet perspicere*. Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 3.

Accedit *præterea Sanctorum Patrum consentiens auctoritas, inter quos Dionysius Areopagita, Athenarum Episcopus, cum doceret, qua ratione hoc sacrum unguentum conficere, eoque uti oporteret*, ita, *inquit*, baptizatum Sacerdotes induunt veste congrua munditiæ, ut ad Pontificem ducant, ille vero, sacro atque prorsus Divino unguento, baptizatum signans, Sanctissimæ Communionis participem facit. *Eusebius quoque Cæsariensis tantum huic Sacramento tribuit, ut dicere non dubitarit*, Novatum Hæreticum Spiritum Sanctum promereri non potuisse, quia, cum baptizatus esset, in gravi ægritudine signaculo Chrismatis non est signatus.

De Eccl. Hier. cap. 6.

Lib. 6. Hist. Eccl. cap. 43.

Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 4.

Clarissima præterea *habemus hujus rei testimonia tum a Divo Ambrosio in eo libro, quem de iis, qui initiantur, inscripsit, cum a Divo Augustino in libris, quos adversus Petiliani Donatistæ Epistolas edidit, quorum uterque adeo de hujus Sacramenti veritate nihil dubitari posse existimavit, ut eam Scripturæ etiam locis doceat, & confirmet. Quare alter quidem verba illa Apostoli:* nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis; *alter vero, quod in Psalmis legitur:* sicut unguentum in ca-

Cap. 7.

Lib. 2. cap. 104.

Eph. 4. 30.

Psal. 132. 2.

capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; *tum illud ejusdem Apostoli:* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, *ad Confirmationis Sacramentum referri testatus est*. Rom. 5. 5. Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 4.

Verum duo alia apertissima testimonia occurrunt in Sacris Litteris, quibus eadem veritas firmissime comprobatur. Utraque extant in lib. Actuum Apostolorum. *Cum audissent*, legimus cap. 8. v. 14. & seq., *cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum;* & cap. 19. v. 6., hæc habentur: *& cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*.

Confirmatio igitur verum est Sacramentum, & ideo dubitari non potest, & ipsum a Christo Domino fuisse institutum, qui, uti apertissimis verbis declarat Tridentina Synodus Canone alias citato, auctor fuit omnium Sacramentorum novæ Legis. Hinc patet cum Alexandro Alense, Theologo cæteroquin insigni, quosdam alios Scholasticos fortasse nimis temere judicavisse, hoc Sacramentum Spiritus Sancti impulsu institutum fuisse in Concilio Meldensi habito an 845., Sergio II. Summo Pontifice, non animadvertentes, ante hoc Concilium plures Scriptores de hoc Sacramento locutos fuisse. Quamvis autem nostris hisce temporibus omnes Theologi conveniant in asserendo, juxta allatam Tridentini Concilii definitionem, ipsum Christum auctorem fuisse hujus Sacramenti, non Apostolos, ut opinatus erat D. Bonaventura, dissentiunt tamen in tempore assignando, quo fuerit institutum. Seff. 7. Can. I. V. sup. Par. 4. q. 24. In 4. dist. 7. q. 1. a. 1.

Errare videntur Doctores etiam illi, qui putant, tunc a Christo fuisse institutum, cum supra quosdam pueros manus imposuit; non enim, uti optime animadvertunt SS. Patres Augustinus, Gregorius, & Anselmus, eos pueros parentes ad Christum ideo adduxerunt, ut eos confirmaret, sed ut eos a corporali infirmitate sanaret. Salutaris igitur, non Sacramentalis, fuit illa manuum impositio, juxta illa Christi apud Marcum verba: *super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Matt. 19. 15. Cap. 16. 18.

Sed ii quoque nulla firma ratione sententiam suam possunt con-

comprobare, qui asserunt, hujusmodi institutionem in ultima Cœna peractam fuisse, quando Christus dixit Apostolis: *expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*; quæ sane verba non probant, tunc temporis fuisse institutum. Quamvis enim quadam die, congregatis turbis Capharnao, revelaverit Christus admirabilem Sanctissimæ Eucharistiæ effectum, inquiens: *caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, conveniunt tamen Doctores, non inde sequi, tunc temporis Eucharistiam fuisse institutam. Nec quidquam officit sententiæ nostræ, Fabianum Pontificem in quadam sua epistola id asseruisse, cum eruditiores Critici contendant, epistolam illam non esse hujus Pontificis legitimum partum; & firmissima sint argumenta, quibus probatur, ipsam circa Sæculum tantum VIII. fuisse confictam.

Joan. 16. 7.
Id. 6. 56.
Ep. 2. cap. 1.
Iven. Diss. 3. de Conf. q. 4.

Opinantur tandem alii, id evenisse post Resurrectionem, cum Christus Apostolis suis, *accipite*, dixit, *Spiritum Sanctum*, non animadvertentes, collationem illam Sancti Spiritus ex orationis contextu, ex verbis, quæ consequuntur, respicere solummodo peccatorum remissionem; pergit enim idem Christus, inquiens: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt*.

Joan. 20. 23.

Quid ergo in tali tantaque Opinionum discrepantia concludendum? Illorum Opinioni, quæ mihi probabilior videtur, quæque a clarissimo etiam Ivenino amplexa fuit, libentius subscribo, qui affirmant, Confirmationem institutam fuisse a Christo Domino illo temporis intervallo, quod intercessit Resurrectionem inter & Ascensionem, cum, *loquens de Regno Dei*, promisit Discipulis suis *virtutem supervenientis Spiritus Sancti. Hi enim dies, qui intra Resurrectionem Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata Mysteria*.

Diss. 3. de Conf. cap. 4.
Act. 1. 3.
S. Leo Pap. Ser. 1. de Ascen. c. 2.

In assignanda etiam hujus Sacramenti *materia* discordant Auctores, licet omnes unanimi ore consentiant in asserendo, quod Dogma quoque Catholicæ Fidei est, sancitum adversus Lutherum, Kemnitium, Calvinum, aliosque Heterodoxos, *materiam* hujus Sacramenti sitam esse *in manuum impositione*, vel in *Sacro Chrismate*, vel *in utrisque*. Cum vero Sancti Patres priorum Sæculorum *impositionis manuum*, & *Sacri Chrismatis*, sine discrimine meminerint, & utrisque effectum spiritalem gratiæ sanctificantis adscripserint, iis libenter assentio, qui volunt *imposi-*

tionem manuum, & *Sacrum Chrisma materias* esse *partiales* hujus Sacramenti, quæ simul *totalem* conficiunt.

Ad hanc rem utile ducimus animadvertere, perperam a quibusdam pro *materia* Confirmationis solum Chrisma assignari, eo quod apud Græcos, ut putant, quorum Ritus ab Ecclesia Latina fuere approbati, sacra Unctio fieri soleat absque manuum impositione. Verum, ut se in errore versari videant, satis erit, si advertant cum Ugone Victorino, ungi non posse confirmandum dextero pollice ab Episcopo, nisi adsit manuum impositio. Hinc verisimile valde est, talem manuum impositionem, (cum una tantum sufficiat, uti ex hisce verbis colligitur: Act. 8. v. 18. *cum vidisset autem Simeon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam*), qua Episcopus signat frontem confirmandi, *partialem materiam* esse hujus Sacramenti, uti egregie defendit doctissimus P. Berti adversus eos Theologos, qui studiose propugnant, manuum impositionem, quæ in Confirmatione essentialiter requiritur, consistere in manuum expansione, vel elevatione, facta ab Episcopo, cum rogat Sancti Spiritus adventum supra confirmandos.

Lib. 2. de Sacr. par. 7. cap. 2.
De Theol. Disc. lib. 32. cap. 4.

Chrismatis autem *nomine Græci quodlibet unguenti genus significant, sed communi loquendi usu illud nunc solum intelligitur, quod ex oleo & balsamo solemni Episcopi consecratione conficitur*. Latini nihil addunt, Græci tamen oleo & balsamo vinum etiam admiscent, & triginta quinque diversas aromatum species, vel succum totidem herbarum odoriferarum, quas præparant, & accurate colligunt tempore Quadragesimali.

Catech. Rom. P. II. cap. 3. n. 7.

Hoc Chrisma *materia* omnium aptissima videtur ad significandos Confirmationis admirabiles effectus. *Oleum enim, quod pingue sit, & natura sua manat ac diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit, quæ per Spiritum Sanctum a Christo capite in alios redundat, atque effunditur sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron usque in oram vestimenti ejus; unxit enim eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis; & de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia*.

Id. ibi n. 8.

Balsamum vero, cujus odoratus jucundissimus est, quid aliud significat quam Fideles, cum Sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli 1. Cor. 2. v. 15. *queant dicere*: Christi bonus odor sumus Deo? *Habet præterea balsamum eam vim, ut quidquid eo circumlinitum fuerit, putrescere non sinat; quod quidem ad hujus Sacra-*

menti virtutem significandam valde accomodatum videtur, cum plane constet, Fidelium animos cœlesti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, præparates, facile a scelerum contagione defendi posse.

Id. ibi n. 9.

Hic autem animadvertere oportet, in Chrismate conficiendo solum olivarum oleum adhibendum esse. *Proprietates enim olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo. Unde & ipsa oliva, semper frondibus virens, virorem & misericordiam Spiritus Sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in usu, ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor ex similitudine hujus oleum nominatur; nec est & in usu communi, nisi in supplementum, apud eos, quibus deest oleum olivarum; & ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, & quorumdam aliorum Sacramentorum.*

S. Tho. 3. p. q. 72. a. 2.

Quoad balsamum vero, si adeo necessarium sit, ut nulla habenda foret Confirmatio, si solo oleo administraretur, an vero necessarium sit necessitate tantum Præcepti, Quæstio est in Scholis valde agitata, nondum tamen definita. Cum tamen non certe constet de valore hujus Sacramenti, si solo oleo conferatur, si unquam aliquis Episcopus absque balsamo hoc Sacramentum imprudenter administraret, conveniunt Doctores omnes, Confirmationem iterandam esse sub conditione, quod colligitur ex verbis Innocentii III. Cap. *Pastoralis* Extra. *de Sacramentis non iterandis.*

V. Berti de Theol. Disc. lib. 32. c. 5. n. 4.

Simili modo iteranda esset Confirmatio *conditionaliter*, si administretur Chrismate ab Episcopo non benedicto, sive non consecrato, cum etiam in hoc dissentiant Theologi, contendentes alii, hujusmodi consecrationem esse de necessitate Sacramenti, alii de necessitate Præcepti, cum sint etiam, qui propugnent, consecrationem Chrismatis ad solum Episcopum adeo pertinere, ut ad alium neque ab ipso Pontifice possit amandari. Quod *cur ita fieri debuerit, ratione ostendi potest. Etenim in plerisque aliis Sacramentis Christus ita eorum materiam instituit, ut sanctitatem quoque illi tribuerit. Non solum enim aquam elementum Baptismi esse voluit, cum inquit:* nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei; *sed, cum ipse baptizatus est, effecit, ut ea deinceps vi sanctificandi prædita esset. Quare dictum est a Sancto Chrysostomo:* aqua Baptismi purgare peccata credentium non posset, nisi tactu Dominici corporis sanctificata fuisset. *Quoniam igitur Dominus hanc*

Joan. 3. 5.

Hom. 4. in Matt.

Con-

Confirmationis materiam usu ipso, & tractatione non sacravit; necessarium est, ut sanctis & religiosis Precationibus consecretur; neque ad alium ea confectio nisi ad Episcopum pertinere potest, qui ejusdem Sacramenti ordinarius minister institutus est.

Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 10.

Nihil aliud de Sacro Chrismate modo dicendum superest, nisi variis Pontificum Decretis sapienter sancitum fuisse, sacrum Chrisma, quod primis Ecclesiæ Sæculis, uti colligitur ex Canone 20. Concilii primi Toletani, ab Episcopis pro lubitu quovis anni tempore consecrabatur, modo sola feria V. in Cœna Domini licere consecrari; *dies* enim *ille satis congruit ad materias Sacramentorum, quo fuit Eucaristiæ Sacramentum institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur.*

S. Th. 3. p. q. 72. a. 12.

Illud quoque notandum est, Chrisma nimirum quotannis instaurandum esse, & vetus comburendum, & idcirco ad Paschale tempus debere Parochos ad Ordinarium accedere, ut novum Chrisma sibi comparent. Præterea ad confectionem Chrismatis, Episcopum & alios Ministros, nihil posse requirere, cum omni jure Simoniæ reos judicaverit Innocentius III. quosdam Angliæ Episcopos, qui, hoc Sacramentum administrantes, quamdam pecuniæ vim accipere consueverant; Parochos tandem teneri sacrum Chrisma quodam loco obsignato reponere & custodire, nec unquam licere ullo in casu Chrisma alicui donare, ne forte in profanos & malos usus ab aliquo convertatur.

Cap. *intantum* Extra de *Simon.*

Quantum vero ad *formam* pertinet Confirmationis, uti in assignatione *materiæ*, sic & in determinanda *forma* discrepant Theologi. Sunt enim, qui statuunt, *materiam* hujus Sacramenti in sola *manuum impositione* consistere, docentque idcirco *Orationem*, quam profert Episcopus, dum manus imponit, *formam* esse Confirmationis. Ii vero, qui solum *Chrisma* assignant pro *materia*, contendunt *formam* Confirmationis constare ex illis verbis, quæ in actuali unctione pronuntiat Episcopus. Qui tandem volunt *adæquatam materiam* Confirmationis, & in *impositione manuum* & *in unctione sacri Chrismatis*, sitam esse, pro certo tenent, *formam* hujus Sacramenti & illa verba complecti, quæ profert Episcopus manus imponens, & alia, dum ungit frontem confirmandi, quæ sunt apud Latinos; *signo te signo Crucis; confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* & apud Græcos: *signaculum Donationis*, sive Doni, *Spiritus Sancti.*

Ut id facili negotio quisquis sibi persuadeat, quin afferamus

au-

auctoritatem Eugenii IV. Summi Pontificis, qui Decreto suo docuit apertissime, allata verba constituere *formam* hujus Sacramenti, satis erit ipsa verba serio examinare. *Forma* enim Sacramentorum id complecti debet, quod ipsorum naturam & substantiam valeat significare. Porro *in hoc Sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta; quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritalis, quæ est Sacra Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur:* in nomine Patris &c. *Secundum est ipsum robur spiritale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ visibilis ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur:* confirmo te Chrismate salutis. *Tertium est signum, quod pugnatori datur, sicut & in pugna corporali milites insigniis Ducum insigniuntur, & quantum ad hoc dicitur:* consigno te signo Crucis, *in quo scilicet Rex noster triumphavit.* (S. Tho. 3. p. q. 72. a. 4.)

Illud etiam circa eamdem *formam* animadverti modo potest cum eruditissimo Patre Berti, qui appositis exemplis observationem suam confirmat, allatam formam variis temporibus variatam fuisse. Hujusmodi tamen mutationes, ut advertit laudatus vir, fuere tantum accidentales, & omnes semper quoad substantiam convenerunt, idemque omnes significarunt. Itaque dubitare non licet, cum, variis hisce adhibitis formis hoc Sacramentum collatum fuit, semper valide fuisse administratum. Etenim graviter quidem peccant, ut alibi dictum fuit, in administratione Sacramentorum Ministri, si Ritus, ab Ecclesia statutos, omiserint, vel immutaverint, non tamen idcirco invalida fiunt Sacramenta, quando scilicet mutationes illæ, sive *materiam* spectent, sive *formam*, sunt solummodo *accidentales*. (De Theol. Disc. lib. 32. cap. 7.) (V. pag. 193.) (Ibi.)

Sed cum jam satis de *Forma*, & *Materia* hujus Sacramenti nobis dixisse videatur, addemus modo quædam ante omnia de ejus *Ministro*. Sæculo Nono Fotius, Constantinopolitanæ Sedis indignus usurpator, Græcorum Scismaticorum Caput audacissimum, ira temere accensus, eo quod Nicolaus Primus in Bulgaria Neophitos illos rursus confirmari jusserit, quibus a simplicibus Presbyteris hoc Sacramentum collatum fuerat, Enciclica Epistola, ad omnes Archiepiscopos Orientis missa, vulgare ausus est, simplicem quemlibet Sacerdotem ordinariam habere potestatem tale Sacramentum conferendi. Hic error subsequentibus temporibus a Valdesiis, Wicleffistis, Ussitis, & aliis modernis Novatoribus, eorumque asseclis, a Luthero & Calvino, adoptatus fuit. *Si quis tamen dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Extant enim evidentissima Scripturarum testimonia, quæ apertissime probant, ordinariam potestatem administrandi hoc Sacramentum solis Episcopis donatam fuisse. (Trid. Sess. 7. Can. III.)

Patet sane clarissime ex Capite octavo Actuum Apostolorum, primis etiam Ecclesiæ temporibus, solos Apostolos hoc Sacramentum administravisse. *Cum enim audissent Apostoli*, inquit Scriptura eo loci v. 14. *& ii, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* Idem colligitur ex Capite decimo quarto ejusdem Libri, ut legenti facile constat. Neque vero ad id demonstrandum *desunt Sanctorum Patrum atque Pontificum, Urbani, Eusebii, Damasi, Innocentii, Leonis, clarissima testimonia, quemadmodum ex eorum Decretis perspicuum est. Divus quoque Augustinus graviter queritur de corrupta Ægyptiorum & Alexandrinorum consuetudine, quorum Sacerdotes audebant Confirmationis Sacramentum administrare. Ac jure quidem hoc factum esse, ut hujusmodi munus ad Episcopos deferretur, hac similitudine possunt Pastores declarare. Ut enim in extruendis ædificiis, etsi fabri, qui inferiores ministri sunt, cementa, calcem, ligna & reliquam materiam parant, atque componunt, absolutio tamen operis ad Architectum spectat; ita etiam hoc Sacramentum, quo veluti spiritale ædificium perficitur, a nullo alio, nisi a Summo Sacerdote, administrari opus erat.* (Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 14.)

Magno hinc calore in Scholis agitari solet, utrum Pontifex ad simplices Sacerdotes administrationem hujus Sacramenti possit demandare. Quoniam vero circa hoc nihil definivit Ecclesia, licet unicuique quamlibet amplecti sententiam, quamvis non desint gravissimi Auctores, qui enixe sustinent affirmativam esse tutiorem, in Decreto Eugenii IV. extantibus hisce verbis, quibus, postquam jam asseruisset solum Episcopum esse Ordinarium Confirmationis ministrum, declarat, *aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Sacramentum.* Et sane quædam afferri possunt exempla, quæ accurate collegit eruditissimus Pater Berti, quæ probare videntur, hujusmodi auctoritatem aliquando simplicibus etiam Sacerdotibus, tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia, tributam fuisse. (De Theol. Disc. lib. 32. cap. 7.)

Quid-

V. Serry Disp. 8. de Conf. Art. 8.

Quidquid vero de hujusmodi Opinione dicendum sit, contra quam multa sane sunt, quæ ab adversariis opponuntur, nos, in neutram partem modo inclinantes, monemus, quod *Episcopus, non solum, sacris solemnibusque Pentecostes diebus, sed etiam (si ita Civitatis suæ ingens frequentia, multitudoque postularit) & Paschæ Resurrectionis tempore, & in Adventu sacro Domini, & quoties visitationem obibit, Sacramentum Confirmationis administret; & ob eam causam ad ministrandum sæpe occurret, quibus in locis Diœcesis opus erit.*

Conc. V. Mediol.

Episcopus præterea, ne jurisdictionis suæ limites prætergrediatur, *cavere debet, ne alienæ Diœcesis hominibus de jure non exemptis, qui in sua Diœcesi domicilium jam non constituerint, hoc Sacramentum ministret, nisi proprii illorum Episcopi concessu, aut assensu scripto. Quo igitur tempore ministrat, populum ea ipsa de re Parochos præmonere jubeat.*

Conc. IV. Mediol.

V. Chard. Dist. de Sacr.

In Confirmationis etiam administratione, uti mos erat primis Ecclesiæ Sæculis in collatione Baptismi, ea consuetudo invaluit, ut maribus Patrinus, & Matrina fœminis eligatur. *Si* enim, *qui gladiatoriam dimicationem subeunt, alicujus indigent, cujus arte & consilio doceantur, quibus ictibus & petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint; quanto magis Fideles, cum Sacramento Confirmationis, quasi firmissimis armis tecti ac muniti, in spiritale certamen, cui æterna salus proposita est, descendunt, ducis ac monitoris indigebunt? Recte igitur ad hujus quoque Sacramenti administrationem Patrini advocandi sunt, quibus eadem spiritalis affinitas conjungitur, quæ legitima Nuptiarum fœdera impedit, quemadmodum ante docuimus, cum de Patrinis ageretur, qui ad Baptismum adhibendi sunt.*

V. pag. 214. Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 15.

Sed quoniam sæpe evenit, ut Fideles in hoc Sacramento suscipiendo, aut præpostera festinatione, aut dissoluta quadam negligentia & cunctatione utantur, (nam de iis, qui ad eum impietatis gradum venerunt, ut illud contemnere & aspernari audeant, nihil est, quod dicamus), aperiendum est etiam, quæ, qua ætate, quo pietatis studio præditi esse debeant, quibus Confirmationem dari oportet. Atque illud in primis docendum est, hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit.

Id. ibi. n. 16.

Verum, *quamquam necessarium non sit, a nemine tamen prætermitti debet, sed potius maxime cavendum est, ne in re, sanctitatis plena, per quam nobis Divina munera tam large impertiuntur,*

tur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. Ac Sanctus quidem Lucas, cum admirabilem illam Spiritus Sancti effusionem describeret, ita Act. 2. v. 2. inquit: & factus est repente de Cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam Domum. *Deinde paucis interjectis:* & repleti sunt omnes Spiritu Sancto. *Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam Domus illa sanctæ Ecclesiæ figuram, & imaginem gerebat, ad omnes Fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die ductum est, pertinere. Atque id etiam ex ipsius Sacramenti ratione facile colligitur. Illi enim sacro Chrismate confirmari debent, quibus spiritali incremento opus est, & qui ad perfectum Christianæ Religionis habitum perducendi sunt; at nulli id non maxime convenit. Ut enim hoc spectat natura, ut, qui in lucem eduntur, adolescant, atque ad perfectam ætatem perveniant, etiamsi interdum, quod vult, minus assequatur; ita communis omnium mater Catholica Ecclesia vehementer optat, ut in iis, quos per Baptismum regeneravit, Christiani hominis forma perfecte absolvatur. Id autem quoniam mysticæ unctionis Sacramento efficitur, perspicuum est, eam ad universos Fideles æque pertinere.* Id. ibi & n. 17.

Certe igitur lethaliter peccant, & in manifestum salutis discrimen se conjiciunt Christiani, qui Confirmationis Sacramentum suscipere contemnunt, vel negligunt. Non enim ii solummodo censendi sunt contemnere hoc Sacramentum, qui simplicem tantum cærimoniam ipsum esse affirmant, quod sacrilegum & hæreticum est, sed & ille, qui, quando Episcopus adest paratus administrare cuilibet tale Sacramentum, hoc sciens, suscipere negligit. Id post Scotum, Divum Bonaventuram, aliosque celeberrimos Theologos, declarat in una ex suis Notificationibus doctissimus Cardinalis, qui deinde & Summus Pontifex fuit, nomine Benedictus XIV., Prosper Lambertinus, immortalis memoriæ, qui eodem loco etiam sapientissime addit, graviter peccare Parentes, Patres familias, Tutores, Parochos quoque &c. quorum negligentia, qui eorum potestati subduntur, vel suo tempore non confirmantur, vel sine Confirmatione decedunt.

S. Tho. 3. p. q. 72. a. 8.

Edit. Bonon. an. 1731.

V. Berti de Theol. Disc. lib. 32. c. 8. n. 10.

Si igitur quisque quocunque tempore summo studio contendere debet, ut hoc Sacramento muniatur, illis certe videtur esse permaxime necessarium, quibus tempore persecutionis gra-

ves imminent tentationes contra Catholicam Fidem, & illis præcipue, qui cum Hæreticis & Infidelibus converſantur, vel cum
DD. còm. hominibus peſſimam vitam agentibus convivere debent; & illis etiam, qui alicui Religioſo Inſtituto adſcribuntur, cum in hoc novo vitæ ſtatu peculiari indigeant Dei gratia, ad Diabolicas tentationes repellendas; illis denique, qui ad Clericalem vitam aſpirant, quibus prima Tonſura, cæterique Ordines nunquam ſunt conferendi, niſi prius Confirmationis Sacramento jam fue-
Trid. Seſſ. 23. de Refor. cap. 4. rint præmuniti.

Nemo ergo, cui animæ ſuæ ſalus æterna cordi eſt, negligat ſalutare hoc remedium ſibi comparare, nec differat in dies,
Act. 8. 14. conſiderans Apoſtolos, ſtatim ac audierunt, Samariæ populos converſos fuiſſe, miſiſſe ad eos Petrum & Joannem, qui ipſos confirmarent; & adeo ſollicitam fuiſſe Eccleſiam de Confirmatio-
Mart. tom. 1. de Antiq. Rit. nis ſuſceptione, ut aliquando non confirmatis Euchariſtiam etiam negaverit; tandem ex negligentia, ob quam Fideles hujus Sacramenti ſalutares fructus non percipiunt, fragilitatem, peccandi facilitatem, & cætera graviſſima mala procedere, quæ
DD. com. Chriſtianum orbem turpiſſime dedecorant.

Quoad ætatem, omnibus quidem poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum poteſt adminiſtrari. Per duodecim ſane
Iven. Diſſ. 3. de Conf. q. 8. c. 1. Sæcula conſuevit ſemper Eccleſia pueros confirmare illico poſt Baptiſmum, qui plerumque ab Epiſcopo conferebatur. Quin immo hic uſus in Græca Eccleſia viget adhuc; cum ſint etiam, qui ſtulte hodiernam Latinæ Eccleſiæ praxim damnare audeant, quæ ſtatuit non expedire conferri hoc Sacramentum, antequam
Conc. V. Mediol. pueri rationis uſum habeant, niſi Epiſcopus ob aliquam juſtam & rationabilem cauſam, opportunum, atque adeo neceſſarium duxerit, parvulo, qui eam ætatem non attigerit, eſſe adminiſtrandum; non enim ſpiritalibus armis indigemus, antequam ætas pugnandi pro Chriſto, & Fide advenerit. Plures aliæ extant rationes, ob quas id a Latina Eccleſia inſtitutum fuit, quas
V. Eſt. Diſt. 7. §. 23. paſſim legere eſt apud eos Auctores, qui de hac materia accurate ſcripſerunt. Quapropter *ſi duodecimus annus expectandus non videa-*
Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 18. *tur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.*

Poſito igitur quod adultus eſſe debeat confirmandus, requiritur primum, ut quæ ſint præcipua Catholicæ Religionis Myſteria plane noſcat, & ea, quæ ſpectant ad Confirmationem, prius aſſequatur. Attendat præterea ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum non

ſolum Fidem & Pietatem adferre, ſed graviora etiam peccata ex animo dolere; immo, ſi fieri poſſit, peccata prius confiteatur, & Divino Euchariſtiæ cibo, ſi alias ſumpſerit, ſe reficiat; jejunus etiam, juxta antiquum Eccleſiæ uſum, ad Con- Id. ibi n. 19.
firmationem veniat, & enixe rogans Spiritum Sanctum, ut ſupra ſe velit requieſcere, modeſte, devote, & fiducialiter ad Epiſcopum accedat, ut, dum ipſe ejus frontem ſignat Signo Crucis, eumque confirmat Chriſmate ſalutis, Deus omnipotens Dona ſua, & virtutem Spiritus Sancti ipſi elargiri non dedignetur.

Verum enim vero ter felix ille, cui, tali pacto diſpoſito, confertur Confirmationis Sacramentum. Præterquamquod tale Sacramentum, uti & cætera Sacramenta, gratiam confert, ſi nullus opponatur obex, proptereaque peccata dimittit, (peccata enim cum gratia ſimul ſtare non poſſunt), præhabitam etiam in Baptiſmate juſtitiam firmat, & auget. *Qui* enim, ut jam diximus, *per Baptiſmum Chriſtiani effecti ſunt, quaſi infantes modo geniti, teneritatem adhuc, & mollitiem quamdam habent, ac deinde Chriſmatis Sacramento adverſus omnes Carnis, Mundi, & Diaboli impetus robuſtiores fiunt; & eorum animus in Fide omnino confirmatur ad confitendum, & glorificandum nomen Domini Jeſu Chriſti.* Id. ibi n. 20.

Quapropter jure omni de confirmato dicitur: *requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Spiritus Conſilii & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis, & Spiritus Timoris Domini.* Septem igitur hiſce Donis perficitur Iſai. 11. 2. 3.
confirmatus, ut prompte ſequatur inſtinctum Spiritus Sancti, quæ Dona ita in Charitate connectuntur invicem, ut nullum S. Th. 1. 2. q. 68. a. 1.
ſine Charitate, qua anima vivit, haberi poſſit. Ut de excellentia horum Donorum, uti par eſt, judicemus, de ſingulis modo aliquid breviter dicemus. *Plura habent Sanctus Gregorius Papa Hom. 19. in Ezech. & Sanctus Bernardus Ser. 14. de div.*

Donum Sapientiæ eſt *rectitudo judicii, tam in contemplatione Divinorum, quam in ordinatione rerum humanarum ſecundum Divinas regulas, quantum neceſſarium eſt ad ſalutem*, qua, victo Id. 2. 2. q. 45. a. 5
tædio, quo nos res ſpiritales afficere ſolent, corruptæ naturæ vitio nos abripi non ſinamus a vana & decipienti mundanorum bonorum ſpecie, & carnalium voluptatum illecebris, cum ingenti æternæ noſtræ ſalutis damno, Iſraelitis ſimillimi, qui manna de Cœlo lapſum faſtidientes, carnes & cæpas Ægypti

Num. 11. 21. sibi expetebant. Hinc *Sapientiæ Dono*, monente Divo Bernardo, æternas incomprehensibiles cœlestis Patriæ, ad quam tendimus, delicias prægustamus. De Don. Sp. Sanct. cap. 7.

S.Tho. 2. 2. q. 45. a. 5. Donum Intellectus *est illustratio mentis circa æstimationem rectam de ultimo fine*. Cum enim menti nostræ primi Parentis culpa tenebras offuderit, & idcirco dubii & solliciti sæpissime hæreamus Divina mysteria considerantes, turbemurque; quo fit, quod aliquando diffidimus, desperamus, & in bene agendo admodum tepidi sumus; *Dono* tamen *Intellectus* tenebræ fugantur, pellitur timor, vis additur & robur, quo sancta alacritate, ardentique zelo Divinis Præceptis exequendis studeamus, cum per hoc Donum ad intelligentiam mens evehatur eorum mysteriorum, quæ, ut animadvertit idem Bernardus, sine præsidio hujus Doni, nunquam essemus assecuturi. De Don. Spir. Sanct. cap. 7.

Donum Consilii *est habitus, quo ratio a Spiritu Sancto movetur, vel instruitur de agendis; quia enim humana ratio non potest comprehendere singularia contingentia, quæ occurrere possunt, fit, quod cogitationes mortalium sint timidæ, & incertæ viæ nostræ, ut dicitur Sap. 9.; & ideo indiget homo in inquisitione Consilii dirigi a Deo, qui omnia comprehendit. Quod fit per Donum Consilii, per quod homo dirigitur, quasi consilio a Deo accepto*. Hoc Dono confirmatus Joseph, contemnens heram, de concubitu interpellantem, relicto in manu ejus pallio, fugit, & egressus est foras; & Salomon duarum meretricum litem diremit, jubens infantem, quæ utraque suum esse contendebat, in duas partes dividi. S.Tho. 2. 2. q. 52. a. 1. Gen. 39. 12. 3. Reg. 3. 25.

Donum Fortitudinis *est fiducia quædam, menti a Spiritu Sancto ingenita, consequendi finem operis ardui propter Deum suscepti, & evadendi quæcunque pericula ex adverso imminentia, & prementia*. Hujus Doni virtus emicuit præcipue in tanto invictorum Martyrum numero, qui, insigni constantia, minantibus tyrannis illuserunt, & acerbissimos cruciatus heroico animo sustinentes, intrepidi vitam suam, onustam meritis, Deo devoverant. Hoc Dono valentes Apostoli, *ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti erant pro Nomine Jesu contumeliam pati*; & Paulus Apostolus, hoc Dono firmatus, *omnia possum*, ajebat, *in eo, qui me confortat... neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit me separare a Charitate Dei*. Act. 5. 41. Philip. 4. 13.

Donum hoc cuilibet homini admodum est necessarium; *militia enim est vita hominis super terram; & omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Caro* præterea *concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque volumus, illa faciamus*. Rom. 8. 38. Job. 7. 1. 2. Tim. 3. 12. Gal. 5. 17.

Donum Scientiæ *est habitus supernaturalis, per quem homo, ex singulari Spiritus Sancti illustratione & motione scit, quod credere debeat, discernens credenda a non credendis, & recte judicat de rebus humanis, quatenus non ducunt ad Deum*. Hoc Dono insidias Diaboli detegimus, qui, ut nos decipiat, *transfigurat se*, ut verbis utar Apostoli, *in Angelum lucis*; & debilitatem etiam, fragilitatemque nostram cognoscimus, ut in Domino unice confidentes, sentiamus cum Apostolo, qui *coarctabatur, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*, apud quem, destructo errore, sempiterna veritas triumphat. S.Tho. 2. 2. q. 9. a. 1. 2. Cor. 11. 14. Phil. 1. 23.

Donum Pietatis *est habitus supernaturalis, quo anima Christiana fit prompte mobilis a Spiritu Sancto, ad exhibendum cultum & officium Deo, & Patri, & omnibus subinde hominibus, quatenus ad Deum pertinent*. Hoc Dono ita allicimur, ut, eodem ferme pacto, de nostro & nostrorum fratrum bono solliciti simus, & alienis æque, ac nostris calamitatibus afficiamur, cogitantes nos omnes ejusdem Patris esse filios, omnesque Divini sui Sanguinis pretio redemptos fuisse, & omnes eadem gloria in Cœlis esse fruituros. S. Tho. 2. 2. q. 121. a. 1.

Donum tandem Timoris Domini *est habitus supernaturalis, quo anima Deum veretur, seque ipsi subducere timet*. Triplex est. *Si* enim *aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis; nam filiorum est timere offensam Patris. Si autem propter utrumque, erit timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem*. Id. ibi q. 19. Id. ibi a. 2.

Sunt porro homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum Diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit charitatem, sed sic venit, ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo, quod mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? Ne amittas ipsa bona. Intendite. Aliud est timere Deum, ne mittat

rat te in gehennam cum Diabolo, aliud est timere Deum, ne recedat a te. Ille timor, quo times, ne in gehennam mittaris cum Diabolo, nondum est castus; non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pœnæ; cum autem times Deum, ne deserat te præsentia ejus, amplecteris eum, ipso frui desideras. Timor hic castus est Donum Spiritus Sancti; ille vero timor, qui *servilis* dicitur, Donum quoque est *Spiritus Sancti, ejusque impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis*. Timor hic a Regio Propheta *initium Sapientiæ* appellatur; qui enim, patrato crimine, veritatem agnoscit, timet, ne pœnas, peccato suo debitas, Divina justitia id exigente, illico debeat persolvere. Cum vero, impetrata venia, Dei amore ejus animus rursus accenditur, tunc servili timori filialis timor succedit, qui nunquam deficit, imo, quantum in ipso charitas, tantum & ille timor augetur.

S. Aug. tract. 9. in 1. Joann.
Trid. Sess. 14. cap. 14.
Psal. 110. 10.
V. S. Hier. lib. 1. in c. 1. Prov.

Perspecta nunc virtute & excellentia horum Donorum, quisque intelligit, Confirmationis Sacramentum perficere & augere gratiam, in Baptismate acceptam, conferendo Fidelibus, illam digne suscipientibus, validissima præsidia, quibus confirmati depositum Fidei incorruptum custodire valeant, eamque publice profiteri, ipsam vitam, si opus sit, in ejus defensionem ultro devoventes.

Catech. Rom P. II. c. 3. n. 22.

Habet præterea Confirmatio eam vim, ut Characterem imprimat, quo fit, ut nulla unquam ratione iterari possit, quod etiam in Baptismo supra observatum est. Hæc nota erit in Beatis decus & ornamentum, quæ ipsorum gloriam augebunt, damnatis vero erit in confusionem, ipsis abusum tot Donorum exprobrando, qui contemnentes Fidem, quam profitebantur, operibus negare ausi sunt.

Id. ibi n. 23.

Restat nunc, ut aliqua etiam de Ritibus & Cærimoniis, quibus, in hoc Sacramento administrando, Catholica Ecclesia utitur, breviter perstringantur. Græci Sacro Chrismate ungunt frontem, oculos, nares, os, & utramque aurem; *apud Latinos* vero, *qui confirmantur, sacro Chrismate in fronte* tantum *unguntur. Nam hoc Sacramento Spiritus Sanctus in animos Fidelium sese infundit, in eisque robur, & fortitudinem auget, ut in spiritali certamine viriliter pugnare, & nequissimis hostibus resistere queant. Quocirca declaratur, eos nullo metu, aut verecundia, quarum affectionum signa maxime in fronte solent apparere, a libera Christiani nominis confessione absterrendos esse. Præterea*

V. Berti de Theol. Disc. lib. 32. cap. 10.

nota

nota illa, qua Christianus a ceteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte imprimenda erat.

Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 24.

Et illud hoc loco non prætermittam, antiquitus, ad significandum quanta cura & diligentia Dona, quæ in hoc Sacramento percipiuntur, custodienda sint, in more positum fuisse, confirmati caput, per dies septem, postea per tres solummodo, candida vitta redimire. Nostris vero hisce temporibus, ferme ubique, ne mos hic ex sacro prophanus fiat, solent Episcopi ipso facto confirmati caput gossipio abstergere; *deinde ut, qui jam unctus & confirmatus est, meminerit, se tanquam fortem athletam, paratum esse oportere ad omnia adversa, invicto animo, pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo ceditur. Postremo autem pax ei datur, ut intelligat, se gratiæ cœlestis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consequutum esse*.

L' Herm. de Conf. cap. 11.
Catech. Rom. P. II. c. 3. n. 26.

CAPUT QUARTUM

De Eucharistia.

EUcharistiæ verbum *vel* bonam gratiam, *vel* gratiarum actionem *latine reddere possumus. Ac recte quidem* bona gratia *dicendum est, tum quia vitam æternam, de qua scriptum est Rom. 6. v. 23.*: gratia Dei vita æterna, *præsignificat; tum quia Christum Dominum, qui vera gratia, atque omnium Charismatum fons est, in se continet. Nec vero minus apte* gratiarum actionem *interpretamur; siquidem cum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus, atque in primis pro ejus gratiæ tam excellenti bono, quam nobis hoc Sacramento tribuit*.

Id. ibi c. 4. n. 3.

Verum *hujus admirabilis Sacramenti dignitatem atque excellentiam, cum Sacri Scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, ut uno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati sunt*. Hinc vocatum est *Eulogia divina, Eulogia mystica, Sacramentum Benedictionis, Sanctificationis, Consecrationis, Convivium, Mensa Domini, Mensa cœlestis, Cœna Domini, Panis vitæ, Panis Angelorum, Panis supersubstantialis, Panis Dominicus, Panis concordiæ, Panis cœlestis, Fractio panis, Communio,*

Il. ibi.

nio, *Viaticum*, *Vita* &c. Circa quæ nomina plura habent Natalis Alexander, & Catechismus Romanus.

Optime equidem Punici Christiani Baptismum ipsum nihil aliud quam salutem, *& Sacramentum Corporis Christi nihil aliud quam* vitam *vocant. Unde nisi ex antiqua, ut existimo, Apostolica traditione?.. Quid aliud etiam, qui Sacramentum mensæ Dominicæ* vitam *vocant, nisi quod dictum est* (Jo. 6. 48.): ego sum panis vitæ? *Eucharistia etiam* Sacramentum panis *dicitur* (*a*); *dicitur &* Sacramentum Fidelium, *quod norunt Fideles* (*b*). Mysterium Fidei, *eo quod Paganis, immo & Catechumenis abscondebatur* (*c*); Paganis quidem juxta illud (Matt. 7. v. 6.) *nolite sanctum dare canibus*; Catechumenis vero, *ut ad tales epulas invitati festinarent, ut, si non excitabat festivitas, duceret ipsa curiositas* (*d*).

S. Aug. lib. I. de pecc. mer. & rem. cap. 24.
(*a*) Id. de Cons. Evang. lib. 3. c. 25.
(*b*) Id. Ser. 2. de verb. Ap.
(*c*) Id. tract. 11. in Jo.
(*d*) Id. Ser. 46. de verb. Dom.

Salvator interim, *quo vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat.* Hinc scripsit Apostolus: *ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

Id. ep. 118.
1. Cor. 11. 23.

Ex quibus infertur *Eucharistiam verum esse Sacramentum, atque unum ex illis septem, quæ sancta Ecclesia semper religiose coluit, ac venerata est... Etenim in eo signa sunt externa, & sensibus subjecta. Habet deinde gratiæ significationem & efficientiam; præterea de Christi institutione neque Evangelistæ, neque Apostoli dubitandi locum relinquunt. Quæ omnia, cum in unum conveniant, ad Sacramenti veritatem confirmandam, nullis aliis argumentis opus esse perspicitur.*

Catech. Rom. P. II. cap. 4. n. 7.

Tria autem in Eucharistia considerari possunt; scilicet *Sacramentum tantum, Res & Sacramentum, Res, & non Sacramentum. Sacramentum tantum sunt species visibiles panis & vini, quæ sunt signum tum corporis Christi, & sanguinis, vere ab iis contentorum, tum corporis Christi mystici, quod est Ecclesia. Illud ratione cibi; sicut enim panis corporaliter hominem nutrit, ita*

ita Christi caro spiritum alit: istud ratione unionis (sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei); namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit. Res simul & Sacramentum est corpus & sanguis Christi Domini, quia & per species visibiles significatur, & corpus mysticum significat, gratiamque invisibilem, quam digne suscipientibus confert. Res, & non Sacramentum, est mysticum Christi corpus, quod hoc Sacramento non continetur, sed significatur tantum, & gratia invisibilis, quam Eucharistia virtute continet, quamque hauriunt, qui eam digne suscipiunt. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

S. Aug. tract. 26. in Jo.

Præterea *commune hoc quidem est SS. Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem. Verum illud in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat; & semper hæc Fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, una cum ejus anima & Divinitate existere.*

Trid. Sess. 13. cap. 3.

Ipsum porro Christi corpus & sanguis, sub speciebus panis & vini latens, Sacramenti nomine aliquando intelligitur ex Trid. loc. cit. & Sanctis Patribus. *Verum hæc omnia minus proprie dici Sacramentum perspicuum est. Ipsæ autem panis & vini species, veram & absolutam hujus nominis rationem habent; & licet duo sint elementa, panis scilicet & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur. Aliter enim septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, & a* Conciliis Lateranensi, Florentino, *& Tridentino decretum est, constare non poterit... Quemadmodum cibus & potio, quæ duæ diversæ res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur; ita etiam duas illis diversas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ cibum spiritalem significarent, quo mentes sus-*

Catech. Rom. P. II. cap. 4. n. 3.

tinentur, *& recreantur*. *Quare a Domino Salvatore Jo. 6. v. 56.*
Id. ibi n. 10. *dictum est:* caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.

Facili negotio colligitur etiam ex iis, quæ hactenus attulimus, panem & vinum esse materiam hujus Sacramenti; quæ tamen transubstantialiter convertuntur in corpus & sanguinem Domini. Hanc esse Eucharistiæ materiam dubitari non potest. Certum enim admodum est eadem ipsum Christum usum fuisse in institutione hujusce Sacramenti.

Sed, ut de pane primum agamus, *cum varia sint panis genera, vel quia materia differunt, ut cum alius ex tritico, alius ex hordeo, alius ex leguminibus, cæterisque terræ fructibus confectus est, vel quia diversis qualitatibus præditi sunt (uni enim fermentum additur, alter vero fermento omnino expers esse potest), quoad primum attinet, Salvatoris verba ostendunt, panem ex tritico confici oportere. Communi enim loquendi consuetudine, cum*
Id. ibi n. 12. *panis absolute dicitur, panem ex tritico intelligi satis constat.*

Verum *quemadmodum nullus panis, nisi triticeus, apta ad Sacramentum materia putandus est (hoc enim Apostolica traditio nos docuit, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritas confirmavit; ita etiam ex iis, quæ Christus Dominus gessit, azymum esse debere intelligitur. Ipse enim* primo azymorum die (Matt. *26.* v. 17.), *quo nihil fermentati domi habere Judæis licebat, hoc Sacramentum con-*
Id. ibi n. 13. *fecit, atque instituit.*

Quod si quis Joannis Evangelistæ auctoritatem opponat, qui cap. 13. v. 14. hæc omnia ante diem festum Paschæ acta esse commemorat, ea ratio facile dissolvi potest. Etenim, quem primum Azymorum diem cæteri Evangelistæ appellarunt, quod feria quinta vesperi dies festi Azymorum inciperent, quo tempore Salvator noster Pascha celebravit, eum ipsum diem Joannes pridie Paschæ fuisse describit, ut qui diei naturalis spatium, quod ab oriente Sole
Id. ibi. *inchoatur, in primis notandum existimavit.*

Panis tamen azymi qualitas adeo necessaria non est existimanda, ut, si illa pani desit, Sacramentum confici non possit; utrumque enim panis genus veram & propriam panis rationem, &
Id. ibi n. 14. *nomen habet*. Neque circa hoc per octo Sæcula in Ecclesia Catholica controversia unquam fuit, licet variis in locis variis ritibus Christiani uterentur. Sæculo tantum Nono, in quo Photius, Patriarca Constantinopolitanus, separavit se a Romana Sede, ipsumque Græci secuti sunt circa annum *866.*, inter Græcos & La-

Latinos gravissima Quæstio de solo usu Azymorum inchoata fuit. Aliquo temporis spatio sopita jacuit hujusmodi Quæstio, quam circa annum 1053. rursus excitavit Michael Cærularius, Patriarca & ipse Constantinopolitanus, qui defendere ausus fuit, panem azymum non esse veri nominis panem, ideoque ipsum non esse materiam ullo modo aptam ad Eucharistiam conficiendam; quinimo eo usque ejus impudentia devenit, ut Latinos Hæreticos *Azymitas* appellaret. Studium sane non ingens requiritur, non acerrima ingenii perspicacia, ad errorem hunc detegendum; cum utraque Ecclesia, Græca & Latina, in Concilio Florentino congregata, definierit, *in azymo, sive in fermentato, pane triticeo, Christi corpus veraciter confici*.

Ecclesia sane Latina per sex priora saltem Sæcula indiscriminatim, *azymo & fermentato*, pane usa est, quod firmis argumentis propugnat eruditissimus Cardinalis Bona. Verum quidquid sit de hujusmodi Opinione, & de alia etiam Patris Antonii Sirmondi, sua quidem eruditione valde commendandi, sed, Lib. 1. Rer. Liturg. cap. 23.
sua impia & depravata circa mores Doctrina, omnino execrandi, qui, adversus Mabillonii, Lupi, Ciampini, & aliorum multorum sententiam, perpetuum usum Azymorum acerrime defendentium, contendit, Latinam quoque Ecclesiam ante Photii Scisma fermentatum panem adhibuisse, ea præcipue de causa, quia eo tempore Sacerdotes panem consecrabant, quem Fideles ad Altare offerebant, quem fuisse fermentatum valde probabile est, V. Berl. de Obl.
cum, desumpta ea parte, quæ necessaria erat propter Sacrificia, reliquum vel Sacerdotum victui inserviebat, vel pauperibus distribuebatur; quidquid, inquam, de hujusmodi Opinionibus dicendum sit, certum est, licet modo Ecclesia Latina solo *azymo* pane utatur, utrumque, & *azymum* & *fermentatum*, materiam aptam esse ad hujusmodi Sacramentum conficiendum. Quod satis constat ex utriusque Ecclesiæ consensu, in Concilio Florentino congregatæ, & ex ipsarum Decreto, quod superius attulimus. In Defin. Fid.

Diss. de Azym.

Quod quamvis verissimum sit, Sacerdoti nunquam licet, privata auctoritate Ecclesiæ suæ ritus immutare. Ad id confirmandum afferri potest laudati Concilii Florentini Decretum, in Ibi.
quo additur præterea, *Sacerdotes, in Eucharistia conficienda, alterutro pane uti debent, pro more suæ Ecclesiæ, sive Orientalis, sive Occidentalis*.

Quod si Græci Sacerdotes *fermentatum panem* adhibere tenentur, se gerere contra suæ Ecclesiæ consuetudinem minus licet

Latinis Sacerdotibus, quibus præterea præceptum est, ut ex *azymo* tantum sacra mysteria conficiant, quod jussum fuit, priusquam Concilium Florentinum haberetur, *quia melius sacrificatur de azymo quam de fermentato, tum quia valde aptius, & purius, ac diligentius fit, tum quia Dominus hoc fecit.* [S. Ansel. in respon.]

Quemadmodum vero solus panis triticeus prima est materia Eucharistiæ, sic tantummodo vinum, ex vitis fructu expressum, altera est materia ejusdem Sacramenti. *Dominum enim Salvatorem vino in hujus Sacramenti institutione usum fuisse Catholica Ecclesia semper docuit, cum ipse dixerit :* non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum. [Matt. 26. 29.] *Quo in loco Chrysostomus,* de genimine, *inquit,* vitis, quæ certe vinum, non aquam produxit; [Hom. 83. in Matt.] *ut tanto ante illorum Hæresim, qui aquam solam in hisce mysteriis adhibendam censuerunt, convellere videretur;* qui Hæretici *Aquarii*, eo quod in administratione hujus Sacramenti sola aqua uterentur contra universalem praxim totius Ecclesiæ, fuere nuncupati. [Catech. Rom. P. II. c. 4. n. 15.]

Ex agresta quoque *non potest consecrari sanguis Christi; ex musto potest. Non tamen uvæ integræ huic Sacramento misceri, quia jam esset ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam, ne mustum, statim expressum de uva, in Calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Nec de aceto valide consecratur; potest tamen confici de vino acescente, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem; licet peccet conficiens.* [S. Th. 3. p. q. 74. a. 5.]

Posita igitur calicis materia, & explicata, monebimus & nos, uti *monet sancta Synodus* Tridentina, *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cum aquæ in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi Fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. Si quis ergo dixerit .... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.* [Sess. 22. cap. 7.] Graviter igitur peccaret, qui aquam non misceret, sicut etiam si aliam aquam misceret præter puram & naturalem; [DD. com.] *ea tamen si desit, Sacramentum constare potest.* [Catech. Rom.]

Si Celebrans autem *ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si vero id advertat post consecrationem, nullo mo-*

do apponat, quia non est de necessitate Sacramenti; & graviter [Rubr. Miss.] quidem *peccaret Latinus Sacerdos, qui post consecrationem misceret.* [S. Tho. 3. p. q. 83. a. 6.] Dixi *Latinus;* Græcus enim bis infundit aquam, ante & post consecrationem, frigidam & calidam. [V. Goar. in not. ad Miss. S. Joan.] Illud etiam advertendum, *modicam aquam infundendam esse. Si enim multum aquæ poneretur, periculum esset invaliditatis Sacramenti; quare graviter peccaret Sacerdos, id agens.* [S. Tho. 3. p. q. 83. a. 6.]

Sed cum de utraque materia hujus Sacramenti satis dictum sit, addamus modo quædam de ejusdem forma. Quæ sit forma consecrationis panis, Matthæus (*a*), Lucas (*b*) Evangelistæ, & Apostolus (*c*), satis indicant, cum conveniant omnes, constare hisce verbis: *hoc est corpus meum. Scriptum est enim,* cœnantibus illis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & dixit: accipite, & comedite; hoc est corpus meum. *Quæ quidem consecrationis forma, cum a Christo Domino servata sit, ea perpetuo Catholica Ecclesia usa est. Prætermittenda sunt hoc loco Sanctorum Patrum testimonia, quæ, infinitum esset enumerare, & Concilii Florentini Decretum, quod omnibus patet, atque in promptu est, cum præsertim ex illis Salvatoris verbis :* hoc facite in meam commemorationem, *idem liceat cognoscere. Nam quod Dominus faciendum præcepit, non solum ad id, quod egerat, sed etiam ad ea, quæ dixerat, referri debet, atque ad verba maxime pertinere intelligendum est, quæ non minus efficiendi, quam significandi causa, prolata erant. Sed ratione etiam id facile persuaderi potest; nam forma est, qua illud significatur, quod in hoc Sacramento efficitur. Cum autem hæc verba, id, quod fit, significent, ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur formam in illis ipsis verbis constituendam esse. In quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est:* benedixit, *licet accipere. Perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset :* accipiens panem, benedixit, dicens: hoc est corpus meum. [Catech. Rom. P. II. c. 4. n. 19.]

(a) Cap. 26. 26.
(b) Cap. 22. 19.
(c) 1. Cor. 11. 24.

Quamvis autem *Evangelista verba illa :* accipite, & comedite, *præposuerit, illis tamen non materiæ consecrationem, sed usum tantummodo significari, perspicuum est. Quare a Sacerdote quidem omnino proferri debent, sed ad Sacramentum conficiendum omnino necessaria non sunt, quemadmodum etiam profertur conjunctio illa* enim, *in corporis & sanguinis consecratione. Aliter enim fiet, ut, si hoc Sacramentum nemini administrandum sit, confici non oporteat, aut non possit quidem; cum tamen dubitare non liceat,* quin

quin Sacerdos, prolatis ex more, atque instituto sanctæ Ecclesiæ, verbis Domini, aptam panis materiam vere consecret, quamvis deinde contingat, ut nulli unquam sacra Eucharistia administre-
Id. ibi n. 20. *tur.*

Quod vero ad vini consecrationem attinet, *eam his verbis comprehendi certo credendum est:* hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. *Ex quibus verbis plura quidem a sacris Scripturis colliguntur; quædam vero in Ecclesia ex Apostolica traditione conservata sunt. Nam quod dicitur:* hic est calix, *a Divo Luca, & ab Apostolo scriptum est; quod vero sequitur:* sanguinis mei, *vel* novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum, *partim a Divo Luca, partim a Divo Matthæo dictum est. Verba autem illa:* æterni, & Mysterium Fidei, *san-*
Id. ibi n. 21. *cta Traditio, Catholicæ veritatis interpres & custos, nos docuit.*

Verba porro hæc, præterquamquod formam consecrationis calicis constituunt, *exprimunt* etiam *quosdam effusi sanguinis in passione Domini admirabiles fructus, qui ad hoc Sacramentum maxime pertinent. Unus est aditus ad æternam hæreditatem, quæ, novi & æterni Testamenti jure, ad nos venit. Alter est aditus ad justitiam per mysterium Fidei; Jesum enim per Fidem in sanguinem ejus, propitiatorem, Deus proposuit, ut ipse sit justus, & justificans eum, qui ex Fide est Jesu Christi. Tertius est re-*
Id. ibi n. 22. *missio peccatorum.*

Quoniam vero hæc ipsa consecrationis verba plena mysteriorum sunt, aptissimeque ad rem conveniunt, diligentius perpendere ea oportet. Quod vero dicitur: hic est enim calix sanguinis mei, *sic intelligendum est:* hic est sanguis meus, *qui hoc calice continetur. Recte autem & apposite, dum sanguis hic, ut est Fidelium potus, consecratur, calicis mentio facienda est. Neque enim sanguis hujusmodi potionem satis significare videretur, nisi vase aliquo exceptus esset. Sequitur deinde* novi Testamenti, *quod quidem ob eam rem additum est, ut intelligeremus, Christi Domini sanguinem, non figura, quemadmodum in veteri Testamento fiebat, (de eo enim apud Apostolum ad Hebræos cap. 9. v. 18. legimus, sine sanguine Testamentum dedicatum non esse), sed vere & reipsa hominibus tradi, quod ad novum Testamentum pertinet. Quare Apostolus loc. cit. v. 15. inquit,* ideo novi Testamenti mediator est Christus, ut, morte intercedente, repromissionem

accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. *Verbum vero* æterni, *ad hæreditatem æternam, quæ Christi Domini, æterni Testatoris, morte, ad nos jure venit, referendum est. Quod subjungitur:* mysterium Fidei, *non rei veritatem excludit; sed quod occulte latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, cer-*
ta Fide credendum esse significat. Id. ibi n. 23.

Diversa vero hisce verbis sententia hoc loco subjecta est, ab ea, quam habent, cum Baptismo etiam tribuuntur. Nam quod sanguinem Christi, sub vini specie latentem, Fide cernimus, Mysterium Fidei dicitur; at Baptismus, quoniam universam Christianæ Fidei professionem complectitur, a nobis Fidei Sacramentum, a Græcis Mysterium jure appellatur. Quamquam alia etiam ratione sanguinem Domini Fidei mysterium dicimus, quod scilicet in eo maxime, plurimum difficultatis & negotii, humana ratio experiatur, cum nobis Fides credendum proponit, Christum Dominum, verum Dei Filium, simulque Deum & hominem, mortem pro nobis pertulisse; quæ quidem mors sanguinis Sacramento designatur. Quapropter hoc loco apposite potius, quam in consecratione corporis, passio Dominica commemoratur, his verbis: qui effunditur in remissionem peccatorum. *Sanguis enim separatim consecratus, ad passionem Domini & mortem, & passionis genus ante omnium*
oculos ponendum, majorem vim & momentum habet. Id. ibi & n. 24.

Sed verba illa, quæ adduntur, pro vobis, & pro multis, *a Matthæo & Luca, singula singulis sumpta sunt, quæ tamen Sancta Ecclesia, Spiritu Sancto instructa, simul conjunxit, pertinent ad passionis fructum, atque utilitatem declarandam. Nam, si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Salvatore effusum esse fatendum erit; si vero fructum, quem homines ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire, facile intelligemus. Cum igitur* pro vobis *dixit, eos, qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo, quales erant Discipuli, excepto Juda, quibuscum loquebatur, significavit. Cum autem addidit:* & pro multis, *reliquos, electos ex Judæis, aut Gentibus, intelligi voluit. Recte ergo factum est,* ut pro universis *non diceretur, cum hoc loco tantummodo de fructibus passionis sermo esset, quæ salutis fructum delectis solum attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli Hebr. 3. v. 28.:* Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; *& quod Dominus apud Joannem cap. 17. v. 19. inquit:* ego pro

pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, qui tui sunt.

Id. ibi.

Hic vero, antequam ulterius progrediar, animadvertam, quod Sacerdos, si non meminerit, se verba consecrationis pronuntiasse, propterea perturbari non debet, sed Sacrum prosequi debet, & perficere. *Qui enim multa dicit, non recordatur semper omnium, quæ dixit, maxime cum ita attendit ad illa, quæ dixit, ut ea se dicere minime cogitet. Si ergo Sacerdoti probabiliter constet, se aliqua omisisse, quæ non sunt de necessitate Sacramenti, ulterius procedere debet; non ea repetere, quæ forte prætermisit; ordo enim Sacrificii absque necessitate non est immutandus. Si vero certus sit, se omisisse formam consecrationis, aut aliquid verborum formæ essentialium, vel dubium est, an essentialia sint, consecratio repetenda est, & reliqua prosequenda, ne mutetur ordo Sacrificii.*

DD. com.

S. Th. 3. p. q. 83. a. 6.

Præmissis hisce notionibus, quæ necessariæ prorsus visæ sunt ad Sacerdotes erudiendos, ne forte hæreant, si hujusmodi difficultates illis aliquando occurrant, modo *ad earum rerum explicationem, oratio revertatur, quæ ut a Fidelibus ignorentur, nullo modo committendum est. Ac quoniam Apostolus admonet, gravissimum scelus admitti ab iis, qui non dijudicant corpus Domini, hoc in primis doceant Pastores, animum atque rationem omni studio a sensibus avocandum esse. Si enim Fideles ea tantum in hoc Sacramento contineri sibi persuaserint, quæ sensibus percipiunt, in summam impietatem adducantur, necesse est, cum nihil aliud præter panis & vini speciem, oculis, tactu, odoratu, gustu sentientes, panem tantummodo, ac vinum in Sacramento esse, judicaverint. Curandum igitur est, ut Fidelium mentes, quam maxime fieri potest, a sensuum judicio abstrahantur, atque ad immensam Dei virtutem, & potentiam contemplandam excitentur.*

1. Cor. 11.

Catech. Rom. P. II. c. 4. n. 25.

Tria ergo *sunt maxime admiranda atque suspicienda, quæ in hoc Sacramento verbis consecrationis effici Fides Catholica sine ulla dubitatione credit, & confitetur. Primum est, verum Christi Domini corpus, illud idem, quod natum ex Virgine, in Cœlis sedet ad dexteram Patris, hoc Sacramento contineri. Alterum est, nullam in eo elementorum substantiam remanere, quamvis nihil a sensibus magis alienum, & remotum videri possit. Tertium est, quod ex utroque facile colligitur, etsi verba consecrationis id maxime exprimunt, accidentia, quæ aut oculis cernuntur, aut a-*

liis

liis sensibus percipiuntur, sine ulla re subjecta esse, mira quadam, atque inexplicabili ratione. Ac panis quidem, & vini accidentia omnia licet videre; quæ tamen nulli substantiæ inhærent, sed per se ipsa constant, cum panis & vini substantia in ipsum Domini corpus, & sanguinem ita mutetur, ut panis & vini substantia omnino esse desinat.

Id. ibi n. 26.

Hujusmodi veritates, quæ inter Fidei Articulos debent recenseri, diversis temporibus, diversoque modo, ab Hæreticis fuerunt impugnatæ, inter quos numerandi sunt Simoniani, Menandriani, Manichæi, qui corporalem Christi præsentiam in Eucharistiæ Sacramento audacissime negarunt. Hujusmodi errorem an. 1035. Berengarius, Archidiaconus Andegavensis, annuente Brunone ejus Episcopo, publice defendere ausus est. Anno præterea 1126. Petrus de Bruis, (cujus Asseclæ *Petrobrusiani* ab ejus nomine dicti fuere) fatebatur quidem, in ultima cœna Christum corpus suum sub speciebus panis & vini Apostolis tradidisse, negabat autem Sacerdotibus facultatem consecrandi concessam fuisse. Perversum hoc Dogma deinde, an. scilicet 1146., a quodam Enrico Monacho, qui postea apostatavit, per Tolosæ Diœcesim disseminatum fuit. Sæculo tandem XVI., a Catholica Ecclesia recedentes, Carlostadius, Zuinglius, Bucerus, Calvinus, Lutherus, aliique plurimi, pro lubitu præsentiam Christi, & modum, quo ipsum in hoc Sacramento præsentem esse tenet Ecclesia, impugnarunt. Quidam enim contendebant, adesse corpus Christi, manente substantia panis; alii corpus Christi non adesse, sed Eucharistiæ usu participari; alii Eucharistiam esse tantum figuram ejusdem corporis; alii alia stultissime opinati sunt; quinimmo modo unum, modo alterum errorem, semper tamen Catholicæ Ecclesiæ Doctrinæ omnino contrarium, pro tempore amplectabantur.

S. Ignat. Mart. ep. ad Myr. ap. Theod.

V. Iven. Dis. 4. q. 4. cap. 1. a. 1.

Id. ibi.

V. Bossuet Var. des Eccl.

Contra perfidos hos homines en quænam sint Catholicæ nostræ Religionis, & Fidei Decreta. *Si quis dixerit, illis verbis:* hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit... Si quis negaverit, in augustissimo Eucharistiæ Sacramento contineri, vere, realiter, & substantialiter, corpus & sanguinem una cum anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.... Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacra-*

Trid. Sess. 13. Can. II.

 cra-

cramento remanere ſubſtantiam panis & vini una cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem *appellat, anathema ſit... Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit... Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante, & poſt; & in Hoſtiis, ſeu Particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini, anathema ſit.*

Id. Seſſ. 13. Can. I. II. III. IV.

Illa omnia, quæ contra modo allata Sanctiſſimæ Eccleſiæ Dogmata Hæretici impie ſcripſerunt, facili negotio diſſolvuntur, utriuſque Eccleſiæ, Græcæ & Latinæ, in hac re conſtanti conſenſu, auctoritate Conciliorum, Sanctorum Patrum teſtimoniis, quæ invicte contra eos urgent Theologi & nos, ne multi ſimus, conſulto prætermittimus. Satis ſit pro omnibus hæc Divi Auguſtini ſententia, auditores ſuos tali pacto alloquentis: *debetis ſcire quid accepiſtis, quid accepturi eſtis, quid quotidie accipere debeatis. Panis, quem videtis in Altari, ſanctificatus per verbum Dei, corpus eſt Chriſti. Calix ille, immo quod habet calix, ſanctificatus per verbum Dei, ſanguis eſt Chriſti. Per iſta voluit Dominus Chriſtus commendare corpus & ſanguinem ſuum, quem pro nobis fudit in remiſſionem peccatorum.*

Ser. 83. de div.

Nec vero hæc inter ſe pugnant, ut Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cœlis aſſideat juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis, ſacramentaliter præſens, ſua ſubſtantia adſit, ea exiſtendi ratione, quam, etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per Fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus.

Trid. Seſſ. 13. cap. 1.

Nullus præterea *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti Fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, Cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in venerationem exhibeant. Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit a Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum. Nam illum eumdem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum, dixit:* & adorent eum omnes Angeli (a); *quem Magi procidentes adoraverunt (b); quem denique in Galilea (c) ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur (d).*

(a) Pſal. 96. 8.
(b) Matt. 2. 11.
(c) Id. 28. 9.
(d) Trid. Seſſ. 13. Cap. 5.

Cum igitur ex his, quæ attulimus, ſatis conſtet, Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia contineri cum ipſius anima & Divinitate, proptereaque Euchariſtiam *Latriæ* cultu adorandam eſſe, agemus modo de ejuſdem *Miniſtro*. Peputiani, Hæretici ſic a loco quodam nominati, talem dabant mulieribus principatum, ut Sacerdotio, & Epiſcopatu etiam, apud eos honorarentur. Waldenſes, aliique, hominem quemcunque legitimum aſſerunt Sacerdotem, ſi ſit probus & pius; quod ideo affirmabant, quia temere putabant, ad valorem hujus Sacramenti neceſſariam omnino fore ſanctitatem Miniſtri. Lutherus & Calvinus auſi ſunt contendere, Chriſtianum quemlibet in Baptiſmate percipere poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, ita tamen ut conſecrare non poſſit, niſi ille, qui ad hoc legitime vocatus fuerit. Quidquid vero garriant ſtultiſſimi impii hujuſmodi homines, Dogma Fidei eſt, quod *Sacramentum nemo poſſit conficere niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, Jeſus Chriſtus.*

Conc. Later. ſub Innoc. III. V. pag. 199.

Falſum præterea omnino eſt, uti animadvertimus alibi, ſanctitatem requiri in Miniſtro, ut valide hoc Sacramentum conficiatur, quod memorati Waldenſes Hæretici propugnabant. Docuit enim conſtantiſſime Catholica Eccleſia, validum eſſe Sacrificium Sacerdotis, etiam improbi, quin immo & Hæretici, Sciſmatici, Degradati, Excommunicati &c. quamvis ſinguli graviſſime peccent, ſi conficiant. Cujus rei hæc eſt ratio, quia *Sacerdos in conſecratione loquitur in perſona Chriſti, cujus vicem in hoc gerit per Ordinis poteſtatem, quæ ſicut Character inauferibilis eſt, ſi ſemel rite collata ſit; non tamen quoad eſſe licitum; & hinc eorum Miſſam audire, ab iis Sacramenta ſuſcipere, neque licet, niſi forte Baptiſmum & Pœnitentiam, urgente neceſſitate; vel non ſit Sacerdos notorie criminoſus.*

S. Tho. 3. p. q. 82. a. 9.

Ad hunc locum opportunum erit animadvertere, quod *in Sacramentali ſumptione ſemper in Eccleſia mos fuit, ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent. Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent, qui mos, tanquam a Traditione Apoſtolica deſcendens, jure ac merito retineri debet.* Quin immo *ut quacunque ratione tanti Sacramenti dignitati conſuleretur, non modo ejus adminiſtrandi poteſtas ſolis Sacerdotibus data eſt, ſed lege etiam*

Trid. Seſſ. 13. cap. 8.

etiam Eccleſia vetuit, ne quis, niſi conſecratus eſſet, ſacra vaſa, lintea, & alia inſtrumenta, quæ ad illius confectionem neceſſaria ſunt, tractare auderet, modo gravis aliqua neceſſitas non incideret.

Catech. Rom. P.II. c.4. n.66.

Conc. Carth. IV. Can. 38.

Verum antiquitus licebat etiam Diaconis, urgente aliqua neceſſitate, de licentia Epiſcopi, Euchariſtiam diſtribuere. Fideles autem, viri quidem nudis manibus, mulieres vero, ſubjecto linteolo, dicto *Dominicali*, Euchariſtiam accipiebant, & ori admovebant. Aliquando etiam, ex Eccleſiæ indulgentia, minores Clerici, & laici aliis, & ſibi, Euchariſtiam privatim adminiſtrabant; immo traditur, Mariam Stuardam ſe ipſam communicaſſe ex diſpenſatione Pii V.

V.Iven. Diſ.4. q.5. c.2. a.1.

Quoad uſum porro *Euchariſtiæ recte, & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc ſanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt. Quoſdam enim docuerunt*, ſacramentaliter *dumtaxat id ſumere, ut peccatores; alios tantum* ſpiritaliter, *illos nimirum, qui, voto cœleſtem illum panem edentes, Fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem ſentiunt; tertio porro* ſacramentaliter *ſimul, &* ſpiritaliter. *Hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant, & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti, ad Divinam hanc menſam accedant. Si quis* autem *dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum* ſpiritaliter *tantum manducari, & non etiam* ſacramentaliter, *& realiter, anathema ſit.*

Trid. Seſſ. 13. cap. 8.

Id. ibi Can. VIII.

Peccatoribus interim *manifeſtis, ſive per evidentiam facti, ſeu criminis, vel judicio aliquo, ſive Eccleſiaſtico, ſive ſæculari, damnatis, non eſt danda Euchariſtia, quamtumvis petant, niſi prius ſcandalo publico ſatisfecerint, etiamſi abſolutionis a Pœnitentiariis, aut Confeſſoribus etiam Regularibus, acceptæ, teſtimonium produxerint*. A Communione ergo ſe prohibeant, qui ſciunt, nota eſſe ipſorum peccata, ne turpiter a cancellis removeantur.

S.Car. Inſtruct.

S.Aug. Hom. 49

Si vero *ſint peccatores occulti, non arceantur, quamvis ipſe Sacerdos certo ſciat, communionem eſſe ſacrilegam*. Chriſtus ſane *traditorem ſuum, qui jam pretium ejus acceperat, uſque ad ultimum pacis oſculum inter innocentes ſecum eſſe perpeſſus eſt, quibus non tacuit inter illos eſſe tanti ſceleris hominem; & tamen primum Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, nondum illo excluſo, communiter omnibus dedit*. Quapropter *a Communione prohibere quemquam non poſſumus*, (quamquam hæc prohibitio non eſſet *mortalis*, ſed *medicinalis*), *niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo, ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico, judicio nominatum, atque convictum*.

S.Th. in 4. diſt. 9. q.1. a. 5.

S.Aug. ep. 163.

Id. Hom. 50.

Quis enim ſibi utrumque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator, & Judex? Si vero petat in occulto, poteſt negari (*a*).

Id. ibi.

(a) S.Tho. in 4. diſt. 9. q.1. a. 5.

Sacrilegum quoque eſſet, hoſtiam vere non conſecratam alicui peccatori offerre pro conſecrata; quia *Sacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt, facit idololatrare, qui credunt, hoſtiam eſſe conſecratam*.

Id. ibi.

Quod vero, ad communicandi ritum pertinet, doceant Parochi ſanctæ Eccleſiæ lege interdictum eſſe, ne quis ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate, præter Sacerdotes, corpus Domini in Sacrificio conficientes, ſub utraque ſpecie ſacram Euchariſtiam ſumat. Neque ullo pacto, ſalva Fide, dubitari poteſt, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat. Nam, etſi Chriſtus Dominus in ultima Cœna venerabile hoc Sacramentum, in panis & vini ſpeciebus, inſtituit, & Apoſtolis tradidit, non tamen illa inſtitutio, & traditio eo tendunt, ut omnes Chriſti Fideles, ſtatuto Domini, ad utramque ſpeciem accipiendam adſtringantur. Sed neque ex ſermone illo apud Joannem 6. v. 54. recte colligitur, utriuſque ſpeciei Communionem a Domino præceptam eſſe, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligantur. Namque qui dixit: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, *dixit quoque:* ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Catech Rom. P.II. c. 4. n.64.

Trid. Seſſ. 21. cap. 1.

Nullus inter Chriſtianos ante Sæculum XIV. aſſeruit, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe laicis jure Divino neceſſariam. Hoc impium Dogma, atque execrandum, primum vulgatum fuit a quodam Petro Dreſdio, Theologo imperitiſſimo, deinde a Joanne Huſs, poſtea vero a Luthero & Calvino. Cæterum uſus fuit veteris Eccleſiæ, Euchariſtiam Fidelibus ſub una tantum ſpecie adminiſtrandi; quamvis adulti paſſim ſub utraque communicarent; donec Leo & Gelaſius, Summi Pontifices, hoc nomine Primi, ad Manichæos detegendos, qui vinum non bibebant, dicentes *fel eſſe Principis tenebrarum*, & hinc ſub ſola ſpecie panis communicabant, juſſere, Fideles ſub utraque ſpecie communicare. Manichæorum vero Secta deficiente, rurſus liberum fuit cuilibet laico, vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie Euchariſtiam accipere.

V.Iven. de Euch. Diſ.4. q.9. c.4. a. 1.

V.Chryſ. Hom. 83. in Matth.

S.Aug. Hær. 46.

S.Leo Ser. 4. in Quadr.

S.Th. 3.p. q.80. a. 12.

Obortis autem Hæreticis, qui aſſerebant præceptum eſſe Divinum ſumendi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, Eccleſia Catho-

tholica, *quæ potestatem habet, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statuat, vel mutet, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicat*, quin derogaret Græcorum ritibus, in Conciliis Constantiensi, Basileensi, & Tridentino decrevit, Laicis non esse dandam Communionem sub utraque specie, sed sub specie panis tantummodo.

Et hoc sane plures ob causas. *Primum* quidem *maxime cavendum erat, ne sanguis Domini in terram funderetur, quod quidem facile vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset. Præterea, cum sacra Eucharistia ægrotis præsto esse debeat, magnopere timendum erat, ne, si diutius vini species asservaretur, coacesceret. Permulti præterea sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem, perferre ullo modo possunt; quare, ne quod spiritalis salutis causa dandum erat, corporis valetudini noceret, prudentissime sancitum est ab Ecclesia, ut panis tantummodo speciem Fideles acciperent. Accedit ad alias rationes, quod in pluribus Provinciis summa vini penuria laboratur, neque id aliunde sine maximis impensis, ac nonnisi longissimis ac difficillimis itineribus, convehi potest. Deinde, quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum Hæresis, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse, sed corpus tantum exangue sub panis, sanguinem autem sub vini specie, contineri asseverabant. Ut igitur Fidei Catholicæ veritas magis ante omnium oculos poneretur, sapientissimo consilio alterius speciei, hoc est panis Communio, inducta est. Sunt & aliæ rationes, ab iis collectæ, qui de hoc argumento disserunt, quæ, si opus esse videbitur, a Parochis afferri poterunt.* Catech. Rom. P.II.c.4.n.66.

Posset tamen rursus Ecclesia usum calicis Laicis restituere, si id expedire judicaret, sed, si Sacerdos absque ejus licentia, laicos sub vini specie communicaret, ipse, & laicus sumens, graviter peccarent. *Si quis* igitur *dixerit, ex Dei Præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi Fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Item *si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus, adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit. Si quis* tandem *negaverit, totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non, secundum ipsius Christi institutionem, sub utraque specie sumatur, anathema sit.* Trid. Sess. 21. Can. I.II.III.

Quæ de hujus Sacramenti admirabili virtute, & fructibus dici possunt, nullum esse genus Fidelium existimandum est, ad quos earum rerum cognitio non pertineat, quibusque maxime necessaria videri non debeat. Nos igitur modo breviter de more aliqua dicemus etiam de ejus virtute, quam egregie exposuit Divus Carolus in pulcherrimo, & utilissimo suarum Instructionum libello. Catech. Rom. P.II.c.4.n.45.

Ac primo quidem *gratiam in animam influit, cum pure & sancte sumitur;* qui manducat, *inquit Dominus*, meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. *Qui enim, Pietatis atque Religionis studio affecti, hoc Sacramentum sumunt, Christi corpori tanquam viva membra inseruntur; siquidem scriptum est:* qui manducat me, & ipse vivet propter me. Joan. 6. 56. Ibi 57. *Animam alit, atque sustentat, quosque usus corpori panis, & vinum affert, eos omnes animæ saluti & jucunditati, ac meliori quidem ac perfectiori ratione, Eucharistiæ Sacramentum præbet. Vires animæ addit, efficitque, ut spiritus Divinarum rerum delectatione magis commoveatur, virtutibus augeatur, & divine corroboretur. Venialia peccata hoc etiam Sacramento remittuntur, ut merito dicat Sanctus Ambrosius:* panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis. *Vires præbet, ut a criminibus Fideles puros & integros, atque etiam a tentationum impetu incolumes se conservent; ac præterea tanquam cœlesti medicamento animam præparat, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno facile infici, & corrumpi queat. Concupiscentiæ ardorem debilitat, dum Charitatis igne animos Fidelium vehementer inflammat. Postremo, ut uno verbo dicatur, summam vim habet ad æternam gloriam comparandam; ejus videlicet gratia, dum hanc vitam Fideles degunt, conscientiæ pace & tranquillitate perfruuntur. Deinde ejus virtute recreati, non secus atque Elias, qui subcinericii panis fortitudine ambulavit usque ad montem Oreb, cum ex vita emigrandi tempus advenerit, ad æternam gloriam & beatitudinem ascendunt.*

Sed satis considerata Eucharistia uti Sacramento, progrediamur modo, ipsamque uti Sacrificium paulisper consideremus. *Duabus enim de causis Eucharistia a Domino instituta fuit. Altera est, ut cœleste animæ nostræ alimentum esset, quo vitam spirita-*

ritalem tueri, & conservare possemus; altera, ut Ecclesia perpetuum Sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, & cœlestis Pater, sceleribus nostris sæpe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate, ad clementiam traduceretur. Hujus rei figuram, & similitudinem in Agno Paschali licet animadvertere, qui, ut Sacrificium & Sacramentum, a filiis Israel offerri, & comedi consueverat.

Catech. Rom. P. II. c. 4. n. 69.

Inter cæteros, Lutherus præsertim & Calvinus, infernali spiritu accensi, audaces propugnarunt, Eucharisticam oblationem non esse reapse novæ Legis Sacrificium. Nos vero, sanctis Religionis nostræ Dogmatibus adhærentes, pro certo tenemus & defendimus, Eucharistiam revera esse Sacrificium a Christo Domino in ultima cœna institutum, ut declaravit Tridentina Synodus, quæ *nec illud prætermisit, quin diligenter explicaret, uni Deo Sacrificium fieri. Nam, etsi Ecclesia interdum Missas in memoriam & honorem Sanctorum celebrare consuevit, non tamen illis Sacrificium*, ut jam etiam alibi animadvertimus, *sed uni Deo, qui Sanctos immortali gloria coronavit, offerri docuit. Quare nec Sacerdos unquam dicere solet:* offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, *sed, dum uni soli Deo immolat, gratias illi agit pro beatissimorum Martyrum insigni victoria, eorumque patrocinium ita implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

Sess. 22. cap. 1.

V. lib. 2. pag. 146. & seq.

Hæc autem, quæ de hujus Sacrificii veritate a Catholica Ecclesia tradita sunt, ex Domini verbis accepit, cum extrema illa nocte, hæc ipsa mysteria Apostolis commendans, hoc facite, *inquit,* in meam commemorationem. *Eos enim, quemadmodum a Synodo definitum est, tunc Sacerdotes instituit, præcepitque, ut ipsi, & qui eis in Sacerdotali munere successuri essent, corpus ejus immolarent, atque offerrent. Atque id etiam Apostoli verba 1. ad Cor. 10. v. 21. scripta satis demonstrant, cum ait:* non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. *Ut enim pro* Dæmoniorum mensa *Altare, in quo eis immolabatur, intelligendum est; ita etiam (ut, quod Apostolus proponit, probabili argumentatione concludatur)* mensa Domini *nihil aliud nisi Altare, in quo Sacrificium Domini fiebat, significare potest.*

Catech. Rom. P. II. c. 4. n. 73.

Si ex veteri Testamento hujus Sacrificii figuras, & oracula requiramus, primum quidem de eo Malachias cap. 2. v. 10. & 11. apertissime vaticinatus est, his verbis: ab ortu Solis usque ad

ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. *Præterea hæc Hostia, tam ante quam post latam Legem, variis Sacrificiorum generibus prænuntiata est. Etenim bona omnia, quæ in Sacrificiis significabantur, hæc una victima, tanquam omnium perfectio & absolutio, complexa est. Verumtamen nulla in re ejus imaginem magis expressam licet videre, quam in Melchisedech Sacrificio. Ipse enim Salvator, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum, in extrema Cœna, sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit.*

Id. ibi n. 74.

Catholicum istud Dogma confirmant Concilia, & Christianarum Nationum omnium antiquissimæ Liturgiæ, ex Græcis quidem Liturgiæ Sancti Basilii, Sancti Joannis Chrysostomi, nec non ea, quæ Sancti Jacobi dicitur, quam Trullana Synodus (*idest Constantinopoli habita in cubiculo, quod ob ejus formam Trullum vocabatur*) can. 32. laudavit; tum Armenica, Chaldaica, Romana, Ambrosiana seu Mediolanensis, Hispana, quam ibi servabant Hispani, mixti cum Arabis, quæ ideo *Mezarabica* dicta fuit, Gallicana demum, quæ vigebat mille ab hinc annis, cujus Ritus accurate referuntur in tribus antiquissimis Missalibus, quæ in lucem edidit V. Cardinalis Thommasius, C. R. aliæque apud Cardinalem Bona, Pamelium, Mabillonium, & novissime apud Le Brun, ex quibus evidentissime probatur, Eucharistiæ consecrationem esse verum & proprium Sacrificium, quod ipse Christus instituit in ultima Cœna. Quapropter *si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

Trid. Sess. 22. Can. 1.

Nullus igitur dubitandi locus relinquitur, *id Sacrificium successisse omnibus illis Sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri... quia pro illis omnibus Sacrificiis, & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.*

S. Aug. de Civ. Dei lib. 11. c. 20.

Ex quibus colligitur primum, Eucharistiam Sacrificium esse *Latreticum*, sive *Adorationis*. Illud enim, uti optime advertunt Sancti Patres, Christus Dominus instituit, ut Deo Patri Latriæ cultus usque ad consumationem Sæculi jugiter exhiberetur, non ab hominibus dumtaxat, sed ab ipsomet Deo, simul & homine, qui in Eucharistiæ Sacrificio adorat pro nobis, adorat

dorat in nobis, & adoratur a nobis. Adorat in nobis, ut caput nostrum; adorat pro nobis, ut Sacerdos noster; adoratur a nobis, ut Deus noster.

Secundo est Sacrificium *Eucharisticum*, seu *gratiarum actionis*. *Cultus* enim *Dei in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non* Id. de Sp. & litt. cap. 11. *sit ingrata. Unde, & in ipso verissimo & singulari Sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur.*

Tertio est Sacrificium *Propitiatorium*. Offertur enim ipsum corpus, & sanguis Jesu Christi, *qui est propitiatio pro peccatis nostris;* 1. Joa. 2. 3. *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

1. Tim. 2. 1. & seq. Postremo est Sacrificium *Impetratorium*, in quo illud Apostoli monitum locum habet: *obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni patientia & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hoc adeo certum est, ut hoc Sacrificium *non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus,* Trid. Sess. 22. cap. 2. *& aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem, offeratur.* Ideoque *habet Ecclesiastica disciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oratur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria* S. Aug. Ser. 17. de verb. Apost. *est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Propterea que, *in plerisque Orationibus continetur*, prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem, *ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quo magis ac magis a Fidelibus glorificetur in terris, licet plerique* Cap. cum Martha Extra. de celebr. Miss. *reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad Judicium augmentari, & ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare.*

Verum *noli credere, nec dicere, nec docere, Sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum,* S. Aug. lib. 3. de or. anim. c. 12. *si vis esse Catholicus. Pro eis* enim *orat Ecclesia, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus adhuc est pœni-* Id. ibi. *tentiæ. Nam quid maxime pro eis orat, nisi* ut det illis Deus, 2. Tim. 2. 26. *sicut ait Apostolus*, pœnitentiam, & resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem?

Pro damnatis autem ullo modo orandum non est; & *Sacrificia*

ficia prodesse damnatis est Opinio præsumptuosa, utpote Sanctorum dictis contraria, & vana, nulla auctoritate fulta, & nihilominus irrationalis, tum quia damnati in Inferno sunt extra vinculum Charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis; tum quia totaliter ad vitæ terminum pervenerunt, reci- S. Th. in 4. dist. 45. q. 2. a. 2. *pientes ultimam pro meritis retributionem.* Quare fabulosum commentum est liberatio animæ Trajani Imperatoris ab Inferis precibus Sancti Gregorii Papæ. *Eis* enim *tantum prosunt hæc Sacrificia, qui, cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse,* S. Aug. Enchir. cap. 109. *meruerunt.*

Et hæc quidem, quæ de Missa generatim diximus, valent etiam de Missis, quæ vulgo *privatæ* dicuntur; eæ nimirum, in quibus solus Sacerdos se communicat, contra quas librum edidit Lutherus, Diabolo usus magistro, ut ipse testatur. Non Tract. 7. pag. 218. edit. Vitemb. enim requiritur ad essentiam Sacrificii, ut populus etiam de Hostia consecrata participet. In veteri sane Testamento offerebantur pro peccatis aliquando Sacrificia, quorum fructus & utili- Lev. 6. 7. tates populus percipiebat, licet ipse oblata non degustaret. Idem profecto fieri debet in novæ Legis Sacrificio, in quo, licet nemo præter Sacerdotem Hostiam consecratam assumat, in ipso tamen summum & supremum Dei jus in creaturas suas passim significatur, passionis Christi memoria innovatur, & ea petuntur præsidia, quæ Ecclesiæ sunt maxime necessaria. DD. com.

Optaret quidem Sancta Synodus Tridentina, *ut in singulis* Sess. 22. cap. 6. *Missis Fideles adstantes, non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas, damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritaliter communicat, partim vero quod a publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur. Si quis* propterea *dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Id. ibi Can. VIII

Quoad easdem privatas Missas in quodam Concilio defini- Conc. Nam. ap. Ivon. tum etiam fuit, ut nullus Presbyter solus præsumat celebrare. Quare nec Eremitis quidem licet, nisi ex Apostolicæ Sedis li- Cap. proposuit Extra. de Fid. Pres. centia. Missæ ministrans nequit esse fœmina, etiamsi esset Sancti-

Gel. I. ep. 9. Conc. IV. Mediol. ctimonialis; sed vel Clericus esse debet superpelliceo indutus; vel saltem laicus honestus, *sciens ministrare*.

Parochi vero, omnesque, qui alicui Ecclesiæ præsunt, *ut irreverentia vitetur, singuli in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Neminem præterea, qui publice, & notorie criminatus sit, aut sacro Altari ministrare, aut Sacris interesse permittant; neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut* Trid. Sess. 22. de Ref. *Regularibus quibuscumque peragi*.

Et quoniam de privatis Oratoriis sermo incidit, adverte in hujusmodi Oratoriis, non alios, quam qui servitio ejus Personæ, cujus intuitu Oratorium conceditur, necessarii sunt, ibidem DD. com. Missam audientes, satisfacere diebus festis Ecclesiæ præcepto; Conc. IV. Mediol. immo *Litteræ Dispensationis debent esse visæ, recognitæ, & approbatæ ab Episcopo loci*.

Curent etiam Episcopi, ut Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus defunctis fieri consueverant, secundum Ecclesiæ instituta, & devote fiant, & pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione, debentur, non perfunctorie, sed a Sacerdotibus, & Ecclesiæ Ministris, & aliis, qui Trid. Sess. 25. *hoc præstare tenentur, diligenter & accurate persolvantur*.

Verum, ne nimis longi simus, silentio prætermittimus nonnulla Decreta, quæ a Doctoribus collecta fuerunt, & varias Quæstiones, quas de fructu hujus Sacramenti agitare solent Theologi. Distinguunt enim fructum *specialissimum*, *specialem*, seu *medium*, & *generalem*. *Specialissimus* est, qui competit ipsi Sacerdoti, & dicitur *fructus personalis*. *Specialis*, seu *medius* est, qui competit illi, pro quo specialiter offertur, & hunc fructum applicat Sacerdos, quando sacrificat pro aliquo, vel aliquibus, eleemosyna accepta, vel ex liberalitate. *Generalis* est ille, qui competit omnibus Fidelibus ex instituto Ecclesiæ, & præsertim V. Mastr. de Sacr. Miss. circumstantibus, pro quibus speciali modo orat Sacerdos.

Sed ut cætera omnia persequamur, quæ spectant ad Missæ Sacrificium, licet Canones antiqui certum tempus non statuerunt, tum præsertim, cum Infidelium persecutiones Ecclesiam male vexabant, quo solummodo Missæ forent celebrandæ; modo enim ante ortum Solis, mox vix orto Sole, & aliquando etiam post

ejus

ejus occasum consecrare solebant; nostris tamen hisce temporibus consuetudo invaluit, quæ vim Legis habet, ut ante Auroram, scilicet una hora, & hyemali tempore, duabus horis ante Solis ortum, vel post meridiem, nemini Sacrum liceat peragere, nisi ex causis a jure permissis, quales essent Eucharistiæ consecratio pro infirmo, aut Privilegium.

Quamvis vero antiquitus singulis diebus plures Missas celebrare licitum esset, easque aliqui pii etiam, & devoti homines soliti essent celebrare, nunc, excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, de qua judicabit Episcopus, semel tantum in die licet Sacerdoti Sacrum conficere. In Regno tamen Aragonensi ex inveterata consuetudine, quæ a Summis Pontificibus, non modo abrogata non fuit, sed viva voce a Julio III., uti quidam volunt, vel, ut malunt alii, a Paulo III. approbata fuit, duas Missas Sæculares Sacerdotes, & tres Regulares, celebrare solebant in anniversaria die Commemorationis omnium Defunctorum. Hoc Privilegium Benedictus XIV. speciali Decreto concessit Regionibus omnibus, quæ Regibus Hispaniarum & Lusitaniæ subduntur; immo omnibus Sacerdotibus, tam Regularibus quam Sæcularibus, ibi degentibus, ut inter eos idem ritus servaretur, ea die tres Missas celebrare permisit.

Præterea, juxta ejusdem Ecclesiæ consuetudinem & Rubricas Missalis, nisi aliqua urgeat necessitas, vel negotium magni momenti, quod differri non possit, vel aliquod opus Charitatis, vel Fidelium Confessiones sint audiendæ, Missa non debet celebrari ab eo, qui non prius Matutinum recitaverit; alias ce- Innoc. IV. ep. 10. lebrando, juxta aliquorum Theologorum sententiam, mortaliter peccaret, quia sic se gereret contra consuetudinem Ecclesiæ generalem, quam tamen in hoc casu non obligare sub gravi do- S. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. cent alii.

Videtur etiam a gravi culpa solvi non posse, qui Missam nunquam dicunt. Ad hanc rem Divus Thomas hæc habet. 3. p. q. 82. a. 10. *Quidam dixerunt, quod Sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, & populo Sacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum. Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrare, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur. Unde Sacerdoti,*

etiamsi

etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Festis, & maxime in illis diebus, in quibus Fideles communicare consueverant.

Ex hisce verbis colligitur primo, Parochis & sacris Pastoribus, quibus ex Beneficio impendit animarum cura, nullo habito delectu, abstinere legitime non posse a Missæ celebratione, nisi alios supponant, qui vice ipsorum celebrent iis diebus, quibus Fideles Missam ex Præcepto audire tenentur; eosque etiam celebrare tunc certo debere, cum occurrit dies anniversaria, in qua adimplendum sit aliquod Legatum, vel cum Missæ celebratio ipsis incumbit vi accepti stipendii; iis enim in Casibus & Parochi, & simplices Sacerdotes a Sacro peragendo abstinere non possunt, quin injuste agant, mentem defraudando vel Legatorum, vel eorum, qui eleemosynas ipsis largiti sunt. (DD. com.)

Colligitur secundo, eos etiam Sacerdotes, qui nullo ex memoratis titulis obstringuntur, debere saltem iis diebus celebrare, quibus solemnes Festivitates occurrunt, ne male pareant Tridentinæ Synodo, (Sess. 23. de Ref. cap. 14.) quæ Episcopis invigilare committit, *ut ii saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*

Canonibus præterea, (ut de loco etiam, in quo Missa celebranda est, aliquid dicamus), Canonibus, inquam, constitutum est, exceptis Casibus urgentis necessitatis, vel alicujus peculiaris Privilegii, ne Missæ celebrentur nisi in Ecclesiis, quarum aliæ unctione sacrorum Chrismatum sint consecratæ, aliæ vero ab Episcopo, vel, de ipsius licentia, ab aliquo Sacerdote fuerint vel solummodo benedictæ; aut etiam in publicis, vel privatis Oratoriis, Episcopo semper permittente, quæ pariter benedici solent.

Duobus in Casibus Ecclesia jam consecrata iterum debet consecrari. (Capue *Ecclesiis* dist. 1. de Consec.) Primum si Ecclesia exuratur, ejusque parietes, si non omnes, magna saltem ex parte, in calcem redigantur. Secundum si Ecclesia, (Ibi.) vel tota, vel fere tota, innovetur; non tamen si successive ejus partes instaurentur. Tunc enim censetur eadem Ecclesia, & satis erit aquæ benedictæ aspersio, vel unius Missæ celebratio. (Cap. *de Fabr.*)

Cum Ecclesiam consecratam violari contigerit, per Episcopum (Cap *is qui* in 6.) conciliari debet, non per simplices Presbyteros. Celebrans in

in Ecclesia *polluta* graviter peccat, non tamen *Irregularitatem* incurrit. Hinc patet discrimen, quod intercedit inter eos, ut notat etiam Glossa, qui in Ecclesia celebrant *interdicta*, & eos, qui in *polluta* sacrum hoc Sacrificium conficiunt. Primi enim irregulares fiunt, non secundi.

Tunc vero Ecclesia *violata*, vel *polluta* dicitur, cum enormi aliquo peccato ejus sanctitas gravissime læditur; quod quidem contingit per injuriosam exustionem; per sepulturam Excommunicati vitandi, vel Infidelis etiam infantis; per homicidium; per violentam & injuriosam sanguinis humani effusionem; (Cap. final. de cons. Eccl.) per peccatum contra castitatem; & per copulam etiam licitam. *Plura habent ad hanc rem Canonistæ, qui tamen advertunt, hujusmodi peccata tunc solummodo Ecclesiam violare, cum nota sunt, & juridice probari possunt.*

Polluta Ecclesia, polluitur etiam Cæmeterium contiguum, nec ibi cadavera amplius humari possunt. Polluto autem Cœmeterio, (Cap. *si Ecclesiam* de cons. in 6.) non polluitur Ecclesia; dignior enim pars minus dignæ non subjicitur; nec principale trahitur ab accessorio.

Licet vero diversa sit Altaris & Ecclesiæ consecratio, adeo ut una absque alia fieri possit, tamen, polluta Ecclesia, polluitur etiam Altare; &, Ecclesia adhuc consecrata, potest Altare pollui, si fuerit ex. gr. motus, vel enormiter læsus, aut si frangatur loculus Reliquiarum.

Porro quoad linguam, qua Missa dici liceat, etsi magnam contineat populi Fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur; tum quia Linguarum varietas in Divinis officiis, & præcipue in Missæ celebratione, Ecclesiarum communionem posset aliquando tollere, & Scismatibus, Hæresibusque viam aperire, cum jam ortæ sint plures Hæreses ex unius vocis, vel syllabæ immutatione; immo ex varia etiam vocis inflexione; tum etiam quia dignitas sacrarum rerum postulare videtur, ut ipsæ intactæ inviolatæque serventur. Cum igitur antiquitus Missa Latino, Græco, & Chaldaico tantum sermone composita fuerit, Latine etiam, Græce, & Chaldaice tantum celebrata fuit. Itaque in Africa latinæ Linguæ usus in Missæ celebratione semper viguit, licet eam populus non intelligeret, sed Punice tantum loqueretur, ut passim testatur Sanctus Augustinus. Sic Germanos, Gallos, Hispanos, aliosque Occidentis populos, statim ac Religionem Christianam sunt amplexati, Latina lingua, licet apud

pud ipsos peregrina, Missam semper celebrasse antiquæ Liturgiæ evidentissime probant. Patet hinc quam temere Lutherani & Calvinistæ commendandam hujusmodi consuetudinem audeant condemnare. *Si quid enim tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

S. Aug. ep. 54. ad Jan.

Quod idem valet de Ritu recitandi Canonem secreto, cætera vero elata voce, quem Ritum ab ipsis Apostolorum temporibus fluxisse certum est. Quare *si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ Ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, anathema sit.*

Trid. Sess. 22. Can. IX.

Restat, ut aliqua dicamus de *Stipendio*, seu eleemosyna, quæ pro Missis dari solet. Circa hujusmodi Stipendium plurima, pulcherrima, atque scitu vere digna, egregie collegit Pater Franciscus Berlendi C. R., Libro hac de re edito, quem consulere poterit Ecclesiasticæ Disciplinæ studiosus; nos, ne statutos brevitatis limites prætergrediamur, notabimus solummodo, incertum esse, quo tempore hujusmodi Stipendia Sacerdotes in suos usus converterint. Antiquitus enim fiebant oblationes a Fidelibus, ex quibus & panis & vinum ad usum Sacrificii seligebatur, reliquum, ut optime animadvertit Clarissimus Thomasinus, Clericorum, pauperum, & viduarum substentationi inserviebat. Aliquo deinde elapso temporis spatio, cum aliqui vellent sibi tantummodo applicari Sacrificiorum fructus, Cappellaniæ institutæ sunt, & tandem statuta fuit eleemosyna pro quolibet Sacrificio.

S. Aug. Ser. 15. de temp.

L. 1. p. 1. c. 7. de vet. & nov. Eccl. Disc.

Si celeberrimo Patri Mabillonio fides habenda est, id peculiaribus quibusdam in locis in more esse cœpit Sæculo VIII.; qui mos deinde magis magisque obtinuit, & XII. Sæculo ferme ubique receptus fuit. Fuerunt tamen, qui morem hunc acerbius impugnarunt, inter quos Wicleffistæ ausi sunt declarare reos Simoniæ eos Sacerdotes, qui suorum Sacrificiorum eleemosynas sibi arrogarent. Sed hic certe apertissimus error est, quem omnes Catholici Theologi passim detestati sunt, quique unanimi ore, cum Angelico Doctore consentientes, propugnarunt, licitum esse cuilibet Sacerdoti quamdam pecuniæ vim pro quolibet suo Sacrificio suscipere; non equidem ut pretium consecrationis, quod absque dubio Simoniacum esset; sed uti stipendium ad honestam ipsorum sustentationem. *Dignus est enim, ut cuilibet notum est, operarius mercede sua.* Hinc Divus Paulus scri-

Præf. a I Part. V. Sæc. III. Bened.

2. 2. q. 100. a. 2.

Luc. 10. 7.

scribebat Corinthiis: *nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt; & qui Altari deserviunt, cum Altari participant?* 1 Cor. 9. 13.

Ex quo colligi potest, eos Sacerdotes improbandos non esse, qui, licet divites & opulenti, tamen Stipendia pro Missis non recusant. Si enim Ecclesiæ praxim attendamus, ipsa omnibus omnino concessit, pro Missarum celebratione sumere eleemosynas, intelligens, cuilibet Sacerdoti ex justitia necessaria alimenta ministranda esse, & raro admodum evenire, ut Sacerdotes aliunde habeant necessaria ad sui honestam sustentationem.

Circa quantitatem vero pecuniæ, pro quolibet Sacrificio exigendæ, cum difficile admodum sit certos canones præscribere, qui in omnibus Regionibus locum habere debeant, cum fere in singulis varia sint rerum pretia, eam determinare juxta Decretum Sacræ Congregationis Concilii, tam pro Sæcularibus quam pro Regularibus Sacerdotibus, spectat ad ordinarium loci Episcopum.

Et hoc loco animadverti potest, uti animadverterunt & Benedictus XIV. & gravissimi Doctores, ab eodem Summo Pontifice citati, Episcopum non teneri tantam pecuniæ vim pro Sacrificiis designare, quæ Sacerdotibus omnino necessaria suppeditet. Præterquam quod enim, ut optime notavit cum omnibus sanis Theologis laudatus Summus Pontifex, Missa dimidiæ horæ spatio dici soleat, habent Sacerdotes aliquid aliud, quo, si addatur Missarum eleemosyna, honeste vivere possint. Sæculares enim ad Sacerdotium non promoventur nisi titulo Patrimonii, vel Beneficii; Regulares vero eum tantum Sociorum numerum in suam familiam debent admittere, quibus alendis annui fructus, vel solitæ Fidelium eleemosynæ sufficiant.

Cum igitur ad Episcopum pertineat, eleemosynam pro singulis Missis statuere, Sacerdotes, Sæculares & Regulares, non debent Stipendia exigere pro Missa statutis majora. Graviter enim, consentientibus Theologis, peccaret Sacerdos, qui amplius exigeret, vel acciperet, tenereturque ad restitutionem; cum ille excessus non sit debitus, nec sponte ac liberaliter dari censeatur. Hinc, si quis aliquid amplius ultro offerat ex ignorantia, de justo Stipendio monendus est; si vero illud jam noverit, censetur excessum liberaliter dare. Antoi. de Euch. cap. 3. q. 7.

Graviter etiam peccaret Sacerdos, cui datur Stipendium, ut celebrentur Missæ in tali numero, in tali loco, vel tempore, pro

pro tali causa &c. si aliquid horum forte negligat; hæc enim omnia ex justitia servari debent. Nam dans non vult transferre dominium Stipendii nisi sub hac conditione; & alter recipiens, hoc ipso se obligat ad id omne, quod petitur. Hinc peccat graviter Sacerdos, si diu differat; nam interea magno spiritali fructu injuste privat eos, apud quos debitor est. Immo tenetur ad restitutionem, si ideo Missa non profuerit ad specialem intentionem ejus, qui Stipendium dedit; si ex. gr. ægrotus decesserit, pro cujus salute Missam celebrare debuerat; vel Stipendium ipsi datum sit ad Missas celebrandas pro aliquo successu, pro felici exitu alicujus negotii, pro aliquo beneficio, quæ elapsis aliquot diebus obtineri amplius non possint. Neque licet plura Stipendia accipere pro totidem Missarum numero, quas, nisi post longum tempus, celebrare posse Sacerdos prævideat, si offerens expresse in id non consentiat. DD. com.

Verum nec licet anticipare celebrationem Missæ pro iis, qui primi offerent Stipendium. Id enim est contra usum Ecclesiæ, & prohibitum fuit a Sacra Congregatione Cardinalium auctoritate Pauli V. Deus sane sicut neque remunerat anticipate pro his, quæ prævidet futura, ita nec confert anticipatum effectum Sacramenti, aut Sacrificii his, qui primi offerent Stipendium.

Qui autem Stipendium majus solito pro Missis accepit, tenetur integrum dare iis, quibus Missas celebrandas committit, nec potest partem sibi retinere. Sine justo enim titulo partem illam retineret, & id turpe lucrum saperet. Quapropter Urbanus VIII. id expresse vetuit Decreto *cum sæpe* &c. & Alexander VII. hanc impudentium quorumdam Probabilistarum damnavit Propositionem: *post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori Stipendio, alia parte Stipendii sibi retenta*; & Summus Pontifex Benedictus XIV. sapientissime Constitutione sua, cujus initium *Quanta cura* &c. decrevit, non solum Laicos, sed Ecclesiasticos etiam, ipso facto Excommunicationem incurrere, Papæ reservatam, si Stipendii partem sibi assumant, alteri renuntiantes onus Missarum celebrandarum, quod ipsi susceperant.

Neque licet pro una Missa accipere plura Stipendia, nec pluribus acceptis, una tantum Missa satisfacere. Hinc Alexander VII. jure & merito sequentes duas Propositiones proscripsit, quarum prima dicebat: *duplicatum Stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.*; altera vero erat hujusmodi: *non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis Stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti Stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Prudentissime autem declaravit Sacra Rituum Congregatio, non licere ei, qui ab aliquo Stipendium accepit, ut ex. gr. defuncto applicet fructum *Satisfactionis*, Stipendium accipere ab alio, ut celebret pro infirmo, & ipsi applicet in eadem Missa fructum *Impetrationis*. Hoc enim ipso, quod Sacri applicatio alteri debita est ex justitia, ei debentur omnes fructus, quorum est capax. Antoi. de Euch. cap. 3. q. 7.

Eadem Sacra Congregatio, confirmante Urbano VIII., declaravit, eum, qui Stipendia diversa, singula justo minora, sive ab uno, sive a pluribus, accepit, pro pluribus Missis, non posse illa ad justum pretium reducere, & per pauciora Sacra satisfacere. Nam eo ipso, quod acceptat Stipendia minora, censetur juri suo cedere, & reliquum condonare, taciteque promittit se totidem Sacra dicturum. Quare ex Decreto Sacræ Congregationis, si suæ obligationi non satisfacit, graviter peccat, & ad restitutionem tenetur; quia nempe Stipendium sub hac conditione, & onere datum, & acceptum est. Id. ibi.

Eadem tandem Congregatio, confirmante eodem Summo Pontifice, declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere*. Aliter enim, ut Id. ibi. supra notavimus, acciperent duplicatum Stipendium pro una & eadem Missa. Hinc Canonici & Cappellani tenentur applicare soli Fundatori Missas, quas ex Fundatione tenentur celebrare; talis quippe fuit intentio Fundatoris, etiamsi eam non expresserit. Nam hæc est praxis communis, quæ est optima Fundationum, sicut & Legum, interpres; & ubi aliud non constat, præsumptio stat pro Fundatore; in dubio enim quisque præsumit, eum sibi optime consulere voluisse. DD. com.

Ad hunc tractatum absolvendum addenda esset brevis Missæ expositio ad Fidelium eruditionem atque utilitatem; quam ego jam composueram eo consilio, ut hoc loco ipsam interponerem; verum id

id postea supervacaneum prorsus duxi, cum passim innumeri occurrant liberculi, in quibus hujus Sacrificii mysteria explicantur; inter quos certe præstat aureus ille, quem ad utilitatem Bononiensis suæ Diœceseos edidit Benedictus XIV., cum adhuc esset Cardinalis, cujus memoria posterorum omnium existimationem sibi jure vindicavit ob heroicum divitiarum contemptum, doctrinam & eruditionem vere singularem, & ob raram ipsius prudentiam in negotiis gravissimi momenti, summæque difficultatis, felicissime componendis.

CAPUT QUINTUM.

De Pœnitentia.

UT initio statim *rem ipsam aggrediamur, prius explicanda est varia hujus nominis potestas & notio, ne aliquis ambiguitate vocis in errorem inducatur. Nonnulli enim Pœnitentiam pro Satisfactione accipiunt; alii a Catholicæ Fidei doctrina longissime remoti, cum arbitrentur Pœnitentiam nullam præteriti temporis rationem habere, nihil aliud quam novam vitam esse definiunt. Docendum est igitur, multiplicem esse hujus nominis significationem. Primum enim Pœnitentia de iis dicitur, quibus aliquid displicet, quod ante placuerit, nulla habita ratione hujus cogitationis, bonum ne, an malum fuerit. Sic omnes pœnitet, quorum tristitia secundum sæculum est, non secundum Deum; cujusmodi Pœnitentia non salutem affert, sed mortem. Altera est Pœnitentia, cum quis ex scelere admisso, quod quidem antea placebat, dolorem, non Dei, sed sui ipsius causa, concipit. Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa intimo animi sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei causa in eo mœrore sumus. Ac singulis quidem Pœnitentiæ generibus, quæ commemorata sunt, Pœnitentiæ vox proprie convenit. Nam, cum in Sacris Litteris Deum pœnitere legimus, id per translationem dici perspicuum est. Eo enim loquendi genere, quod ad hominum mores accomodatum est, Sacræ Litteræ utuntur, cum Deum mutare aliquid constituisse declarant, quod non aliter facere videatur, quam homines, quos si alicujus res pœniteat, eam commutare omni studio laborant.* Catech. Rom. P.II.cap.5.n.2. *Sic ergo scriptum est, Gen. 6. v. 6.* pœnituisse eum, quod hominem fecisset; *& alio loco 1. Reg. v. 15. quod* Saul Regem constituisset.

Inter

Inter has vero *Pœnitentiæ significationes magnum discrimen observare oportet. Prima enim in vitio ponenda est; altera est quædam commoti, & perturbati animi affectio; tertiam tum ad virtutem pertinere, tum Sacramentum esse dicimus; quæ significatio hujus loci propria est.* Id ibi n. 3. De Pœnitentia tanquam Virtute disseremus primum, deinde de eadem utpote Sacramento, cum alibi quoque de hoc sermonem habuerimus. V. Vol. 1. pag. 225. & seq.

Pœnitentia in *interiorem* & *exteriorem* dividitur. *Interior* proprie Virtus est, *exterior* a Christo provecta est ad Sacramenti dignitatem. *Exterior* autem alia *publica*, alia *privata*. *Privata* est, quæ privatim, *publica*, quæ ob grave aliquod crimen in Ecclesiæ faciem peragitur. *Publice olim Pœnitentium quatuor fuerunt ordines ex veteris Ecclesiæ disciplina, scilicet* Flentium, Auditorum, Prostratorum, & Consistentium, *de quibus vide lib. 1. pag. 97.*

Pœnitentia, uti Virtus est, communiter definitur ex Catechismo Romano, *sincera hominis ad Deum conversio, quæ peccata commissa detestatur, & odio habet propter Deum, cum gravi animi dolore, & cum firmo proposito deinceps non peccandi, & malam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendandi, & spe veniæ a Dei misericordia consequendæ.*

Quapropter *declarat Sancta* Tridentina *Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud:* Sess. 14. cap. 4. projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Ezech. 18. 31. *Et certe, qui illos clamores consideraverit:* tibi soli peccavi, & malum coram te feci; Psal. 50. 6. laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; Psal. 6. 7. recogitabo tibi omnes annos in amaritudine animæ meæ, Isa. 38. 15. *& alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Triplicem Pœnitentiæ actionem recognoscimus usitatam in Ecclesia. Prima de peccatis ante Baptismum patratis; secunda de peccatis post Baptismum admissis; tertia de peccatis venialibus. Ea igitur est Pœnitentiæ actio, *quæ novum hominem parturit, donec per Baptismum salutarem omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum . . . . Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta Fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac*

Pœ-

Pœnitentia, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes; nondum enim uti possunt libero arbitrio . . . Cæterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse, quod erat. Hæc prima Pœnitentia præcipi- [Act. 4. 38.] *tur Judæis, dicente Apostolo Petro:* pœnitentiam agite; & ba- [Matt. 4. 17.] ptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi. *Talis ab ipso Domino imperabatur, cum diceret:* pœnitentiam [Id. 3. 7.] agite; appropinquavit enim Regnum Cœlorum. *De hac etiam Joannes Baptista dixit:* generatio viperarum, quis ostendit vo- [S. Aug. Ser. 351. de ut. ag. Pœn.] bis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

Altera Pœnitentia est, cujus actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est ob peccata quotidiana, a quibus nemo, quantumvis justus, immunis est. Unde orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet, ut dicamus: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Non enim ea dimitti precamur, quæ jam in Baptismo nisi dimissa credimus, de ipsa Fide dubitamus; sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam Sacrificia eleemosynarum, jejunorum, & ipsarum orationum, ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non* [Id. ibi.] *cessat.*

Tertia actio est Pœnitentia, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: [Gal. 5. 21.] quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. *In hac ergo Pœnitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut, a se ipso judicatus, non judicetur a Domino, sicut* [1. Cor. 1. 31.] *idem Apostolus ait:* si enim nos judicaremus, a Domino non judicaremur. *Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod* oportet nos exhiberi ante tribunal [2. Cor. 5. 10.] Christi, ut illic recipiat unusquisque, quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum. *Constituat se ante faciem suam, ne* [Psal. 49. 21.] *hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens:* arguam te, & statuam contra faciem tuam. *Atque, ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur,* [S. Aug. Ser 351. de utr. ag. Pœn.] *ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini.*

Hujusmodi distinctionem ad significandos Pœnitentiæ fructus quam-

quammaxime pertinere quisque intelliget. *Pertinet* enim *ad Pœnitentiam, ut detestentur peccata præterita cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi sententiæ finis. Et quia moralia speciem a fine recipiunt, conveniens est, ut diversæ species Pœnitentiæ accipiantur secundum diversas immutationes, quas pœnitens intendit. Est autem triplex immutatio a pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in novam vitam; & hæc pertinet ad Pœnitentiam, quæ est ante Baptismum. Secunda immutatio est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ; & hæc pertinet ad Pœnitentiam mortalium post Baptismum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ; & hæc pertinet ad Pœnitentiam venialium, quæ remittuntur post aliquem* [S. Tho. 3. p. q. 96. a. 4.] *ferventem actum Charitatis.*

Ex quibus illud præcipue colligitur, Pœnitentiam esse revera Virtutem, quæ sine Dei adjutorio acquiri non potest. Hinc *si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem . . . pœnitere posse, sicut oportet, ut ei ju-* [Trid. Sess. 6. Can. III.] *stificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Dubitari præterea nullo modo potest, Pœnitentiam fuisse *universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam, necessariam, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent. So-* [Id. Sess. 14. c. 1.] *la igitur Fide impius justificari non potest, uti temere & nefarie contendebat Lutherus; quæ quidem disponit ad ipsam justi-* [Id. Sess. 6. Can. IX.] *tiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes certa esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Credere *enim* oportet, [Hebr. 11. 6.] *inquit Apostolus,* accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

Constat etiam apertissime, Pœnitentiam Sacramentum esse novæ Legis, a Christo Domino institutum, ex quo magis magisque ejus bonitas & amor erga homines elucet. *Si* enim *in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent; Sacramentum videlicet Pœnitentiæ,*

Trid. Seſſ. 14. cap. 1. *tiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti appli-catur*.

Hinc & *ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam* Sancti Patres apte hoc Sacramentum appellarunt, & *laborioſum Baptiſmum*, ſeu *Baptiſmum lacrymarum*, & *Sacramentum reconciliationis*, *Confeſſionis*, *Abſolutionis* ab effectu, a principali ejus parte, & ab actu Sacerdotis formam proferentis, *ego te abſolvo* &c., aliquando etiam *manuum Impoſitio* dictum eſt ob exteriorem cærimoniam, quæ, uti non neceſſario requiritur ad valorem Sacramenti, ſic nec hujus Sacramenti tantum propria eſt; ideoque & *Confirmatio*, & *Ordo* ſimiliter nuncupantur. Di-
Nat. Alex. lib. 2. de Sacr. Pœn. cap. 1. a. 2. citur etiam *recidivarum infirmitatum Medella*, & *a nova Dæmonis captivitate Vindicatio*.

Pœnitentia, accepta uti Sacramentum, ſic definitur: *Sacramentum, in quo relapſis, vere pœnitentibus & confeſſis, ſaltem*
Trid. loc. cit. *cum propoſito ſatisfaciendi, Sacramentalis abſolutio impenditur*; ſive *ſignum eſt ſenſibile ad reconciliationem eorum, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, a Deo inſtitutum. Sacramentum* enim *eſt in aliqua celebratione, cum rei geſtæ ita commemoratio fit, ut ali-*
S. Aug. ep. 119. *quid ſignificare intelligatur, quod ſancte accipiendum eſt*.

Cenſent porro nonnulli, Montaniſtas rejeciſſe Pœnitentiam ex numero Sacramentorum: ſed falſo; ipſi enim plurium mor-
V. Tertul. de Pudic. talium remiſſionem, licet non omnium, virtute Clavium, Eccleſiæ conceſſam fuiſſe fatebantur. Similiter Novatiani ajebant, ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus,
V. S. Ambr. l. 1. de Pœn. cap. 2. hoc eſt, minus gravibus, quam ſit Idololatria, Mœchia, & Homicidium. Hos tamen omnes, eo quod *omnia peccata remit-*
Trid. Seſſ. 14. cap. 1. *tendi poteſtatem olim pertinaciter negarent, magna ratione Eccleſia Catholica, tanquam Hæreticos, exploſit, atque condemnat*.
Waldenſes quoque, peccata per manus impoſitionem dimitti, &
V. Reiner. dari Spiritum Sanctum credunt, non ſolum a Sacerdotibus, qui non ſint mali, ſed a laicis etiam, dummodo ſint boni. Sæculo XIV. alii fuere celebres Sectarii, qui Pœnitentiam verum eſſe Sacramentum negarunt. Verum enim vero *ſi quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacramentum pro*
Trid. Seſſ. 14. Can. I. *Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, anathema ſit*.
Matt. 18. 35. Dixit enim Chriſtus Jeſus poſt Reſurrectionem Apoſtolis: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,*

& quorum retinueritis, retenta ſunt. Si quis ergo *dixerit, verba iſta Salvatoris non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evange-* Trid. Seſſ. 14. Can. III.
lium, anathema ſit.

Duas præcipue ob cauſas hoc Sacramentum inſtitutum eſt. Prior cauſa fuit, *ut nobis de remiſſione peccatorum, quam Deus pollicitus eſt, cum ait*: ſi impius egerit Pœnitentiam &c., *minus* Ezech. 18. 21
dubitare liceret. Vehementer enim pendere animo de intima Pœnitentia opus eſſet, cum de ſuo cuique judicio in iis, quæ agit, merito timendum ſit. Ut igitur Dominus huic noſtræ ſollicitudini ſubveniret, Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, quo per Sacerdotis abſolutionem peccata nobis remiſſa eſſe confideremus, conſcientiæque noſtræ ob fidem, quæ Sacramentorum virtuti merito habenda eſt, pacatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda eſt vox Sacerdotis peccata nobis legitime condonantis, quam Chriſti Domini, qui ait Paralytico: confide fili, remittuntur tibi pecca- Matt. 9. 2.
ta tua. *Deinde vero, cum nemo ſalutem, niſi per Chriſtum, ejuſque paſſionis beneficio, conſequi poſſit, conſentaneum, nobiſque utiliſſimum fuit, ejuſmodi Sacramentum inſtitui, cujus vi & efficientia Chriſti ſanguis ad nos defluens peccata poſt Baptiſmum admiſſa elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Sal-* Catech. Rom.
vatori noſtro acceptum referre profiteremur. P. II. c. 5. n. 10.

Multis vero *rationibus hoc Sacramentum a Baptiſmo differre dignoſcitur; nam, præterquamquod Materia & Forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſime diſſidet, conſtat certe Baptiſmi Miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus*. Quid enim mihi, *inquit Apoſtolus*, de 1. Cor. 5. 12.
iis, qui foris ſunt, judicare? *Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus, lavacro Baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit; nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes;*

tes ; ad quam tamen novitatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, Divina id exigente justitia, perveni- Trid. Sess. 14. c. 2 *re nequaquam possumus. Si quis* igitur, *Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non* Id. ibi Can. II. *recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

Rursus inter hæc duo Sacramenta hoc etiam discrimen intercedit, quod Baptismus omnibus indiscriminatim necessarius est, V. pag. 201. ut suo loco diximus, Pœnitentia vero lapsis dumtaxat; *non enim est opus valentibus Medico, sed male habentibus.* Baptismus præterea iterari nequit; Sacramentum vero Pœnitentiæ toties iterari potest, quoties peccator resipiscit; *Pœnitentiæ enim* S. Aug. Ser. 11. de verb. Dom. *quorumcumque criminum locus in Ecclesia non negatur.* Quod si aliquando Sancti Patres Pœnitentiam non iterandam docent, DD. com. loquuntur de publica.

Causa interim, *cur iteretur* Pœnitentia, *est quadruplex. Prima, quia Pœnitentia non imprimit Characterem, sicut Baptismus; Character autem indelebilis est. Secunda, quia Baptismus est contra morbum non iterabilem, scilicet originale peccatum; Pœnitentia vero contra actuale peccatum, quod iteratur. Tertia causa est, quia Baptismus habet totam efficaciam a Passione Christi sine actu nostro; & ideo, quia passio est una tantum, & Baptismus est unus; sed Pœnitentia etiam requirit actum nostrum, & ideo etiam ratione ejus iterationem suscipit. Quarta, quia Baptismus est generatio spiritalis, sed Pœnitentia est quædam sanatio spiritalis; semel autem aliquis generatur, sed pluries cu-* S. Th. in 4. dist. 15. q. 1. a. 4. *rari, sive sanari potest, quandiu in hac vita vivit.*

Quoniam vero, *dum sumus in corpore, peregrinamur a Do-* 2. Cor. 5. 6. *mino ;* hinc *Pœnitentia interior debet esse continua, licet non item* S. Aug. Hom. 50 *exterior. Ubi* enim *dolor finitur, deficit & Pœnitentia. Si autem Pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Dixit enim Dominus* (Jo. 8. v. 11.): vade, & noli amplius peccare. *Non dixit: ne pecces; sed ne peccandi voluntas in te oriatur. Quod* Id. de ver. & fals. Pœn. c. 13. *quomodo servabitur, nisi dolor continue in Pœnitentia custodiatur?*

Sane *si* alicui *placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum in-* S. Th. 3 p. q. 84. a. 8. *curreret* ejusdem generis, ac est peccatum, de quo sibi complaceret, *& fructum veniæ perderet.* Verum licet certum sit, peccatorum suorum omnium veniam statim obtinere, ac ipse, de peccatis suis vere dolens, ad clementissimum Deum accedit,

qui

qui per Ezechielem sic olim locutus est: *si impius egerit Pæ-* Cap. 18. 21. *nitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur;* tamen opus adhuc habet Pœnitentia, quæ *& removet peccata præterita, & præservat a futu-* S. Th. 3. p. q. 84. a. 8. *ris;* quod sane cohæret Definitioni Tridentinæ Synodi, quæ declaravit, Christianis toto vitæ tempore esse pœnitendum.

Res vero, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum, in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum suscipientibus, conscientiæ pax & serenitas, cum vehementi spiritus consolatione, Trid. Sess. 14. cap. 3. *consequitur.*

Simul porro cum reatu peccati remitti æternam pœnam, quæ per lethale peccatum semper incurritur, testantur passim Sacræ Litteræ. Hæc enim præter innumera alia occurrunt: *si impius egerit pœnitentiam ... vita vivet, & non morietur; nolo mortem* Ezech. 18. 21. *impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat; nihil* Id. 33. 11. *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Rom. 8. 1.

Quod interim spectat ad temporalem pœnam, licet ab ipsa interdum Charitas & Contritio peccatorum omnino absolvere valeant, id tamen frequentius non evenire comprobatur exemplo Israelitarum, qui, quamvis a Domino veniam pro detractionis peccato obtinuissent, in pœnam tamen hujus peccati terram promissam assequi non potuerunt; qua pœna & Aaron Num. 14. quoque, & Moyses mulctati fuere, eo quod illico verbis Do- Ibi. 20. 12. mini, in deserto Sin prope aquas contradictionis, debitam fidem non habuerunt. Quapropter *si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro* Trid. Sess. 14. Can. XII. *eis satisfecisse, anathema sit.*

Gratiam vero, & virtutes recuperari per Pœnitentiam, manifeste docet Parabola Filii Prodigi, cui, de præterita vita sin- Luc. 15. cere dolenti, Pater stolam primam, & annulum, & calceamenta restitui jussit. Peccatori enim, qui, vere ex animo a via sua mala animose recedens, misericordiam veniamque poscit a Domino, contritus vere & humiliatus, inquiens: *Pater, peccavi in Cœlum & coram te, Deus ita veniam concedit, ut venienti, & adhuc longe posito, accurrat, osculum tribuat, quod est insigne sacræ pacis; stolam proferri jubeat, quæ vestis est nuptialis, quam si quis non habuerit, a convivio nuptiali excluditur;*

det

det annulum in manu ejus, quod est Fidei pignus, & Sancti Spiritus Signaculum; & calceamenta deferri præcipiat. Celebraturus enim Pascha Domini, epulaturus Agnum, tectum debet adversus omnes incursus bestiarum spiritalium, morsusque serpentis, habere
S. Amb. lib. 2. de Pœn cap. 3. *vestigium; vitulum præcipiat occidi, quia Pascha nostrum immolatus est Christus*. Sane ajebat olim Christus Apostolis (a): *ita*
(a) Luc. 15. 7. *gaudium erit in Cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non egent pœnitentia.*

Quarto & ultimo loco per Pœnitentiam, opera per pecca-
D.D. com. tum *mortificata* reviviscunt. *Si avverterit*, sic apud Ezechie-
Cap. 18. 24. lem, *se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem ..... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, adeo ut, etiamsi Linguis hominum loqueretur & Angelorum .... habuerit omnem fidem, ita ut montes transferret .... si distribueret in cibos pauperum omnes facultates suas, si traderet corpus suum, ita ut arderet .... hæc omnia nihil ipsi prodessent, eo quod Charita-
1. Cor. 13. 2. 3. tem amplius non haberet ... si vero (o eximia Pœnitentiæ virtus!) si vero pœnituerit, omnium iniquitatum ejus, *quas o-*
Ezech. 18. 22. *peratus est, non recordabor*, inquit Dominus; & *in justitia sua,*
Joel. 2. 25. *quam operatus est, vivet. Reddam vobis*, inquit alibi, *annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo;* quos textus in hanc rem Divus Hieronymus egregie interpretatur in suis Commentariis.

Quoad hujus Sacramenti *Materiam*, ipsa dividitur in *proximam* & *remotam*. *Materia remota* sunt peccata, quæ, si sint mortalia, debent in Confessione, ut monuimus in secunda Par-
V. pag. 236. te secundi Libri, necessario manifestari; non item venialia,
V. ibi pag. 242. nisi ex ratione satisfaciendi Præcepto annuæ Confessionis; &
S. Tho. 3. p. q. 87. a. 1. tunc *etiam venialia odisse debemus, nec iis voluntate adhærere; & propositum habere ea saltem minuendi*. Materia vero *proxima* Pœnitentiæ sunt ipsius pœnitentis actus, nempe *Contritio*, *Confes-*
Trid. Sess. 14. Cap. 3. *sio*, & *Satisfactio*, de quibus multa attulimus supra in secunda Parte secundi Libri, cum exponeremus tertium Ecclesiæ Præceptum. Illuc Lectorem amandamus, qui in iis, quæ hac super re scitu necessaria omnino sunt, vult erudiri.

Quod autem spectat ad Formam hujus Sacramenti, quidquid in contrarium blaterent Lutherus & Calvinus, qui procaciter defendere ausi sunt, Ecclesiam habere solummodo auctoritatem declarandi peccata fuisse a Deo remissa, certum est Pœnitentiæ Formam esse judicialem actum; quod colligitur ex ipsis Divini

Ma-

Magistri verbis, Apostolorum principem sic alloquentis: *quod-* Matt. 16. 19.
cumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. Hinc quamvis Absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus ju- Trid. Sess. 14.
dicialis, quo ab ipso velut a Judice Sententia pronuntiatur. Si cap. 6.
quis igitur *dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem ..... anathema sit.* Id. ibi Can. IX.

Sicut ergo *Sacerdos, baptizando aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba, & facta, non solum significative, sed etiam effective; ita etiam, cum dicit:* ego te absolvo *&c. ostendit hominem absolutum, non solum significative, sed etiam effective. Nec tamen loquitur quasi de re incerta, quia sicut Sacramenta novæ Legis habent de se certum effectum virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis, ita etiam in* S. Tho. 3. p. q. 84.
hoc Sacramento. a. 3. ad 1.

Quare *peccatores Deo ingentes gratias agant, qui tam amplam potestatem in Ecclesia Sacerdotibus tribuit. Neque enim, ut olim* Lev. 13.
in veteri Lege Sacerdotes testimonio suo aliquem a lepra liberatum esse dumtaxat renuntiabant; ita nunc in Ecclesia ea tantum potestas Sacerdotibus facta est, ut aliquem a peccatis esse absolutum declarent, sed vere tanquam Dei ministri absolvunt, id, quod Catech. Rom.
Deus ipse, gratiæ & justitiæ auctor ac parens, efficit. P. II. c. 5. n. 16.

Hic autem animadvertendum est, non semper Sacerdotes ministrantes Pœnitentiæ Sacramentum eadem Forma usos fuisse. Cum enim a Christo Domino determinata non fuerint verba, quæ hujusmodi Formam constituerent, Ecclesia auctoritate, qua pollet, usque ad Sæculum XII., uti consideravit doctissimus Morinus, deprecatoria verba tantummodo adhibuit; qui mos adhuc Lib. 8. cap. 8. & seq.
viget in Orientali Ecclesia. Postquam vero in Ecclesia Occiden- Id. ibi cap. 12.
tali Sacerdotes omnes, hujusmodi consuetudine ubique inducta & recepta, indicativis verbis a peccatis absolvunt, præscriptam, & communiter adhibitam Formam immutare, non parvæ præsumptionis esset, & invalida etiam fortasse esset Absolutio. Sa- Nat. Alex. de Sacr. Pœn. c. 7. a. 1. prop. 2.
cramenti igitur Pœnitentiæ hæc modo est Forma: *ego te absolvo &c.*, quibus verbis, juxta valde commendandam Ecclesiæ praxim, addi solent piæ quædam Preces, quæ quidem nec pertinent ad Formam hujus Sacramenti, nec ad essentiam ejusdem Sacramenti sunt necessariæ. Quapropter si eas Preces prætermi- Trid. Sess. 1. c. 3.

teret

teret Sacerdos, peccaret quidem mortaliter, non tamen invalida esset Absolutio. DD. com.

Aliqua modo de Ministro, & Subjecto Pœnitentiæ adjicienda forent, sed cum jam plura a nobis dicta fuerint supra in explicatione tertii Ecclesiæ Præcepti, articulum hunc consulant Lectores, ne eadem rursus hic repetamus. Hunc ergo tractatum concludemus admonentes, ut *diligenter ritus, qui ad hoc Sacramentum adhibentur, Fideles observent. Ita enim fiet, ut animo magis hæreant, quæ hoc Sacramento consecuti sunt, nimirum se tanquam servos clementissimo Domino, vel filios potius optimo parenti reconciliatos esse, & simul facilius intelligant, quid eos facere oporteat, qui volunt, (velle autem omnes debent), se tanti beneficii gratos & memores probare. Nam, quem peccatorum pœnitet, is se humili ac demisso animo ad pedes Sacerdotis dejicit, ut, cum se tam humiliter gerat, facile possit agnoscere, Superbiæ radices evellendas esse, a qua omnia scelera, quæ deflet, ortum habuerint, & enata sint; in Sacerdote autem, qui in eum legitimus Judex sedet, Christi Domini personam & potestatem veneretur.* Catech. Rom. P.II.c.5.n.17.

CAPUT SEXTUM

De Extrema Unctione.

ETsi *adversarius noster* (Diabolus) *occasiones per omnem vitam quærat, & capter, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si potest, Divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ prospicit.* Trid. Sess. 14. de Ext. Unct. Probe enim intelligit noster ille adversarius, ab extremo mortis instanti æternam hominum sortem pendere; videt sibi, ad artes dolosque suos adhibendos, modicum adhuc tempus manere; quare, vehementiori ira atque furore percitus, nihil intentatum relinquit, ut in peccato decidamus. Sed benedictus Deus misericordiarum, & totius consolationis, qui æternæ nostræ saluti paterna cura advigilat, parum habuit, aquis regenerationis nos in Baptismatis Sacramento abluere; Sacro Chrismate in Fidei professione confirmare; Divina sua carne alere, & sanguine suo pretiosissimo potari; ad reparanda actualia peccata certissimum remedium in Pœnitentiæ Sacramento nobis præbere, instituendoque Ordinis Sacramentum Sacros rerum Divinarum dispensatores, & administratores, ut infra videbimus, constituere; ipsumque Matrimonium, ad generis humani conservationem necessarium, sanctificare; voluit etiam, in Extremæ Unctionis Sacramento, firmissima præsidia, adversus artes dolosque Dæmonis, in ultimo mortis articulo, misericorditer nobis periclitantibus suppeditare.

Credendum vero est, *hoc Sacramentum idcirco Extremam Unctionem appellatum fuisse, quod hæc omnium sacrarum Unctionum, quas Dominus, Salvator noster, Ecclesiæ suæ commendavit, ultimo administranda sit. Quare hæc Unctio a Majoribus* Sacramentum *etiam* Unctionis infirmorum, & Sacramentum exeuntium *dicta est; quibus vocabulis Fideles in memoriam novissimi illius temporis facile redire possunt.* Catech. Rom. P.II.cap.6. n.4.

Hoc Extremæ Unctionis Sacramentum sic cum omnibus fere Doctoribus potest definiri: *Unctio exterior facta cum oleo benedicto in sensibus corporis infirmi a Presbytero sub præscripta forma verborum, ad auferendas reliquias peccati, & corroborandum infirmum contra omnia mala, quæ solent tempore mortis imminere.* In hac Definitione quid hoc Sacramentum cum cæteris commune habeat, quale sit ejus subjectum, qualesque effectus, satis significatur. Hæc nos modo, singillatim, breviterque de more, explicabimus.

Ac primo quidem ante omnia considerandum est, Sacramentum hoc a Christo Domino institutum fuisse; quod negare ausi sunt Lutherus & Calvinus, eorumque Asseclæ. Contendunt enim ejusmodi perfidi homines, Apostolos unctione, quam memorant Divus Marcus & Jacobus Apostolus in Epistola sua Canonica, usos fuisse ad sanandos homines, qui infirmitate aliqua laborabant; & unctioni huic ideo Sacramenti nomen impositum fuisse, quia primitus in Ecclesia Divina virtute per ipsam infirmi sanabantur. Verum enimvero contrarium adeo evidens est, ut ab una eorum impietate, & procaci temeritate dignosci non possit. Et sane institutam fuisse sacram hanc unctionem infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino, ex Apostoli Jacobi verbis in citata Epistola evidentissime patet. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in* pec- Cap 6. 13. Cap. 5. 14. 15. V. Bert. de Theol. Disc. lib. 35. cap. 1.

peccatis sit, dimittentur ei. Quis sanæ mentis non videt, allatis verbis ea omnia significari, quæ ad essentiam Sacramenti requiruntur, cum constet Extremam Unctionem esse Signum sensibile invisibilis gratiæ, vim habens remittendi peccata, & conferendi gratiam sanctificantem?

Nulla ergo *ratione audiendi sunt, qui, contra tam apertam & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam, docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem; & qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; & qui dicunt, Ritum & usum, quem Sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse; ac denique qui hanc Extremam Unctionem sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium Mater & Magistra, aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod Beatus Jacobus præscripsit. Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & Spiritus Sancti injuria, esse possit.* (Trid. Sess. 14. de Ext. Unct. c. 3.)

Sed *si quis* etiam *dixerit, Extremam Unctionem non esse vere & proprie Sacramentum .... sed Ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit*. Item, *si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit. Si quis* tandem *dixerit, Extremæ Unctionis ritum & usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ Beati Jacobi Apostoli, ideoque eum commutandum, possequé a Christianis absque peccato contemni, anathema sit*. (Id. ibi Can. I. II. III.)

Quamvis porro non desint inter Catholicos plures magni nominis Doctores, qui afferant, hoc Sacramentum a Divo Jacobo Apostolo, auctoritate ipsi a Christo Domino concessa, fuisse institutum, verisimilior tamen videtur eorum sententia, qui propugnant, ipsum Christum immediatum fuisse hujus Sacramenti institutorem; quod sane plenissime cohæret cum definitione Tridentini Concilii, quod, cum jam declarasset, Sacramenta omnia generatim a Christo Domino fuisse instituta, idem affirmat de Extrema Unctione, ubi de ea peculiariter agit. Unde (V. Berti de Theol. Disc. lib. 35. cap. 3.) (Sess. 7. Can. I.) (Sess 14. de Extr. Unct. Can. I.)

de quæso colligitur Apostolum Jacobum hoc Sacramentum instituisse? Illud profecto tantum constat, Divum Jacobum hujus Sacramenti usum amplificavisse, ejus utilitatem populis passim exponendo.

Materia hujus Sacramenti, uti & cæterorum omnium, dividitur in *proximam* & *remotam*. *Remota*, ut ab ipsa exordiamur, juxta Tridentinæ Synodi definitionem absque dubio est *Oleum benedictum*, quod apertissime significavit laudatus Apostolus in sua Epistola illis verbis: *ungentes eos oleo*; & hanc esse materiam hujus Sacramenti semper constantissime tenuit Ecclesia. *Quæ sane materia aptissime illud significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet, tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto Divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.* (Loc. cit. cap. I.) (Catech. Rom. P. II. cap. 6. n. 5.)

Cum vero communiter *oleum* dicatur liquor ille, qui ex olearum baccis exprimitur; hic solummodo, non quilibet liquor, ex quavis pingui, & crassa materia expromptus, est elementum hujus Sacramenti. Quapropter Feria V. Parasceve, Episcopus, dum consecraturus est oleum pro infirmis, *olivæ pinguedinem* illud appellat. Cum hoc oleo nullum aliud unguentum, vel liquor, immisceri debet. Latini enim Rituales, & Græci, & antiqui Scriptores, agentes de oleo, quo infirmi ungi debent, de nulla alia materia, & nulla commixtione, mentionem unquam fecere. Quamvis autem ab Innocentio I. Chrismatis nomine appellatum fuerit, quo significari videtur Olei & Balsami commixtio, animadvertendum est, hoc nomine quamlibet Ecclesiæ unctionem significatam fuisse, sive Oleo, sive Balsamo, ipsa perficiatur. Quapropter Chrismatis nomine passim nuncupantur Baptismatis, Confirmationis, Ordinis, & hujus etiam Sacramenti sacræ unctiones. Quo sane modo interpretanda sunt Innocentii I. verba, qui loquebatur juxta mentem Jacobi Apostoli, cujus utitur testimonio. (Ep. ad Decen.) (L'Hermen. de Extr. Unct.)

Necessarium insuper est, ut innuimus, hujusmodi oleum esse *benedictum*, quod ab antiquis Scriptoribus *sanctum*, *consecratum*, *sanctificatum* nuncupatum est, quodque benedicere semper consuevit Ecclesia. Hæc benedictio apud Latinos fit solemniter

niter ab Epiſcopo Feria ſexta in Paraſceve; nec ullum extat exemplum, quo probari poſſit hujuſmodi facultatem ſimplici Sacerdoti aliquando collatam fuiſſe. Nihilominus in caſu neceſſitatis, & cum id expoſcit magna Eccleſiæ utilitas, poſſe Summum Pontificem ſimplici Sacerdoti hujuſmodi auctoritatem impartiri, quidquid in contrarium afferant plures graviſſimi Scriptores, nobis citra errorem affirmari poſſe videtur. Sane Græca in Eccleſia etiam modo ſimplices Sacerdotes (qui mos mille ab hinc annis vigere cœpit), dum actu miniſtrant hoc Sacramentum, ipſi oleum infirmorum benedicunt. Quam certe conſuetudinem approbavit Eccleſia, ut evidentiſſime conſtat ex iis, quæ de hac re ſcripſit Clemens VIII. in Inſtructione ſua, ad Latinos Epiſcopos miſſa, in qua hæc leguntur: *non ſunt cogendi Epiſcopi Græci Olea ſancta præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere; cum ejuſmodi Olea ab eis, in ipſa Oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.*

Nat. Alex. de extr. Unct. c. 1. a. 2.

V. Iven. Diſſ. 7. de extr. Unct. q. 3. c. 1.

Arcud. lib. 5. de extr. Unct. c. 2.

Verum an valida ſit hujus Sacramenti collatio, ſi fiat oleo non conſecrato, diſſentiunt Theologi, quorum alii affirmant, benedictionem olei neceſſariam eſſe neceſſitate ſolummodo Præcepti, alii volunt eam pertinere reapſe ad eſſentiam hujus Sacramenti. Nos libentius priori ſententiæ ſubſcribimus; præcipue cum nullo firmo argumento a Scriptura, a Traditione, a Conciliis deprompto, contrarium evinci poſſit. Si vero vis fiat in verbis Apoſtoli Jacobi: *ungentes eum oleo in nomine Domini*, ex iis tantum colligitur, Miniſtrum fungi vicibus Chriſti, non autem oleum debere eſſe benedictum.

V. Berti de Theol. Diſc. lib. 35. cap. 4.

Licet autem hæc ſententia veriſimilior videatur, abſque dubio, ſi quis oleo non conſecrato ungeret infirmos, ſemper mortaliter peccaret; damnata enim fuit in recentioribus Caſiſtis, ut notavimus ſupra, ab Innocentio XI. hæc Propoſitio: *non eſt illicitum in Sacramentis conferendis, ſequi Opinionem probabilem, relicta tutiore*. Deficiente igitur oleo conſecrato, oleum non conſecratum admiſceatur, ſed in parva quantitate, quod tunc, ex Eccleſiæ definitione, in tali commixtione & ipſum conſecratur.

Rit. Rom.

Cap. *quod in dub.* de conſ. Eccl.

Materia porro *proxima* hujus Sacramenti, quæ nihil aliud eſt quam remotæ materiæ ſubjecto ſuo convenienti congrua applicatio, eſt abſque dubio ipſa Unctio juxta toties citata Jacobi Apoſtoli verba: *ungentes eum oleo*.

Non iidem ſunt ritus apud Græcos, qui apud Latinos, in

ungendis infirmis. Græci enim, qui antiquitus, ut teſtatur Simon Theſſalonicenſis, frontem, mentum, genas, & manus tantum ungebant ægrotantium, modo liniunt oleo & pectus & pedes, uti Arcudius affirmat. Latini contra, quorum alii collum etiam ungebant, guttur, & humeros infirmi, quod ex veteribus Codicibus, citatis a doctiſſimo & nunquam ſatis laudato Patre Berti, apertiſſime conſtat, modo ex quibuſdam Romanæ Eccleſiæ Decretis, eas ſolummodo ungunt corporis partes, *quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura attribuit; oculi propter viſionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, vel ſermonem, manus propter tactum, qui, tametſi toto corpore æquabiliter fuſus eſt, in ea tamen parte maxime viget. Hunc autem ungendi ritum univerſalis Eccleſia retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturæ optime convenit; medicamenti enim eſt inſtar. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis univerſum corpus male affectum ſit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua, tanquam a fonte & origine, morbus manat, idcirco non totum corpus, ſed ea membra, in quibus potiſſimum ſentiendi vis eminet; renes etiam, veluti libidinis & voluptatis ſedes, unguntur, tum pedes, qui nobis ingreſſus, & ad locum movendi principium ſunt.*

Lib. de Sacr.

Lib. 5. de Extr. Unct. cap. 41.

De Theol. Diſc. lib. 35. cap. 5.

Catech. Rom. P. II. c. 6. n. 10.

Sed quamvis ex ritu Eccleſiæ nulla ex his unctionibus prætermitti poſſit abſque gravi peccato, cum omnes perfici poſſunt, unica tamen unctio ſufficit ad ſubſtantiam Sacramenti, & ad ſatisfaciendum præcepto Jacobi Apoſtoli, vel, ut melius dicam, præcepto Chriſti, quod vulgavit laudatus Apoſtolus; eo ferme pacto, quo unica tantum ablutio ſufficit ad valorem Baptiſmi. Et ſane unica revera unctio adhibetur in morbis contagioſis, & peſte graſſante, & in imminenti mortis periculo, minus periculoſo inuncto ſenſus organo, magiſque apparente, proferendo hujuſmodi verba: *per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, ſive per auditum &c. deliquiſti.*

DD. com.

Rit. Rom.

Mulieribus, ob honeſtatem & modeſtiam, renes non inunguntur. *Mutilati* vero *inungi debent, quanto propinquius eſſe poteſt, ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat; qui, quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, ſaltem in radice; & interius peccare poſſunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.* In cæcis, & ſurdis a nativitate, omittuntur iis ſenſibus reſpondens un-

Id.

S. Th. in 4. diſt. 23. q. 1. a. 3. q. 3.

ctio, & convenientia verba; & in mutis dicere sufficit, ungendo labia: *quidquid per gustum deliquisti*. Sacerdotibus ab ex-
Rit. Rom. teriori parte inunguntur manus, cæteris vero ab interiori; non enim conveniens est, quod rursus Sacerdotis manus inungantur, quæ sacro Chrismate ab Episcopo, dum Presbyter consecrabatur, inunctæ fuerunt.

Barti de Theol. Disc. lib. 35. c. 1. Illud etiam hoc loco placet notare, hujusmodi unctiones *dextero pollice* peragi debere in argumentum venerationis. Sic Episcopus eodem pacto Sacerdotium & Confirmationem conferre
Matt. 7. 33. Joan. 9. 6. solet, quia illo eodem digito Christus ipse aures surdi, muti linguam, & oculos cæci a nativitate tetigerit, cum sanitatem miseris illis hominibus misericorditer largiri dignatus est.

Unctio præterea fieri debet in modum Crucis; & advertendum, quod *Crux oleo sancto imprimitur, ut sciamus, hæc dona nobis concedi meritis Crucis & Passionis Domini, utque eo Signo in pugna, quæ cum Adversario sustinenda est, utamur, sensusque nostros muniamus; itemque ut ad Christi Judicis tribunal Signum*
S. Car. Instr. de Extr. Unct. *Crucis deferamus, quo ostendamus, nos constantes sub Crucis vexillo usque ad mortem pugnasse*. In Unctione vero sensuum, qui pares sunt, cum utriusque membri unus tantum sensus sit, utriusque Unctio fiat unica solum verborum formula, licet duæ Cruces faciendæ sint, & primo dexterum, deinde sinistrum
Rit. Rom. membrum ungendum sit.

Forma hujus Sacramenti est verbum, & solemnis illa Precatio, quam Sacerdos ad singulas Unctiones adhibet, cum inquit: per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Deus quidquid oculorum, sive narium, sive tactus vitio deliquisti. *Quod autem hæc vera sit, & propria hujus Sacramenti forma, Sanctus Jacobus Apostolus significat, cum ait:* & orent super eum, & oratio Fidei salvabit infirmum. *Ex quo licet cognoscere, Formam precationis modo proferendam esse, tametsi, quibus potissimum verbis concipienda sit, Apostolus non expresserit. Verum hoc ad nos fideli Patrum traditione promanavit, ut omnes Ecclesiæ eam Formæ rationem retineant, qua omnium Mater & Magistra Sancta Ecclesia Romana utitur. Nam, etsi aliqui nonnulla verba immutant, cum pro* indulgeat tibi Deus, *ponunt*, benedicat, *vel* parcat, *interdum etiam*, sanet quidquid commisisti, *tamen, quia nulla fit sententiæ immutatio, constat, eamdem ab omnibus For-*
Catech. Rom. P. II. cap. 6. n. 6. *mam religiose servari*.

Nemo autem *miretur, cur factum sit, ut aliorum Sacramen-*

torum

torum Forma vel absolute significet, quod efficit, ut cum dici-
mus: ego te baptizo, *aut* signo te Signo Crucis, *vel tanquam*
ab imperantibus pronuntietur, ut cum in Sacramento Ordinis ad-
ministrando dicitur: accipe potestatem; *hæc sola vero Extremæ*
Unctionis Forma precatione quadam absolvatur. Id enim optimo
jure constitutum est; nam, cum hoc Sacramentum propterea ad-
hibeatur, ut præter spiritalem gratiam, quam tribuit, sanitatem
etiam restituat ægrotis, tamen, quia non semper sequitur, ut æ-
groti a morbis convalescant, ob eam causam precationis Forma
conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti Id. ibi n. 7.
vis constanti, & perpetuo ordine efficere non solet.

Aliquando tamen Ecclesiam Occidentalem usam fuisse Forma V. Ab. Mag. in 4. dist. 23. a. 4.
absoluta, constat ex antiquis Ritualibus. Ecclesiæ certe Medio-
lanensis Sæculo IV. hæc erat Forma: *in nomine Patris, & Fi-*
lii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad cer- V. Palud. in 4. dist. 23.
tamen, possis aereas Potestates superare.

Quoad *Ministros* autem, quibus spectat Extrema Unctio, Luthe-
rus & Calvinus, stulte de more autumarunt, pro lubitu interpre-
tantes verbum *Presbyteros*, a Divo Jacobo adhibitum, Laicos,
omnes, qui alicui Communitati, aut populo, præsunt, esse
posse Ministros hujus Sacramenti. Certum tamen est, immo
Dogma Fidei est, solos Sacerdotes hoc Sacramentum posse mi-
nistrare, ut ex ipsis laudati Apostoli verbis clarissime evinci-
tur. Et sane verbo *Presbyteros* voluisse Apostolum significare so-
los Sacerdotes, satis comprobat additum verbum *Ecclesiæ*. Ser-
mo præterea est de solemni administratione Sacramenti, quæ
Ecclesiæ Ministris unice competit, qui in Ecclesia positi sunt
dispensatores Mysteriorum Dei. *Si quis* igitur *dixerit, Presby-*
teros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum
inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos,
sed ætate seniores in quavis Communitate; ob idque proprium
Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathe- Trid. Sess. 14. de Extr. Unct. Can. IV.
ma sit.

Illud interim *superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo*
ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco
de Presbyteris dictum est, quia Episcopi, occupationibus aliis
impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Epis-
copus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, &
benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus Innoc. III. Ep. ad Dec. cap. 8.
est ipsum Chrisma conficere.

Ve-

Catech. Rom. P.II.c.6. n.13.

Verum, ut ad Sacerdotes redeat oratio, *ex Sanctæ Ecclesiæ Decreto, non cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui jurisdictionem habeat, sive altari, cui ille ejus muneris inungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet*. Hoc tamen intelligendum semper est, nisi urgens adsit necessitas; in casu enim, quo, absente Parocho, ægrotus jam deficere videatur, quilibet Sacerdos licite Extremæ Unctionis Sacramentum ipsi potest ministrare; eo ferme pacto, quo quicunque Sacerdos, imminente morte, potest infirmum ab omnibus peccatis, & a quibuscunque Censuris, licite absolvere.

DD. com.

S. Car. Instr. de Extr. Unct.

Si vero *aliquando acciderit, ipsum Parochum, vel ab eo derogatum Presbyterum, dum ungit infirmum, præ virium imbecillitate, aliove casu, deficere, alius Sacerdos, si præsens aderit, aut aliunde statim evocatus, reliquas partes, quas ille non unxerit, ungere rite perget, unctas autem denuo non ungat*.

Lib. 3. de Conf. Evang. cap. 16.

Cap. 27. 44.

Cap. 23. 39.

Cap. quæsivit de verb. signif.

Arcud. lib. 5. cap. 3.

V. Mart. lib. 1. de ant. Rit. c. 7.

S. Tho. 4. cont. Gen. cap. 73.

Nec eo quod a Divo Jacobo pluraliter dicitur: *inducat Presbyteros*, sequitur, plures Sacerdotes ex Præcepto Divino ad hoc Sacramentum ministrandum esse necessarios. Frequenter enim, ut animadvertit Sanctus Augustinus, per pluralem numerum in Scripturis singularis significatur. Et sane, ut exemplum apponamus, Divus Matthæus, loquens de duobus Latronibus, qui simul cum Christo cruci affixi fuerunt, scribit: *& Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*; cum Divus Lucas asseveranter affirmet, *unum* tantum *de his, qui pendebant, Latronibus, Christum blasphemasse*. Licet ergo eo loci Divus Jacobus plurali numero usus sit, certum omnino est, ut apertis verbis definivit Alexander III., unum tantum Sacerdotem, ad hoc Sacramentum conferendum, requiri. Si vero ad Ecclesiæ praxim attendamus, septem Sacerdotes ex consuetudine Orientalis Ecclesiæ hoc Sacramentum administrant. Plures etiam in Ecclesia Occidentali tale olim obibant ministerium. Si tamen *unus solus Presbyter adsit*, uti constat etiam ex Vita plurium virorum sanctorum, *intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & cujus personam gerit*.

Sess. 14. de Extr. Unct. cap. 3.

Declarat etiam Tridentina Synodus, *hanc Unctionem infirmi adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur; unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*.

Quamvis porro in Ecclesia Græca, etiam pœnitentibus sanis, & bene valentibus conferatur hoc Sacramentum, ad remissio-

missionem peccatorum, eos primum ungendo publice in Ecclesia oleo benedicto, deinde rursus oleo ex lampade sumpto, in qua septem luminaria semper Deo ardere solent, in Ecclesia tamen Latina *excipiuntur, qui sano & firmo corpore sunt. Iis enim Extremam Unctionem tribuendam non esse, & Apostolus docet, cum inquit*, infirmatur quis in vobis, *& ratio ostendit; siquidem ob eam instituta est, non modo ut animæ, sed etiam ut corpori, medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant, idcirco iis etiam, qui adeo periculose ægrotare videntur, ut, ne supremus illis vitæ dies instet, metuendum sit, hoc Sæcramentum præberi debet. In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam, omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, Fidemque & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. Quare Parochis animadventendum est, ut eo potissimum tempore cœlestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem, cum eorum etiam pietate & religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint*.

Allat. lib. 3. de Conf. Eccl. Oc. & Or. cap. 16.

Catech. Rom. P. II. cap. 6. n. 9.

Quod si repentino morbo quis abreptus, rationis usu penitus destituatur, Parochus ad anteactam ipsius vitam attendere debet, in qua si pie & christiane vixerit, si Sacramenta frequenter susceperit, hoc Sacramento illico eum præmunire non omittat; credendum enim est, ipsum, cum valeret, æternæ suæ salutis vere studiosum, ea omnia sibi desiderasse, quæ tanquam media, ad æternam salutem facilius obtinendam, a Christo Domino fuere instituta. Contrarium vero dicendum est, consentientibus sanioribus Theologis, si publice constaret, ægrotum vitam constanter malam duxisse, nisi pœnitentiæ argumenta forte dedisset, antequam ægrotaret.

Præterea *si aliqua morbi vi infirmus oppressus, dubitatur, vivus ne sit, an mortuus, tunc diligenter de hoc Sacerdos videbit, consulto etiam Medico, si in tanta temporis brevitate possit. Si non potest, & in dubio est, ea conditione utetur*: si es vivus, per istam sanctam Unctionem, & piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus &c. *Si æger in eo statu est, ut spiritum antea exhalaturus videatur, quam Sacramenti hujus ministrationem Parochus absolvere possit, sine Psalmis, & Litaniis prætermissis*,

sis, stata formula verborum singulas corporis partes, quas ungi Ritus postulat, inungat. Sique superstes erit, tunc statas reliquas Preces, Litaniasque adhibebit. Si vero, dum ungitur, spiritum emiserit, ungere Parochus desistet. S. Car. Instr. de Extr. Unct.

Ex quibus sequitur, quod *nemini, qui graviori morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, tametsi vitæ periculum adeat, vel quia periculosam navigationem parat, vel quia prælium initurus sit, a quo illi certa mors impendeat, vel etiam, si capitis damnatus, ad supplicium raperetur. Omnes præterea, qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt; & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit; amentes item, & furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, & eo potissimum tempore pii animi significationem darent, peterentque, ut sacro oleo ungerentur. Nam, qui ab ipso ortu nunquam mentis & rationis compos fuit, ungendus non est; secus vero, si ægrotus, cum, mente adhuc integra, hujus Sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam & furorem incidit.* Catech. Rom. P.II. cap 6.n.9

Nec dandum est mulieribus, in partu laborantibus, nisi ægrotarent; bene quidem senibus, ætate confectis, in diem morituris, quamvis non ægrotent; senectus enim ipsa est morbus. S.Car.Instr. de Extr. Unct.

Et illud etiam *observare oportet, in una eademque ægrotatione, cum æger in eodem vitæ periculo positus sit, semel tantum ungendum esse. Quod si post susceptam hanc unctionem æger convaluerit, quoties postea in id vitæ discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi. Ex quo patet, in eorum Sacramentorum numero, quæ iterari solent, reponendum esse.* Catech. Rom. P.II. cap. 6. n. 11.

Pluribus in Ecclesiis, ut majori studio excitarentur Fideles, jam jam morituri, ad veræ Pœnitentiæ actus eliciendos, mos erat antiquitus, vel ante, vel post Extremam Unctionem, inducere infirmos cilicio, & ex cinere supra eorum pectus Crucem effingere; vel eos in alium lectum transferebant, vel nudum super pavimentum collocabant, ubi cilicium, & cinerea Crux parabantur. Hæc consuetudo non viget amplius in Ecclesia, sed solummodo apud rigidiores Cœnobitas, Carthusianos scilicet, & Cistercienses. V. Chard. Hist. de Sacr. lib. III. cap. 5.

Solebant etiam antiquitus Sacro Viatico Extremam Unctionem præmittere, licet aliquando etiam contrarium agerent, uti in antiquo Rituali, quod in Bibliotheca PP. Conventualium Florentiæ MS. asservatur, se legisse testatur celeberrimus Pater Mabillonius in Italici sui itineris expositione, cujus Disciplinæ hanc rationem afferebant. Extrema Unctio virtutem habet & vim reliquias omnes destruendi peccatorum, cum ideo a Sanctis Patribus *Pœnitentiæ complementum* appelletur; quapropter conveniens videtur, hujusmodi Unctione præparare infirmum ad Eucharisticum panem dignius suscipiendum. Nihilo tamen minus in Ecclesia ab anno 1300. laudabiliter mos obtinuit, ut, cum & tempus & qualitas morbi id sinant, post Viaticum solummodo Extremæ Unctionis Sacramentum infirmo conferatur. Sæpissime enim accidit, ut apposite animadvertit Cardinalis Bellarminus, quod, in ministrando hujusmodi Sacramento, diem etiam aliquando de die ducant, ne gravi terrore concutiatur ægrotantis animus; ex quo fit, ut infirmus, vel ammissa ratione, vel alias ob causas, Eucharistico Sacramento suscipiendo par amplius non sit. Quapropter, ut hoc malum evitetur, modo apud omnes, sumpto Viatico, ungitur infirmus; melius est enim, ut addit laudatus Cardinalis, quod in ministrandis Sacramentis invertatur ordo, quam ut quis aliquo ex uberioribus Sacramentis destituatur. Si vero alicubi viget adhuc antiqua Disciplina, nemini licet ipsi privata sua auctoritate pro libitu adversari. *Si quis enim*, sic definivit Tridentina Synodus, *dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in solemni Sacramentorum administratione consuetos, aut contemni, aut in novos alios, per quemcunque alium Ecclesiæ Pastorem, mutari posse, anathema sit.* Samb tract. de Extr. Unct. — Samb. tract. de Extr. Unct.; Lib. 2. de ord. men. mor. cap. 7.; Ibi.; Sess. 7. Can. XIII.

Res tandem, *& effectus hujus Sacramenti illis* Jacobi Apostoli *verbis explicatur:* & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit dimittentur ei. *Res etenim hæc est gratia Spiritus Sancti; cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda & labores levius fert; & tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit; & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Trid. Sess. 14. de Extr. Unct. cap. 2.

Docebunt igitur *Pastores hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis quidem leviora, &, ut communi nomine appellantur, venialia remittit. Exitiales enim culpæ Pœnitentiæ Sacramento tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus* tan-

Catech. Rom. P.II.cap.6.n.14. V. Anacl. tract. 14. Theol. Mor. dist. 2. q. 2.

tantum, & Pœnitentia vi sua hoc efficiunt. Hunc tamen effectum & Sacra Unctio aliquando *accidentaliter*, ut Theologi loquuntur, habere potest; cum scilicet infirmus pro certo tenet, se, ut par erat, confessum fuisse, & de peccatis suis sincere & ex animo doluisse, licet vel invalida fuerit ejus Confessio, vel imperfecta ipsius Contritio.

Altera est Sacræ Unctionis utilitas, quod animam a languore & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & a cæteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandum est, cum gravi morbo affligamur, ac vitæ periculum impendet. Etenim hominum natura insitum est, ut nihil in rebus humanis æque ac mortem pertimescat. Auget autem magnopere hunc timorem præteritorum scelerum memoria, cum præsertim gravissima conscientiæ nostræ accusatio nos urgeat. Ut enim scriptum est, venient in peccatorum suorum cogitationem timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. (Sap. 4. 21.) *Deinde illa cura, & cogitatio vehementer angit, quod paulo post stare oporteat ante Tribunal Dei, a quo de nobis justissima pro eo, ac meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Sæpe autem evenit, ut Fideles, hoc terrore perculsi, se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mentis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abjiciamus, & læto animo Domini adventum expectemus, paratique simus, depositum nostrum, quandocunque a nobis illud repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac sollicitudine Fidelium mentes liberentur, animusque pio & sancto gaudio repleatur, Extremæ Unctionis Sacramentum efficit.*

Catech. Rom. P.II. cap.6.n.14.

Accedit postremo, si quidem profutura sit, etiam corporis sanitas. Quod si ægroti eo tempore eam minus consequuntur, id quidem non Sacramenti vitio, sed ob eam potius causam evenire credendum est, quod eorum magna pars, vel qui sacro Oleo perunguntur, vel a quibus administratur, Fides infirmior est. Testatur enim Evangelista (Matt. 13. v. 58.), *Dominum apud suos multas virtutes non fecisse propter incredulitatem illorum. Quamquam etiam recte dici potest, Christianam Religionem, ex quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus jam hujusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim nascentis Ecclesiæ initio necessaria esse viderentur. Sed tamen hoc loco Fides magnopere excitanda erit. Utcumque enim, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei consilio & voluntate ceciderit, certa spe niti Fideles debent, se hujus sacri Olei virtute spiritalem sanitatem*

tatem consecuturos esse, futurumque, ut, si eos vita decedere contingat, præclaræ illius vocis fructum percipiant, qua (Apoc. 14. 13.) *scriptum est:* beati mortui, qui in Domino moriuntur. Id. ibi n. 16.

CAPUT SEPTIMUM

De Ordine.

ORdinis nomine generatim significatur justa & adæquata rerum distributio, sive, juxta definitionem Divi Augustini, *Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens, dispositio.* (Lib. 19. de Civ. Dei cap. 13.) Hoc nomine etiam diversi hominum status designantur, in quos homines dividi solent. Hinc ex. gr. tres hominum status, *Ecclesiasticus, Nobilis, & Plebejus*, tres diversi Ordines passim nuncupantur. Hoc tamen loco hujusmodi nomine actio illa significatur, qua quis ad Sacerdotii dignitatem evectus est. Quo in sensu Ordo sic definitur: *Ordo est Sacramentum a Christo Domino institutum, quo Ordinato traditur spiritalis Potestas consecrandi Christi corpus & sanguinem, & alia sacra ministeria, sacrasque functiones exequendi.* Hæc Definitio Ordinationes (DD. com.) omnes complectitur, eamque præsertim, qua Sacerdotium confertur, quo traditur Potestas, ut inquiebamus modo, consecrandi Christi corpus & sanguinem; cæterasque etiam Ordinationes omnes significat, quibus disponitur futurus Sacerdos ad Potestatem adeo eminentem suscipiendam.

Duplex autem *est hæc Potestas; Ordinis, & Jurisdictionis. Ordinis Potestas ad verum Christi Domini corpus in sacrosancta Eucharistia refertur; Jurisdictionis vero Potestas tota in Christi corpore mystico versatur; ad eam enim spectat Christianum populum gubernare, & moderari, & ad æternam cœlestemque Beatitudinem dirigere.* (Catech. Rom. P.II. cap.7. n.6.) Prima Potestas Discipulis a Christo tunc collata fuit, cum Missæ Sacrificium instituens, *hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem;* (1. Cor. 11. 24.) secunda vero, cum post suam Resurrectionem insufflavit in facies eorum, dicens: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt.* (Joan. 20. 22. 23.)

Post Wicleffum Lutherus & Calvinus, eorumque asseclæ, temere ausi sunt, Ordinem e Sacramentorum numero excludere, eoque temeritatis devenerunt, ut assererent, nullo habito discrimine inter Clericos & Laicos, quemcunque ex Fidelibus,

immo & ipsas mulieres, Ecclesiasticis ministeriis fungi posse. *Cum tamen Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu, perspicuum est, per Sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem*
2. Tim. 1. 6. 7. *sanctæ Ecclesiæ Sacramentis; inquit enim Apostolus:* admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris,
Trid. Sess. 23. cap. 3. sed virtutis & dilectionis, & sobrietatis. *Si quis* ergo *dixerit, Ordinem, vel Sacram Ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum Ritum verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit. Si quis* quoque *dixerit, per Sacram Ordinationem*
Id. ibi Can. III. & IV. *non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere:* accipe Spiritum Sanctum... *anathema sit.*

Licet vero unum tantum sit Ordinis Sacramentum, per varios tamen gradus, ordinatim, & non per saltum, ad Sacerdotium ascenditur. Hujusmodi Sacramenti gradus indicantur a
Cap. 40. 22. & 26. septem gradibus, quibus ad mysticam Jerusalem, ab Ezechiele visam, perveniebatur, & a septem columnis, quibus ædificium, a Divina Sapientia extructum, innitebatur. *Cum enim Divina res sit sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione, exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, & diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, & ita distributi, ut, qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt; & quæ maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria: Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, & Ostiarii in usu fuisse cognos-*
Trid. Sess. 23. cap. 2. *cuntur.*

Ne tempus insumamus in discutienda quorundam graviorum Theologorum Opinione, asserentium ingenti studio, Tonsuram & Episcopatum duos esse diversos Ordines, cum sint, qui id apertissime negent, *docendum erit, hosce omnes Ordines septenario numero contineri, semperque ita a Catholica Ecclesia traditum esse; quorum nomina hæc sunt:* Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos. *Hunc autem Ministrorum numerum recte ita definitum esse probari potest propter ea ministeria, quæ ad sacrosanctum Missæ Sacrificium, & Eucharistiam vel conficiendam, vel administrandam, cujus causa præcipue sunt instituta, necessaria videntur.* Catech. Rom. P.II.c.7. n.12.

Ex his Ordinibus *alii Majores, qui etiam Sacri dicuntur, alii Minores sunt. Majores, vel Sacri, sunt* Ordo Sacerdotalis, Diaconatus, & Subdiaconatus; *ad Minores* autem *referuntur* Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii; *de quibus singulis pauca dicenda sunt, ut habeant Pastores, unde eos potissimum instituant, quos noverint aliquo Ordine initiandos esse;* nonnulla tamen primum præmittemus de *Tonsura Clericali.* Id. ibi.

Tonsura nihil aliud est quam *præparatio ad Ordines accipiendos. Ut enim homines ad Baptismum Exorcismis, ad Matrimonium Sponsalibus præparari solent; ita, cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur. Declaratur enim qualis esse debeat, qui Sacris imbui cupit. Nam Clerici nomen, quod ei primum tunc imponitur, ab eo deductum est, quod Dominum sortem, & hæreditatem suam habere incipiat, veluti in Hæbreorum populo, qui Divino cultui mancipati erant, quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra Promissionis illis distribui, cum inquit* (Num. 18. v. 20.): ego pars, & hæreditas tua. *Ac quamvis omnibus Fidelibus id commune sit, præcipua tamen ratione iis conveniat, necesse est, qui se Dei ministerio consecrarunt.* Id. ibi n. 13.

Tondendi sunt capilli, ad coronæ speciem & similitudinem, quam perpetuo conservare oportet; &, ut quisque in altiori deinceps Ordinis gradu collocatur, sic ejus orbis forma latior circumscribi debet. Quod quidem ex Apostolorum traditione acceptum esse docet Ecclesia, cum de hujusmodi tondendi more Sancti Dionysius Areopagita, Augustinus, Hieronymus, vetustissimi & antiqui Patres, meminerint. Primum autem omnium ferunt, Apostolorum Principem eam consuetudinem induxisse ad memoriam coronæ, quæ ex spinis contexta Salvatoris nostri capiti fuit imposita, ut, quod impii ad Christi ignominiam & cruciatum excogitarunt, eo Apostoli ad decus & gloriam uterentur, simulque significaret, curandum esse a Ministris Ecclesiæ, ut omnibus in rebus Christi Domini nostri speciem, & figuram gerant. Quamquam nonnulli asserant, hac nota Regiam Dignitatem declarari, quæ iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videtur convenire. Quod enim

enim Petrus Apostolus (1. Pet. 2. v. 9.) *Fideli populo tribuit ;* vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, *peculiari quadam & magis propria ratione, ad Ecclesiasticos Ministros pertinere facile intelligimus. Etsi non desunt, qui vel perfectioris vitæ professionem a Clericis susceptam circuli figura, quæ omnium perfectissima est, significari existiment, vel externarum rerum contemptionem, animique ab omnibus humanis curis vacuitatem declarari putent, quod capilli supervacaneum quiddam in corpore tondeantur.*

Id. ibi n. 14.

Tonsuratus deinde *induitur superpelliceo ; qui amictus ex tela candida linea constat, ut cogitet quam personam sustineat, nempe a sordibus labeque puram, qualem vestitus ille indicat.* Quod etiam significant verba illa, quæ ab Episcopo inter induendum recitantur : *induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis.*

Conc. Mediol. V.

Eph. 4. 24.

Putat Doctissimus Morinus, primis Ecclesiæ Sæculis solam Tonsuram nunquam collatam fuisse, uti modo in more positum est, sed saltem cum uno ex minoribus Ordinibus, scilicet Ostiariatu. Ad id defendendum eo ducitur, quod ab antiquis Scriptoribus, qui de hisce rebus agunt, nulla Tonsuræ fiat mentio, cum loquuntur de iis, qui a Laicorum statu ad Clericalem transeunt, quamvis certum sit, ea semper Ecclesiam usam fuisse, sed hujusmodi Scriptores aliquos tantum Ordines memorant. Verisimile igitur est, consuevisse olim Latinos una cum primo Ordine Tonsuram conferre, quemadmodum Græci modo eamdem Lectoratui adjungunt. Pluribus tamen ab hinc Sæculis solet Ecclesia eam separatim ministrare, & Tonsuratis deinde varia Privilegia successione temporis concessa fuerunt.

De Sacr. Ord. p. 3. Exer. 15. c. 3.

Hujusmodi vero Privilegia tria potissimum sunt. Primum, ut apud alium Judicem præter proprium Episcopum conveniri nequeant. Secundum, ut Excommunicationem incurrant latæ Sententiæ, violentas manus in eos injicientes. Tertium, ut possint obtinere Beneficia Ecclesiastica. Circa quæ Privilegia advertendum est, quod *nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum Beneficium potest obtinere. Is etiam Fori beneficio non gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut, Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos, versetur. In Clericis vero conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII. quæ incipit :* Clerici, qui cum unicis ; *modo hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio, ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent ; & Clericali habitu, & Tonsura utantur ; nemini quoad hoc, Privilegio, & consuetudine etiam immemorabili, suffragante.*

Trid Sess. 23. de Refor. cap. 6.

Neque prima Tonsura initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint ; quique legere, vel scribere nesciant ; de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis Judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Id. ibi cap. 4.

In iis igitur, si quis deficiens, vel mortali aliqua culpa fædatus, ad Tonsuram suscipiendam accederet, licet verisimile sit, Tonsuram Ordinem non esse, cum & ab Ecclesia, non a Christo Domino, instituta fuerit, & spiritalem Potestatem non conferat aliquod Ecclesiasticum munus exercendi, cumque tandem de ea loquatur Tridentina Synodus tanquam de re ab Ordine diversa, probabile est, quod graviter peccaret, eo quod irriverenter, & ingrate tanto beneficio tam male responderet.

Ib. cap. 25.

V. Natal. Alex. de Sacr. Ord. c. 3. a. 5. reg. 21.

A Tonsura ad Ordines gradum facientes animadvertimus, hosce Ordines antiquitus etiam in Ecclesia obtinuisse, & si asserere nolumus, a Christo Domino fuisse institutos, certum est, ipsorum institutionem vel ipsis Apostolis, vel immediatis eorum Successoribus esse adscribendam, licet nulla eorum fiat mentio nec in Actibus Apostolorum, nec in Apostolorum Epistolis, nec in libris Sanctorum Patrum, primi & secundi Sæculi. Cujus silentii hæc sane fuit ratio, quia *in primitiva Ecclesia, propter paucitatem Ministrorum, omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, ut patet per Dionysium 3. cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ubi dicit :* Ministrorum alii stant ad portas Templi clausas, alii aliud quid proprii Ordinis operantur, alii cum Sacerdotibus proponunt super Altare sacrum panem, & benedictionis calicem. *Nihilominus erant omnes prædictæ Potestates, sed implicite in una Diaconi Potestate. Sed postea ampliatus est cultus Divinus, & Ecclesia, quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit in diversis.*

Id. ibi c. 1. a. 4.

S. Th. in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. q. 2. ad 2.

Solum *Lectoratum* ex minoribus Ordinibus agnoscunt Græci, cæteris omissis, ut advertit eruditissimus Morinus. Sed ea officia, quæ apud Latinos ad singulos minores Ordines spectant, apud Græcos Lectoribus, vel Subdiaconis incumbunt.

De Sacr. Ord. p. 3. Exerc. 14.

Anti-

Antiquissimus vero in Ecclesia Occidentali mos fuit, Ordines separatim conferendi, ut colligitur ex Epistola Sancti Cornelii, Papæ & Martyris, ad Fabium Antiochenum, & ex Concilio IV. Carthaginensi, habito an. 398., in quo fit mentio non solum minorum Ordinum, sed officiorum etiam ad hosce Ordines spectantium, & Rituum etiam, quibus tunc Ordines ministrabantur.

Euseb. lib. 8. Hist. Eccl. c. 42.

Quæstio autem est valde agitata inter Theologos, quos fideliter recenset doctissimus Pater Berti, utrum minores Ordines sint vere & proprie Sacramenta, cum sint multi, qui asserant, multi qui negent. Quamvis nobis negativa Sententia magis arrideat, eo quod firmissima sint argumenta, quibus evincitur, hujusmodi Ordines a Christo non fuisse institutos; & eorum officia etiam a Laicis possint exerceri; & in Ecclesia nulli alii Ordines præter Diaconatum & Sacerdotium olim ministrarentur; ad nos tamen non spectat hujusmodi Quæstionem dirimere. Illud certum est, *præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam ad Sacerdotium tendatur.*

De Theol. Discipl. lib. 36. cap. 4.

Trid. Sess. 23. Can. 11.

Post primam Tonsuram primus gradus fit ad Ostiarii Ordinem. Claves esse instrumentum, seu *materiam*, ut ajunt, hæc vero verba, quæ ab Ordinante dicuntur in traditione Clavium: *sic age, quasi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his Clavibus recluduntur*, esse *formam* nemo dubitat. *Ostiariatus* ergo est Ordo, quo *Clericus Ecclesiæ, & sacrarum rerum, quæ in ipsa continentur, custos ex officio declaratur.* Definitio hujus Ordinis, uti & cæterorum, ex ejusdem officio desumitur. Posito autem, quod & hujusmodi Ordo a Christo Domino fuerit institutus, defendi posset, Christum id tunc peregisse, cum de Templo Dei ejecit omnes vendentes, & ementes in Templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.

Matt. 21.12.

Hæc autem sunt Ostiarii præcipua munera. *Ostiarius fores Ecclesiæ custodiat; Ecclesiam suo tempore claudat, & aperiat; Infideles, Hæreticos, Excommunicatos, & alios, quibus jure interdictum est, ab Ecclesia arceat, & ejiciat; ne populus propius ad Sacerdotem, rem divinam facientem, accedere patiatur; campanas pulset; in Ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione officia Divina perturbantes, & quovis modo indecore, atque irriverenter se habentes, moneat; si pertinaces sint, expellat, aut ad Superiorem deferat; mendicantes excludat; Ecclesiam verrendam curet; bruta denique, canesve expellat; quidquidve in Ecclesia dedecet, amoveat.*

Conc. I. Mediol.

Hujus profecto Ordinis exercitium, nunc certe maxime necessarium est, ut Templo, & Sacramentis, ac potissimum omnibus tremendis Altaris mysteriis debitus honor & reverentia servetur, & ne functiones ab Apostolorum temporibus, in Ecclesia laudabiliter receptæ, ab Hæreticis, tanquam otiosæ, traducantur. Quare Prælatis Ecclesiarum præcipit Sancta Tridentina Synodus, *ut, quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis .... hujusmodi functiones curent restituendas.* *Studeant* ergo *Ostiarii, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperiunt & claudunt, sic & invisibilem Dei domum, corda scilicet Fidelium, dictis & exemplis claudant Diabolo, & aperiant Deo, ut Divina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant.*

Est. in 4. dist. 24 §. 9.

Sess. 23. de Refor. cap. 17.

Pontif. Rom.

Hujus vero *Ordinis in antiqua Ecclesia magnam dignitatem fuisse ex eo intelligitur, quod Thesaurarii officium, qui idem erat Sacrarii custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc habetur.*

Catech. Rom. P. II. c. 7. n. 15.

Secundus Ordinis gradus, sive secundus minorum Ordinum, est *Lectoris* munus. Hic Ordo absque dubio multo nobilior est *Ostiariatu*; hic enim exteriorem reverentiam curat, dum Sacrum peragitur Missæ Sacrificium, ille animos Fidelium disponit sacris lectionibus, ut interna veneratione tantum opus prosequantur. In ratione conferendi hunc Ordinem differunt Græci a Latinis. Nam apud Græcos *materia* hujus Ordinis est manuum *impositio*, & *forma* sunt precatoria verba, quæ tunc temporis pronuntiant; apud Latinos vero *materia* est *traditio sacræ Bibliæ; forma* sunt sequentia verba, quæ profert Ordinans, dum librum Ordinando porrigit: *accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei ministrarunt ab initio.* Propterea *Lectoratus* sic definitur: *est Ordo, quo traditur potestas Ordinato Scripturam Sacram publice legendi in Ecclesia.* Hinc Episcopus, postquam Lectores instituit, eos alloquens: *studete*, inquit, *verba Dei, videlicet, Lectiones sacras, distincte & aperte, ad intelligentiam & ædificationem Fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre, ne veritas Divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur.* Quod autem ore

ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis, quatenus auditores vestros verbo pariter, & exemplo vestro docere possitis. Ideoque, dum legitis, in alto loco Ecclesiæ stetis, ut ab omnibus audiamini, & videamini, figurantes positione corporali vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini, & videmini, cœlestis vitæ formam præbeatis. Improbanda non est eorum Theologorum Opinio, qui putant hunc Ordinem a Christo Domino fuisse institutum, cum stans in medio Seniorum, Isajæ librum aperuit, & completa lectione, eumdem clausum tradidit Ministro.

Pontif. Rom.

Luc. 4. 18. & seq.

Antiquitus, quando Episcopus habiturus erat orationem ad populum, in Suggestum ascendebat Lector, toti populo conspicuus, & legebat elata voce selectam ab Episcopo Evangeliorum, vel alterius libri partem, quam deinde ipsemet Episcopus Christianæ plebi exponebat. Lectoris quoque munus erat prima Christianæ Religionis rudimenta Fidelibus tradere; panem etiam, & novos fructus benedicere (*a*). Sed hodie benedictiones illæ a solis Presbyteris peraguntur (*b*). In Ecclesia Græca multo magis patet Lectoris potestas. Ipse in Missa legit Epistolam, quod pertinet ad Subdiaconum in Ecclesia Latina; luminaria accendit; Sacerdoti celebranti oblationes, vinum, & aquam ministrat. Ad *magnum*, ut ipsi appellant, *Missæ introitum* antecedit, gestans acccensa candelabra; in Ecclesia tandem præparat, ac disponit, quæ ad Altaris Sacrificium necessario requiruntur.

S. Aug. in Psal. 138.
Catech. Rom. P. II. c. 7. n. 16.
(*a*) Pontif. Rom.
(*b*) Rit. Rom.
Nat. Alex. de Sacr. Ord. c. 1. a. 4. §. 2.

Tertius Ordo est Exorcistarum, quibus potestas data est nomen Domini invocandi in eos, qui ab immundis Spiritibus obsidentur. Quare Episcopus, cum eos instituit, librum, in quo Exorcismi continentur, eis porrigit, usus ea formula verborum: accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem manus imponendi super Energumenos, sive Baptizatos, sive Catechumenos.

Catech. Rom P. II. c. 7. n. 17.

Ex quo colligitur Exorcistarum officium ab officio Sacerdotum differre, qui ante Baptismum Exorcismis utuntur, ut Catechumenos disponant ad Baptismum suscipiendum. *Materiam* hujus Ordinis esse librum Exorcismorum tradidit Concilium IV, Carthaginense; cujus loco tradi potest Pontificale, seu Missale; habet enim potestatem Ecclesia in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statuere ac mutare, quæ magis expedire judicat. *Forma* autem sunt allata verba, quæ in traditione materiæ ab Ordinante dicuntur. Hinc jure sic definitur:

L' Herm. de Ord. cap. 17.
Can. VII.
Trid. Sess. 2. c. 2.

Exorcitatus est Ordo, quo Ordinato confertur potestas pellendi Dæmonia ab Energumenis. Opinantur nonnulli tunc Christum instituisse hunc Ordinem, cum a vexante Dæmone liberavit Energumenos, & ejusmodi potestatem contulit Discipulis.

DD. com.
Marc. 3. 11. 13.

Exorcistarum gradus *Lectorum* gradum antecellit. Exorcista enim, Dæmonia ejiciens, quodammodo Veritatem atque Doctrinam, quæ in Sacris libris continentur, confirmat; cum tantum eas legere ad Lectorem spectet. Quapropter studere debent hoc Ordine insigniti, *ut sicut a corporibus aliorum Dæmones expellunt, ita a mentibus & corporibus suis omnem immunditiam & nequitiam ejiciant, ne illis succumbant, quos ab aliis suo ministerio effugant. Discant per officium suum vitiis imperare, ne in moribus suis aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc enim recte in aliis Dæmonibus imperabunt, cum prius in semetipsis eorum multimodam nequitiam superaverint.* Si, quæ sint regulæ in Exorcismis Energumenorum observandæ, aliquis nosse desiderat, legat *tract. Art. exorcizandi* Hieronymi Menga, & Petrum Tyræum *de Dæmoniacis*.

Pontif. Rom.

Præter facultatem ejiciendi Dæmonia, quam modo soli Sacerdotes exercent, jubente, vel permittente Episcopo, debet Exorcista mensam parare pro his, qui communicare desiderant; hinc ad ipsum antiquitus pertinebat populo nunciare, ut, *qui non communicat, det locum*; tandem ad ipsum spectat aquam in Baptisterio fundere.

Acolythorum quartus est gradus, & ultimus. Græcum est hujusmodi nomen, & idem est ac *improhibitus*, seu admissus ad Altaris ministerium, quia olim Clericis ad Altare accedere non erat permissum, nisi hunc Ordinem suscepissent. *Acolythus* etiam idem est ac *comes*, seu *assecla*, eo quod in Altaris ministerio Ministros majores affectatur, eisque operam præbet. Ejus munus præterea est Luminaria accendere, eaque ferre, præcipue cum Diaconus Evangelium legit (hinc alio nomine etiam *Ceroferarii* appellantur) & Subdiacono urceolum ministrare ad suggerendum vinum, & aquam ad Christi sanguinem conficiendum. Primis Ecclesiæ Sæculis ad Acolythos spectabat etiam, ut egregie animadvertit Ven. Cardinalis Thommasius C. R., *fermentum*, sive *Eucharistiam*, in quodam marsupio inclusam, diebus præcipue Dominicis, ad eos Presbyteros afferre, qui, ut studerent populo sibi credito, Pontificali Missæ interesse non poterant; hinc tunc, dum instituebantur, ipsis marsupium tan-

V. Est. in 4. dist. 24. §. 13.
Diff. de Ferm. Euch.

gendum præbebatur; illudque secum semper ferebant, cum Pontificali Missæ ministrabant, ut in ipso consecratas Particulas asservarent.

Nat. Alex. de Ord. c. 1. a. 1. §.

Duplicem *materiam*, eamque partialem, habet hic Ordo, *Candelabrum* scilicet *cum cereo extincto*, & *Urceolum vacuum*. Duplici huic materiæ duplex *forma* respondet, verba nimirum, quæ profert Episcopus in actuali traditione ejusdem materiæ. Prima hæc sunt: *accipe Ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini*. Alia vero sunt hujusmodi: *accipe Urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini*. Acolythatus igitur est Ordo, *in quo traditur potestas accendendi Luminaria, & Urceolos cum aqua & vino ministrandi in celebratione Missæ*. Sunt, qui contendunt institutum fuisse hunc Ordinem a Christo, cum dixit: *ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulant in tenebris, sed habebit lumen vitæ*.

Joan. 8. 12.

Nemini dubium est, hunc Ordinem minoribus cæteris præstare, cum Acolythi proprium munus sit, materiam præparare ad Missæ Sacrificium. Hinc Episcopus, postquam eos ordinavit, *studete*, inquit, *susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, cum lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviatis, & per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis. Sed sicut Veritas dicit*: luceat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est; *& sicut Apostolus Paulus ait*: in medio Nationis pravæ, & perversæ lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. *Sint ergo lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abjiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis; eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate. Quæ sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat subdens*: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. *Estote ergo solliciti in omni justitia, bonitate, & veritate, ut & vos, & alios, & Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei Sacrificio digne vinum suggeretis, & aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam, & bona opera oblati fueritis*.

Pot. Appar. t. 4. Sect. 4.
Matt. 5. 16.
Philip. 2. 15.
Rom. 13. 12.
Pontif. Rom.

A minoribus Ordinibus, iisque non sacris, de quibus hactenus dictum est, ad majores & sacros legitimus aditus, & ascensus patet. Ordo sacer dicitur dupliciter. Uno modo secundum se,

Catech. Rom. P. II. c. 7. n. 16.

se, & sic quilibet Ordo est sacer, cum sit Sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum, & sic Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam; & sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habent actum circa corpus Christi & sanguinem consecratum, & Subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata; & ideo etiam iis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint, qui sancta tractant.

S. Th. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. q. 3.

In sacrorum Ordinum primo gradu *Subdiaconus* collocatur, cujus munus est, ut nomen ipsum declarat, Diacono ad Altare inservire. Quæstio est inter Doctores, utrum Subdiaconatus a Christo fuerit institutus, & revera sit Sacramentum. Volunt nonnulli, tunc Christum instituisse hunc Ordinem, cum ante ultimam cœnam necessaria parabat ad Eucharistiam conficiendam, in eoque ea omnia contineri, quæ ad constituendum Sacramentum requiruntur; propugnant alii, ab Ecclesia fuisse institutum, præcipue cum hujus Ordinis nulla fiat mentio in Sacris Litteris, nec in Libris Sanctorum Patrum, primorum Sæculorum.

V. L'Ermen. tract. de Ord. cap. 3.

Quidquid vero de hujusmodi Quæstione dicendum sit, antiquissima certe est in Ecclesiasticis monumentis Subdiaconorum mentio. Fuisse olim Romæ septem Diaconos, totidemque Subdiaconos testatur Sanctus Cornelius, Papa & Martyr. Eodem Sæculo IV. Sanctus Cyprianus scribit, a se ordinatum fuisse Subdiaconum quemdam Optatum. Subdiaconi meminere etiam Sanctus Ignatius in Epistola ad Antiochenos, Constitutiones Apostolicæ, & Concilium Laodicenum.

Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. c. 43.
Ep. 24.

Tunc vero Subdiaconatus inter minores Ordines numerabatur, nec ei annexus erat cælibatus, uti etiam nunc non est apud Græcos. Post sextum Sæculum fere nullibi Subdiaconorum occurrit mentio, qui continentiæ voto non fuerint obstricti. Romæ certe a Subdiaconis continentia servabatur tempore Pelagii II., qui Subdiaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus uxoribus miscerentur. A Romana autem ad alias etiam Occidentis Ecclesias eadem disciplina propagata est; qua occasione paulatim cœpit hic Ordo inter majores & sacros numerari; & cum prius extra Sanctuarium & Altare conferri soleret, sicut etiam nunc apud Græcos, invaluit consuetudo eum conferendi inter Missarum Solemnia, atque ita sacer Ordo reputatus est. Multum tamen interfuit temporis, antequam certa

S. Greg. Pap. ep. 42. lib. 1. & 3. lib. 3.

ta & firma Lege inter Ordines sacros recenseretur, quod contigit Sæculo XII., ut observant multi recentiores eruditissimi viri; & forte primo statutum fuit in Beneventana Synodo sub Urbano II. anno 1091., ut inter majores Ordines adscriberetur. *Hac de re legere optimum & utilissimum erit Morinum de Sacr. Ord. par. 3. Exerc. 12. & Card. Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 25., qui rem hanc accuratissime pertractant.*

Subdiaconatus *materia* apud Græcos est *manuum impositio*, ipsiusque *forma*, est oratio, quam tunc in hujusmodi actu pronuntiat Episcopus. In Latina vero Ecclesia plerique Doctorum statuunt pro *materia* hujus Ordinis traditio, facta ab Episcopo, Calicis, & Patenæ vacuæ, & Urceolorum, quorum alter plenus vino, alter aqua, Linteumque traditum Ordinando ab Archidiacono; quod significat, Subdiaconum Diacono debere inservire; hujusmodi materiæ addunt alii Manipulum, Dalmaticam, & librum Epistolarum, quæ omnia in sua ordinatione Subdiaconus accipit ab Episcopo. Sunt tandem, qui pro materia hujus Ordinis assignant solam traditionem libri Epistolarum. Inter hujusmodi Opiniones prior verisimilior videtur. Concilium enim IV. Carthaginense, & Eugenius IV., Summus Pontifex, solum Calicem & Patenam memorant; ideoque opinamur, cætera non esse nisi integrales partes essentialis materiæ hujus Ordinis. (Tourn. de Ord. q. 6. a. 4.)

Forma certe sunt verba prolata ab Episcopo in traditione materiæ; qui, dum Calicem & Patenam tangendam præbet Ordinandis, *videte*, inquit, *cujusmodi ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis;* adduntur præterea aliæ Preces. Ad extremum postquam Episcopus sacris vestibus Subdiaconum ornavit, proferens convenientia verba, & suas cærimonias adhibens, tradit ei Epistolarum librum dicens: *accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis,*

Non eadem sunt Subdiaconorum officia apud Græcos, quæ apud Latinos. Etenim, ut observat eruditissimus Morinus, in Græca Ecclesia ad Subdiaconos spectat aquam præbere Episcopo in solemni Missa ad manus abstergendas; januas Ecclesiæ custodire; Catechumenos ad Ecclesiam ducere; ab eaque Pœnitentes arcere. In Latina vero pertinet ad Subdiaconum, ut colligitur ex Pontificali Romano, aquam parare ad Sacrificium; Diacono in solemni Missa deservire; ipsi Calicem & Patenam præbere, quibus utatur in Sacrificio; lavare sacra lintea; oblationes colligere, easque super Altare deferre, ut earum dispensatione pauperibus posset subveniri; legere tandem Epistolam in celebratione Missæ solemnis, quod antiquitus fiebat a Lectoribus, & a Lectoribus fit etiam modo apud Græcos. (De Sacr. Ord. par. 3. Exerc. 12.)

Habita igitur ratione ad Sanctitatem hujus ministerii Episcopus Clericis, quos Subdiaconos instituit, *studete*, inquit, *ut ista visibilia, quæ diximus, nitide & diligentissime complentes, invisibilia eorum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua Altare aureum se vidisse perhibet, stans ante Thronum, in quo, & per quem oblationes Fidelium Deo Patri consecrantur.* (Cap. 8. 3.) *Cujus Altaris pallæ, & corporalia sunt membra Christi, scilicet Fideles Dei, quibus Dominus, quasi vestimentis pretiosis, circumdatur, ut ait Psalmista:* Dominus regnavit, decorem indutus est. *Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis præcinctum zona aurea, idest, Sanctorum caterva.* (Psal. 92. 1.; Cap. 1. 13.) *Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo Fideles maculari, præbenda est a vobis aqua cœlestis Doctrinæ, qua purificati ad ornamentum Altaris, & cultum Divini Sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui Sacrificiis Divinis, & Ecclesiæ Dei, hoc est, corpori Christi, digne servire valeatis, in vera & Catholica Fide fundati, quoniam, ut ait Apostolus:* omne, quod non est ex Fide, peccatum est, *scismaticum est, & extra unitatem Ecclesiæ est.* (Rom. 14. 23.) *Et ideo, si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodo vigiles; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti.* (Pontif. Rom.)

Præter obligationem servandi castitatem ad hunc Ordinem nullus Clericus debet promoveri, qui non habeat, nisi sit Professus Regularis, vel Patrimonium, vel Beneficium, quo honeste vivere possit; *non enim decet eos, qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.* (Trid. Sess. 21. de Refor. c. 2) Tenetur præterea quilibet Subdiaconus ex Ecclesiastica Lege, seu ex consuetudine, nisi ob aliquam convenientem rationem ab hujusmodi onere solvatur, quotidie recitare Horas Canonicas, & prodire in publicum cum habitu Clericali, & Tonsura. (DD. com.)

Secundum Sacrorum Ordinum gradum Diaconus obtinet, cujus mini-

Catech. Rom. P. II. c. 7. n. 20.

ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est. Diaconus græce idem est, ac latine *Minister*. Et sane, utpote *Ministri*, Diaconi semper Episcopis, & Sacerdotibus in functionibus sacris inserviunt; propterea que a sacris Scriptoribus simplici *Ministrorum* nomine, & *Levitarum*, fuerunt nuncupati; ipsi enim modo Sacerdotibus ministrant, ut antiquitus in veteri Lege consueverunt *Levitæ*. Est igitur *Diaconatus Ordo, quo traditur potestas serviendi, sive ministrandi, Episcopis & Sacerdotibus, cum solemniter sacras functiones peragunt.*

DD. com.

Antiquissima est Diaconorum institutio; fuere enim primi Diaconi ab Apostolis ordinati, *viri boni testimonii septem*, cum *factum esset murmur Græcorum adversus Hæbreos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*. Ex iis porro, quæ ab Apostolis in eorum electione peracta fuerunt, colligi posse videtur adversus quosdam Theologos, viris illis traditum fuisse una cum profano sacrum etiam ministerium; & vi illius Ordinationis Diaconos non solum ciborum, potuum, eleemosynarum &c. dispensatores extitisse, sed simul etiam ministros constitutos fuisse Ecclesiæ Dei. Statuerunt enim Apostoli super illud opus eligere septem viros, non solum *boni testimonii*, quod sufficere certe videbatur, ut eorum fidei & probitati rerum temporalium administratio tuto committeretur, *sed* etiam *plenos Spiritu Sancto, & Sapientia*; viros scilicet in rebus Fidei & Religionis versatissimos, Doctrina & Pietate eminentes, qui ipsismet Apostolis in sacris functionibus ministerium, & opem aliquam præstare possent. Cum ergo placuisset talis sermo coram omni multitudine, statim fuerunt electi septem illi viri ante conspectum Apostolorum, qui orantes imposuerunt eis manus. Hisce peractis, illico Diaconi sacras functiones obire cœperunt. Stephanus enim, unus ex eis septem, plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo; & non poterant resistere Sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur per os ejus; Philippus etiam, alter ex primis illis septem Diaconis, Infideles plurimos in Samaria convertit, & ab Angelo missus fuit contra meridianum ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam, ut erudiret, & baptizaret Eunuchum Reginæ Candacis.

Act. 6. 1.

Ibi. 3. & seq.

Ibi cap. 8.

Certissimum itaque est contra recentiores Novatores, juxta antiquissimam & universalem Ecclesiæ traditionem, communem Sanctorum Patrum consensum, Conciliorum, & Ecclesiæ defini-

nitiones, Diaconatum Sacrum Ordinem esse, & Hierarchicum. Quamvis autem evidenter probari non possit, uti animadvertunt plures Theologi cum Cardinali Bellarmino, Diaconatum Sacramentum esse, tamen probabilior, & tutior videtur eorum Sententia, qui Sacramentum esse affirmant. Reperiuntur enim in Diaconatu illa tria, quæ ad constituendum Sacramentum requiri solent; est enim Signum sensibile, quod consistit in manuum impositione, qua usa est semper Ecclesia ad exemplum Apostolorum in Diaconorum consecratione; producit præterea hoc Signum gratiam Sanctificantem; quam ob causam post manuum impositionem, ad implorandum super Diaconos auxilium & virtutem Spiritus Sancti, orat Episcopus, & singulis consecrandis Diaconis, *accipe*, inquit, *Spiritum Sanctum* &c. Hoc Signum tandem a Christo Domino institutum fuit; eo enim usi sunt Apostoli, dum instituerunt primos illos septem Diaconos; nemo enim sanæ mentis affirmare unquam poterit, id proprio marte Apostolos peregisse, quin Christus id unquam præceperit. Tridentina certe Synodus anathemate perculit eum, qui *dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris*. Hoc enim *Ministrorum* nomine ii significantur, qui Sacerdotibus in Ecclesiastica Hierarchia inferiores sunt, inter quos primum locum tenent *Diaconi*, qui ob excellentiam Ministerii, a sacris Scriptoribus, ut notavimus superius, *Ministri* simpliciter appellantur.

De Sacr. Or. c. 6.

Iven. diss. 9. de Ord. q. 4. cap. 1.
Sess. 23. Can. VI.

L' Herm. de Ord. cap. 3.

Græci in conferendo hujusmodi Ordine manus super Diaconos imponunt, ipsisque flabellum præbent, quo Orientales ventum super munera, quæ in Altari ab ipsis collocantur, concitare solent; Latini vero Sæculo X. post manuum impositionem cœperunt in hujusmodi Ordinatione præbere Diaconis librum Evangeliorum, quem Ordinandi physice tangere debent. Hinc orta Quæstio inter Doctores, quænam sit *essentialis materia* hujus Ordinis, cum alii statuant, hanc esse solam manuum impositionem; alii solam traditionem libri Evangeliorum; alii utrumque. Nos priori Sententiæ libentius adhæremus; tum quia in Diaconorum Ordinatione, quam approbavit Ecclesia, Græci manus solummodo imponunt; tum etiam quia tali pacto ab Apostolis ordinati fuerunt septem primi Diaconi, quibus tradi non poterat Evangeliorum liber, quæ scripta adhuc non fuerant.

Morin. de Sacr. Ord. Exerc. 9. cap. 1. n. 4.

V. Iven. Diss. 9. de Ord. q. 4. c. 2.

Quapropter *essentialem* etiam hujus Ordinis *formam* tenemus
esse verba ab Episcopo prolata in manuum impositione, nimi-
rum: *accipe Spiritum Sanctum* &c., propterea que cætera verba,
quæ pronuntiat Episcopus in traditione libri Evangeliorum: *ac-
cipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vi-
vis quam pro defunctis, in nomine Domini*, integralem tan-
tum Diaconatus *formam* constituunt.

Varia fuere in Ecclesia Diaconorum officia, quæ accurate re-
Tract. de Sacr. Ord. cap. 1. 2, 6. censet celeberrimus Pater Natalis Alexander. Modo tamen non
amplius Diaconi Eucharistiam ministrant, quod nihilominus
In 4. dist. 23. q. 1. a. 3. nunc etiam, juxta Divi Thomæ sententiam, vere peragere
possent; cæterum tria præsertim sunt Diaconorum officia. Pri-
mo namque ad eos pertinet Episcopum perpetuo sequi, eique
& Sacerdoti, Sacra facienti, vel alia Sacramenta administran-
ti, inservire; Conciones sacras ad populum habere; & so-
S. Just. Ap. 2. lemniter etiam baptizare de licentia Episcopi.

Quæ cum sint Diaconorum facultates, provehendis ad hu-
jusmodi Leviticum Ordinem *cogitate*, inquit Episcopus, *Fi-
lii dilectissimi, ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis... Estote
ergo assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis,
quæ militant adversus animam; estote nitidi, mundi, puri, ca-
sti, sicut decet Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum
Dei, ut digni addamini ad numerum Ecclesiastici gradus, ut hæ-
reditas, & tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia
comministri, & cooperatores estis corporis & sanguinis Domini,*
Isai. 52. 11. *estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura:* mun-
damini, qui fertis vasa Domini. *Cogitate, Beatum Stephanum,
merito præcipue castitatis, ab Apostolis ad officium istud electum.
Curate, ut, quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus*
Rom. 10. 15. *exponatis, ut de vobis dicatur:* beati pedes evangelizantium pa-
cem, evangelizantium bona. *Habete pedes vestros calceatos San-*
Pontif. Rom. *ctorum exemplis in præparatione Evangelii pacis.*

Tempore Apostolorum erant quoque *Diaconissæ*, de quibus
Cap. 16. 1. aperte meminit Divus Paulus ad Romanos scribens, ut cætera
testimonia omittamus: *commendo vobis Phœbem, sororem nostram,
quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris*. Hoc *Diaco-
nissarum* nomine non significantur mulieres tantum Diaconorum,
quibus Matrimonio adjuncti erant Diaconi, antequam Sacris
Ordinibus initiarentur, quasque dimittere debebant Latini,
antequam Sacros Ordines susciperent, quemadmodum sub *Sub-
dia-*

diaconissarum, Presbyterissarum, & *Episcopissarum* nominibus ve-
niunt uxores *Subdiaconorum, Presbyterorum*, & *Episcoporum*,
sed nomen illud tribuitur etiam mulieribus, ab Episcopo ele-
ctis, manibus impositis, ad quædam peculiaria Ecclesiæ offi- V. Berti de Theol. Disc. lib. 36. cap. 7.
cia obeunda.

Hujusmodi dignitatem consequi non poterant nisi virgines, S. Epiph. exp. Fid.
& viduæ unius viri. Volebat præterea Apostolus (*a*), ut earum
ætas sexaginta esset annorum; postea vero ex Decreto Concilii (*a*) 1. Tim. 5. 9.
Chalcedonensis quadraginta tantum anni requirebantur. Vestis, Can. XV.
qua utebantur in sacris Functionibus, brevis erat, collum &
humeros tegens, velumque a capite descendebat. Ipsis incum-
bebat custodia portæ, per quam ingrediebantur fœminæ in Ec-
clesiam, quibus suus erat locus, quo a viris segregabantur;
mulieres baptizandas, ideoque denudandas, exercebant, & su-
scipiebant. Rusticanas docebant, earumque mores componebant;
pauperibus & infirmis mulieribus providebant; seseque demum
comites præbebant, decoris & honestatis titulo, illis mulieri- Iren. Diss. de Ord. q. 5. cap. 2.
bus, quæ cum Episcopo de re aliqua agere volebant. *Sed sa-
tis tandem de Diaconis, & Diaconissis, quarum sex ab hinc sæ-
culis cessavit Ordinatio, de quibus fusius agunt inter alios Chri-
stianus Lupus in Conc. Chalced. Joannes Morinus par. 3. Exerc.
10. & Pater Chardon in Hist. Sacram. lib. 1. de Ord. cap. 12.
Hos consulant, qui plura requirunt.*

*Tertius, omniumque Sacrorum Ordinum summus gradus, est
Sacerdotium. Qui vero illo præditi sunt, eos veteres Patres duo-
bus nominibus vocare solent. Interdum enim Presbyteros appellant,
quod græce seniores significat, non solum propter ætatis maturita-
tem, quæ huic Ordini maxime necessaria est, sed multo magis
propter morum gravitatem, doctrinam, & prudentiam; ut enim
scriptum est, senectus venerabilis est, non diuturna, neque anno-* Sap. 4. 8.
*rum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, & ætas
senectutis vita immaculata. Interdum vero Sacerdotes vocant, tum
quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta* Catech. Rom.
administrare, sacrasque res, & Divinas tractare. P. II. c. 7. n. 22.

Hoc loci cum clarissimo Estio notamus, in libris novi Testa- In 4. dist. 24.
menti Presbyteris Sacerdotis nomen tributum non fuisse; ut si-
gnificaretur Apostolos nihil amplius commune habuisse cum
Sacerdotibus veteris Legis, & antiquum Testamentum, vulga-
to Evangelio, fuisse prorsus abrogatum. Paucis vero post annis
Episcopi, & Presbyteri, Sacerdotes passim appellati sunt, ut

constat ex variis Divi Cypriani testimoniis; hoc tamen discrimine, quod Episcopi *Sacerdotes majores*, Presbyteri simplices *minores Sacerdotes* nuncupabantur. [L'Hermen. de Ord. cap. 23.]

Duplex Sacerdotium memorant Sacræ Litteræ; *Internum* scilicet, *& Externum. Quod ad interius Sacerdotium pertinet, omnes Fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, Sacerdotes dicuntur; præcipue vero justi, qui Spiritum Dei habent, & Divinæ gratiæ beneficio, Jesu Christi, Summi Sacerdotis viva membra effecti sunt. Hi enim Fide, quæ Charitate inflammatur, in altari mentis suæ spiritales Deo hostias immolant; quo in genere bonæ omnes, & honestæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ sunt. Quare in Apocalypsi ita legimus:* [Cap. 1. 5. 6.] Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo, & Patri suo. *Externum vero Sacerdotium non omnium Fidelium multitudini, sed certis hominibus convenit, qui legitima manuum impositione, solemnibusque Sanctæ Ecclesiæ cærimoniis instituti, & a Deo consecrati, ad aliquod proprium sacrumque ministerium adscribuntur.* [Catech. Rom. P. II. c. 7. n. 23. & 24.]

Hoc Sacerdotium reperiri in Ecclesia Dogma Fidei est. *Sacrificium* enim, *& Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento Sanctæ Eucharistiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse, visibile, & externum Sacerdotium, in quo vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino, Salvatore nostro, institutum esse, atque Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, & ministrandi corpus, & sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi & retinendi, Sacræ Litteræ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.* [Trid. Sess. 23. cap. 1. de Refor.] *Si quis* ergo *dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus & sanguinem Domini, & peccata dimittendi & retinendi, sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema sit.* [Id. ibi. Can. 1.] Quapropter Sacerdotium sic definiri potest: *est Ordo, quo traditur potestas consecrandi corpus & sanguinem Jesu Christi, & absolvendi a peccatis.*

Quare hujusmodi Ordinem esse Sacramentum inter Doctores Catholicos nemo dubitat. Conveniunt etiam, accedente allata

Con-

Concilii Tridentini auctoritate, Jesum Christum hunc Ordinem immediate instituisse, & uno ore fatentur, hunc eumdem Ordinem esse Signum sensibile, Sanctificantem gratiam producens; quod apertissime colligitur ex hisce Apostoli ad Timotheum verbis: *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetìam cum impositione manuum Presbyterii;* [1. Tim. 4. 14.] & alibi: *admoneo te*, inquit, *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* [1. Tim. 1. 6.]

Quænam vero sit *essentialis materia* hujus Ordinis, quænam *forma*, quæstio est valde agitata inter Theologos. Alii enim contendunt, *materiam essentialem* sitam esse in secunda manuum impositione facta ab Episcopo; ipsiusque *formam*, hisce verbis ab eodem Episcopo tunc prolatis, contineri: *oremus, Fratres dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia Dona multiplicet; & quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio;* alii contra *adæquatam materiam* hujus Ordinis esse volunt traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum pane; *formam* vero verba illa, quæ profert Episcopus in hujusmodi traditione: *accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis;* sunt tandem, qui tertio loco affirmant, *materiam* hujus Ordinis consistere in altera manuum impositione facta ab eodem Episcopo post Communionem, tum etiam in traditione allatarum rerum; *formamque* complecti & allata verba, & sequentia: *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

Harum Opinionum certe laudabilior, & tutior in praxi, illorum est, qui assignant pro *materia* Presbyteratus traditionem Calicis & Patenæ, & pro *forma* verba tunc ab Episcopo pronuntiata; unusquisque enim tenetur Ritum observare, qui in Latina Ecclesia per septem Sæcula ubique obtinuit; qui in Romano Pontificali, & in recentioribus Ritualibus præscribitur; quique assignatur etiam ab Eugenio IV. in suo Decreto, sive in instructione sua ad Armenos, ubi asserit materiam Ordinis eam esse, cujus traditione Ordo confertur. [Tour. de Ord. q. 3. Concl. 2.]

Si rem tamen attentius perpendemus, nobis facili negotio persuadebimus, traditionem instrumentorum esse *materiam* solummodo *integrantem* Presbyteratus, qua significatur potestas, quam Sacerdos in hujusmodi Ordinatione acquirit. De hoc enim nulla

la fit mentio in Scripturis, ubi agitur de ſacris Ordinationibus; hoc per decem ſæcula nunquam fuit in uſu in Latina Eccleſia; hoc denique nec in uſu unquam fuit, nec modo eſt apud Græcos, quorum Ritus ſemper approbavit Eccleſia. Has etiam ob cauſas cenſenda eſt *materia* ſolummodo *integrans* tertia manuum impoſitio facta ab Epiſcopo, quæ declarare tantum videtur, novis Sacerdotibus poteſtatem traditam eſſe abſolvendi a peccatis. Reliquum itaque eſt, ut concludamus cum iis, qui primam ſententiam amplectuntur & defendunt, *materiam eſſentialem* Presbyteratus ſitam eſſe in ſecunda manuum impoſitione, facta ab Epiſcopo, ipſiuſque *formam* in Oratione ſuperius allata.

Id. ibi.

Poſt Ordinationem igitur *Sacerdotis munus eſt Deo Sacrificium facere, & Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare, quemadmodum ex conſecrationis Ritibus perſpicitur. Nam Epiſcopus, cum Sacerdotem aliquem inſtituit, primum quidem manus ei una cum omnibus Sacerdotibus, qui adſunt, imponit; deinde ſtolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit; quo quidem declaratur, Sacerdotem virtute indui ex alto, qua poſſit Crucem Chriſti Domini, & jugum ſuave Divinæ Legis perferre, eamque non verbis ſolum, ſed vitæ ſanctiſſime & honeſtiſſime acta exemplo tradere. Poſtea manus ſacro oleo inungit; tum vero Calicem cum vino, & Patenam cum hoſtia tradit, dicens:* accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis; *quibus cæremoniis & verbis interpres, ac mediator Dei & hominum inſtituitur, quæ præcipua Sacerdotis functio exiſtimanda eſt. Ad extremum vero, manibus iterum ejus capiti impoſitis,* accipe, *inquit,* Spiritum Sanctum; quorum remiſeris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta ſunt; *eique cæleſtem illam, quam Dominus Diſcipulis ſuis dedit, peccata retinendi, ac remittendi poteſtatem tribuit.*

Catech. Rom. P.II. c.7. n.25.

Hinc intelligit unuſquiſque qualis ſit Sacerdotis dignitas, quantoque jure novis Sacerdotibus inquiat Epiſcopus: *ſervate in moribus veſtris caſtæ & ſanctæ vitæ integritatem. Agnoſcite, quod agitis; imitamini, quod tractatis, quatenus mortis Domini myſterium celebrantes, mortificare membra veſtra a vitiis, & concupiſcentiis omnibus procuretis. Sit Doctrina veſtra ſpiritalis medicina populo Dei. Sit odor vitæ veſtræ delectamentum Eccleſiæ Chriſti, ut prædicatione atque exemplo, ædificetis domum, ideſt, familiam Dei.*

Pontif. Rom.

Ve-

Verum tametſi *unus ſit Ordo Sacerdotalis, varios tamen Dignitatis, & Poteſtatis gradus habet. Primus eſt eorum, qui Sacerdotes ſimpliciter vocantur, quorum functiones hactenus declaratæ ſunt.* In iſtorum numero recenſentur etiam Vicarii generales Epiſcoporum, quorum vicibus antiquitus, ut notavit eruditiſſimus Thomaſſinus cum pluribus aliis, quos citat & commendat doctiſſimus Pater Berti, fungebantur ii, qui *Chorepiſcopi* appellabantur. Cæteros vero Sacerdotales gradus occupant Archidiaconi, Archipresbyteri, Pœnitentiarii, Decani, Canonici, Parochi &c. quorum munera, ac Privilegia videri poſſunt apud Canoniſtas, qui de his rebus ex officio fuſius agunt.

Catech. Rom. P.II. c.7. n.26.
De vet. & nov. Eccl. Diſcip.
DeTheol. Diſc. lib. 36. cap. 1.

Secundus gradus eſt Epiſcoporum, qui ſingulis Epiſcopalibus præpoſiti ſunt, ut non ſolum cæteros Eccleſiæ Miniſtros, ſed Fidelem populum regant, & eorum ſaluti ſumma cum vigilantia, & cura proſpiciant. Quare in Sacris Litteris Paſtores ovium ſæpe appellantur; ideo Paulus Apoſtolus eorum munus, & officium deſcribens, *attendite vobis,* ait illis, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

Catech. Rom. P.II. c.7. n.26.
Act. 20. 28.

Epiſcopi tamen nomine proprie ſignificatur, qui *præeſt*; quod nomen olim ſimplicibus etiam Sacerdotibus commune erat; præſunt enim & ipſi Clericis, & populo. Nunc tamen *Epiſcopi* nomine deſignantur ſolummodo Sacerdotes Majores, ii nimirum primi ordinis, ſive gradus. Quapropter *Epiſcopatus* ſic poteſt definiri: *eſt Ordo, quo confertur Presbyteris poteſtas adminiſtrandi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, & regendi Eccleſiam Dei.*

L'Hermen. de Ord. cap. 2.

Sæculo quarto auſus eſt Aerius, eo quod Epiſcopatus dignitas, quam ambiebat, ipſi collata non fuerat, defendere & vulgare, Epiſcopum & Presbyterum in omnibus æquales eſſe, Ordine, Honore, Poteſtate. Eumdem errorem eamdem ob cauſam ſæculo XIV. adoptavit etiam Wicleffus, cujus ſententiam Calvinus quoque, & recentiores Puritani amplexi ſunt, quorum Anteſignani, Blondellus & Salmaſius. Nos vero Catholici, Religionis noſtræ principiis inhærentes, adverſus hujuſmodi homines propugnare tenemur, Epiſcopos ex Divina inſtitutione Presbyteris & Dignitate, & Jurisdictione præſtare. Hinc *Sacroſancta Tridentina Synodus declarat . . . Epiſcopos, qui in Apoſtolorum loco ſucceſſerunt . . . poſitos, ſicut Apoſtolus ait, a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe,*

Berti deTheol. Diſc. lib. 36. c. 11
Seſſ. 23. de Refor. cap. 4.
Act. 20. 28.

se, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Quapropter ab eadem Tridentina Synodo citato loco definitum fuit, quod *si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem Confirmandi, & Ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse Presbyteris communem... anathema sit.*

Can. VII.

Tertius gradus est Archiepiscoporum, qui pluribus Episcopis præsunt, qui Metropolitani etiam vocantur, quod illarum Urbium Antistites sint, quæ tanquam matres habeantur illius Provinciæ. Quare superiorem, quam Episcopi, locum, & ampliorem potestatem habent, tametsi ab Episcopis Ordinatione nil differunt.

Catech. Rom. P.II. c. 7. n. 16.

Hujusmodi Antistites, infra memorandi, Pallii Privilegio gaudent. Sic illud egregie describit Innocentius III.: *Pallium est ornamentum de candida lana contextum desuper habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte pendentes, quatuor Cruces purpureas* (quæ tamen modo sunt nigræ), *ante, retro, a dextris, & a sinistris. Tres etiam acus aureæ infiguntur Pallio, ante pectus, super humerum, & post tergum; super humerum dexterum non infigitur. Hæc quælibet acus pretiosum continet lapidem.* Hoc Pallium, ut putat Durandus, substitutum fuit antiquo Superhumerali, quo olim utebantur Summi Sacerdotes. Significat pellem ovis errantis, quam Dominus humeris suis sustulit. Auctorem hujus ornamenti putant Sanctum Linum, qui sedit post Sanctum Petrum. Pallium mittitur a Papa, acceptum ex sepulchro SS. Apostolorum, Petri & Pauli. Quamvis sit proprium Archiepiscoporum, ex Privilegio tamen *Pallium* habent etiam aliqui Episcopi. *Varias de eodem Pallio notiones collegit Dominicus Magri in suo Dictionario, & de eo fuse agit P. Marcus Paulus Leo in lib. cui titulus* de auct. & us. Pal. Pontif.

De offic. Miss.

S. Isid. Pelus. ep. 136.

Metropolitanis præsunt Primates, qui videntur Sæculo IV. instituti, & in Occidente Vicarii Pontificum hoc nomine insigniti erant, ut probat Epistola Vigilii Papæ ad Aurelianum Arelatensem, Galliarum Primatem. *De Primatuum jure, & officio plura scitu digna reperiuntur in Decr. Grat. & apud Canonistas.*

In quarto gradu Patriarchæ collocantur, idest primi supremique Patres. Olim in universa Ecclesia, præter Summum Romanum Pontificem, quatuor tantum Patriarchæ numerabantur, nec omnes

omnes tamen dignitate pares. Nam Constantinopolitanus, etsi ad eum post omnes alios hic honos delatus est, tamen ob Imperii majestatem altiorem locum obtinuit; proximus est Alexandrinus, cujus Ecclesiam Marcus Evangelista jussu Principis Apostolorum fundavit; tertius est Antiochenus, ubi Petrus primo sedem locavit; extremum gradum habet Hierosolymitanus, quam Ecclesiam Jacobus frater Domini rexit.

Catech. Rom. P.II. c. 7. n. 17.

Hisce quatuor Patriarchis successu temporis alii quatuor additi fuerunt; Aquilejensis scilicet, quem Benedictus XIV. tandem suppressit, Gradensis, seu Venetus, Indiarum, & Ulyssiponensis. Hi omnes habent sua jura peculiaria, suaque officia, de quibus singillatim agunt Canonistæ.

Præter hos omnes Catholica Ecclesia Romanum Pontificem Maximum, quem in Ephesina Synodo Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopum totius orbis, terrarum Patrem, & Patriarcham appellat, semper venerata est. Cum enim in Petri Apostolorum Principis Cathedra sedeat, in qua usque ad finem sedisse constat, summum in eo dignitatis gradum, & jurisdictionis amplitudinem, non quidem ullis Synodicis, aut aliis humanis constitutionibus, sed divinitus datam agnoscit. Quamobrem omnium Fidelium, & Episcoporum, cæterorumque Antistitum, quocunque illi munere & potestate præditi sint, Pater ac Moderator, universali Ecclesiæ, ut Petri Successor, Christique Domini verus & legitimus Vicarius, in terris præsidet. Ex hisce igitur gradibus componitur Ecclesiastica Hierarchia divinitus instituta, de qua opus edidit, valde copiosum & eruditum, celeberrimus Pater Abbas Bacchini Cassinensis; & quoniam brevitatis studium vetat plura hic addere, ut lectores nostri habeant, a quibus plura possint edíscere, memorabimus duos Scriptores, qui de hac re fusius & accuratius agunt; Thomasinum scilicet *de vet. & nova Eccl. Discip.* & Christianum Lupum *in not. ad Conc. Gen.*

Id. ibi n. 18.

Trid. Sess. 23. Can. VI.

Ordinis igitur usque modo gradibus omnibus expositis, & explicata uniuscujusque essentia & officiis, nunc diligenter inquirendum est, quæ conditiones requirantur in iis, qui ordinandi sunt; harum enim aliqua deficiente, modo *invalida*, modo *illicita* tantum, fieri potest Ordinatio.

Ut ab iis ergo exordiamur, quæ *invalidam* reddunt Ordinationem, Doctores omnes conveniunt adversus Montanistas aliosque Hæreticos, qui fœminas etiam Sacerdotio dignas esse temere asseruerunt, viros solummodo suscipiendorum Ordinum capa-

capaces eſſe. Sane a cuſtodibus veræ Religionis, ut Scripturæ
ſacræ teſtantur, tum in Lege naturali, tum in ſcripta, &
gratiæ, ad ſacra miniſteria exequenda viri tantum ſemper ad-
Cap. 2. 11. 12. miſſi fuerunt. Hinc Apoſtolus prima ad Timotheum ſcribens,
mulier, inquit, *in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione; docere
autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; ſed eſſe
in ſilentio;* quibus verbis mulieres ad hujuſmodi miniſteria,
ideoque & ad alia multo graviora ineptas declaravit. Silentium
illud apertiſſimis verbis alibi mulieribus præcepit, & inculca-
1. Cor. 14. 34. 35. vit idem Apoſtolus: *mulieres*, ait, *in Eccleſiis taceant; non e-
nim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & Lex dicit.
Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent; tur-
pe eſt enim mulieri loqui in Eccleſiis.*

Conſentiunt etiam Doctores in afferendo, ad Sacros Ordines
ſuſcipiendos pares eſſe non poſſe, qui prius non fuerint bapti-
zati. Baptiſmus enim janua eſt, per quam patet aditus ad cæ-
tera Sacramenta, & inter Sacramenta, uti apertiſſime declarat
Eugenius IV. in ſuo Decreto, principem locum obtinet; per
ipſum enim ſolummodo Eccleſiæ membra efficimur. Omni igi-
Can. XIX. tur jure in Nicæna Synodo, de Clericis Paulianiſtarum, bapti-
zatis abſque invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, definitum fuit,
ut prius iterum baptizarentur, deinde iterum ordinarentur; ex
eo enim quod invalidus fuerat eorum Baptiſmus, invalidæ e-
tiam fuerunt eorum Ordinationes. Eadem de cauſa ſtatutum
fuit Cap. *ſi quis* ex Concilio Compendienſi can. 15., & cap.
veniens. Extra *de Presbyt. non baptiz.* quod, ſi conſtet aliquem
Sacerdotem ordinatum fuiſſe, quin prius Baptiſmum ſuſcepe-
rit, baptizetur, & inde rurſus ordinetur.

In 4. diſt. 25. q. 2. Contendit præterea Durandus, invalidam eſſe Ordinationem
puerorum, qui uſum rationis ſatis expeditum adhuc non ha-
bent, & amentium, qui illum amiſere. Hæc ſententia a Theo-
q. 4. de Ord. a. 4. logis paſſim rejicitur, quod ipſe Tournely fateri non dubitat,
licet illam apertiſſimis verbis ſe amplecti declaret, eo quod
cum praxi Eccleſiæ magis cohærere ipſi videatur. Quamvis igi-
tur ab Eccleſia determinatum fuerit, ut modo videbimus, qua-
nam ætate quis canonice poſſit ordinari, Character tamen im-
primi videtur in iis etiam, qui expedito rationis uſu ſunt deſti-
tuti. Quod ex eo evincitur, quod in Sacramentis, quæ Cha-
In 4. diſt. 25. q. 2. a. 1. racterem imprimunt, ut demonſtrat Divus Thomas exemplo
Baptiſmatis & Confirmationis, nullus actus in ſuſcipiente re-
qui-

quiratur; tum etiam quia ex primo Canone Secundæ Toleta-
næ Synodi, & decimo nono Concilii Carthaginenſis, & ex
Litteris Siricii & Zozimi, certiſſime conſtat, quod antiquitus
aliquando a parentibus filii teneræ admodum ætatis Deo ſacra-
bantur, ipſiſque illico conferebatur Tonſura ſaltem, & primus Morin. p. 3. de Sacr. Ord. Exerc. 15.
Ordo. Verum tamen eſt, neminem Cælibatus lege poſſe obs-
tringi, qui ætatem non habeat, in qua, deliberato ſuæ volun- Conc. Ancyr. Can. IX.
tatis actu, tali Legi ultro ſe ſubjiciat.

Quo ad eas vero conditiones, quæ neceſſariæ ſunt, ut non
ſolum *valida*, ſed etiam *licita*, haberi debeat Ordinatio, requi-
runt Theologi *convenientem Ætatem; Ordinandum nulla Irregu-
laritate irretiri; Scientiam; morum Probitatem; Obſervantiam
Interſtitiorum; Promotionem ad antecedentes Ordines per ſuos gra-
dus, & non*, ut ajunt, *per ſaltum; Titulum Clericalem;* tan-
dem *Vocationem*.

Primo igitur nemo licite ordinari poteſt, niſi *convenientem
Ætatem* habeat; eam ſcilicet ætatem, quam ſapienter ſuis De-
cretis determinavit Eccleſia. Quo ad Tonſuram & minores
Ordines, videtur Tridentinum Concilium, arbitrio & prudentiæ Seſſ. 23. de Refor. cap. 11.
Epiſcoporum commiſiſſe, ut illam, minoreſque Ordines confe-
rant, cum id opportunum duxerint, & iis conferant, qui ip-
ſis idonei videantur; & illud ſolum injunxit, ut nemo, Latinæ Ibi cap. 6.
linguæ ignarus, minoribus Ordinibus poſſet initiari, nec ullum
Beneficium obtineret, qui ad ætatem quatuordecim annorum
non pervenerit. Ad Majores vero Ordines quod ſpectat, quam- V. Berti de Theol. Diſcip. lib. 37. cap. 17.
vis antiqui Canones majorem maturitatem, majoremque æta-
tem requirerent, eadem Tridentina Synodus præſcribit, ut Seſſ. 23. de Refor. cap. 12.
*nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum
ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyte-
ratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur;*
qui tamen, juxta præſentem Eccleſiæ praxim, ſatis eſt, ſi ſit
incœptus. DD. com.

Oportet deinde, ut qui ad Ordines ſunt promovendi, ſolu-
ti ſint, & liberi a quacunque *Irregularitate. Hæc eſt Canonicum
Impedimentum, quo prohibetur ſuſceptio Ordinum, & ſuſceptorum
exercitium*. Differt a *Cenſura*, ut alibi diximus, quod iſta ſem- Lib. 2. pag. 267.
per ſit pœna medicinalis ob aliquam culpam inflicta, & ad
emendationem delinquentis ordinata; illa vero præcipue & im-
mediate ſtatuta ſit, non ad punitionem & emendationem de-
linquentis, ſed ad honorem Sacri Miniſterii, quod poſtulat, ut

ad

ad Altaris ministerium non assumantur, nisi qui sint integri corpore, & animo puri; unde non necessario supponit culpam, ut Censura.

Interea animadvertimus, quod eadem ratione, qua Irregularitas impedit omnium Ordinum susceptionem, impedit etiam, ut constat ex praxi Ecclesiæ, susceptionem Clericalis Tonsuræ; quæ licet juxta communiorem Sententiam non sit verus Ordo, est certe ad Ordines proxima dispositio, quæ homines reddit capaces ad obtinenda Ecclesiastica Beneficia.

Cap. is qui de Sent. Excom. in 6.

Notandum quoque præterea, convenientibus Doctoribus, primo Irregularitatem contrahi solummodo ob eas rationes, quæ recensentur in Canonica Lege; contrahi etiam, quin feratur sententia, ob defectum, & crimen occultum; & non tolli per Absolutionem, sed per Dispensationem. Secundo posse quempiam pluribus Irregularitatibus etiam ejusdem speciei detineri ob idem crimen pluries repetitum; quare obtinens Dispensationem Irregularitatis cum expressione alicujus causæ, non censetur dispensatus in omnibus ab aliis Irregularitatibus, contractis ex alia causa non expressa, nisi Superior intendat generaliter dispensare; nam una Irregularitas potest sine alia auferri, sicut potest sine alia induci. Tertio Clericum irregularem licite obire posse omnia munera sacra, quæ laico competunt, ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, Sacramenta recipere, excepta Ordinatione. Quarto Irregularitatem licet illicitum reddat usum susceptorum Ordinum, non prohibere usum Jurisdictionis, quæ potest exerceri sine actu Ordinis; hinc Parochus irregularis potest delegare ad Sacramenta suis Parochianis ministranda, quamvis ei non liceat illa ministrare. Quinto tandem, quamvis Irregularitas inhabilem reddat ad Beneficium recipiendum, eo quod annexam habeat obligationem alicujus actus ad Ordinem pertinentis, irregulares tamen non privari Beneficio antea obtento, nec ejus fructibus, dummodo recitent Horas, & alia munera, ad Beneficium spectantia, per alium exerceri curent.

Cap. ult. de temp. in 6.

Ant. de Censf. cap. 5.

Cap. 18. *de Sent.* Excom. in 6.

Cap. 5. *ne Cler. vel Mon.*

Quoniam vero multiplices sunt causæ, ob quas contrahi potest *Irregularitas*, ideo dividitur *Irregularitas* in eam, quæ est *ex defectu inculpabili*; scilicet ex defectu *animi*, *corporis*, *natalium*, *ætatis*, *libertatis*, *bonæ famæ*, *lenitatis*, *sacramenti*, seu *significationis*. Irregularitates vero *ex delicto* sunt hæ quatuor, quæ sequuntur; prima nimirum *ex homicidio*, *& ex mutilatione*; secunda ex *Apostasia a Fide*, vel *Heresi*; tertia ex *iteratione Baptismi*; quarta deinde ex *illicita susceptione*, vel *usu Ordinis*.

L'Herm. Diss. de Irreg.

Ex defectu animi sunt irregulares, qui recta ratione uti non valent; ideoque irregulares sunt Pueri, Amentes, Furiosi, Energumeni, Lunatici, Illiterati, seu non habentes Doctrinam necessariam; *item* Neophiti, seu adulti ad fidem recens conversi a Paganismo, aut Judaismo, dummodo singularia non præbeant Pietatis & Devotionis argumenta.

Cap. *Illiteratos.*

Conc. Laod. Can. III.

Ex defectu corporis irregularis est quicunque talem habet corporis deformitatem, aut morbum, ut vel non possit absolute, vel nonnisi cum magna indecentia, vel periculo, vel spectantium offensione, exercere actus Ordinum. Hinc irregulares sunt cæci, surdi, enormiter claudi, sinistro oculo carentes &c. Irregulares sunt etiam, qui membrum aliquod absque justa causa sibi amputaverunt; secus si ob aliquam infirmitatem, & sine propria culpa illud amiserunt.

Tit. *de corp. vitiat.* dist. 55.

Cap. *cum decorem* tit. *de fil. Presbyt.*

Ex defectu natalium irregularis est quicunque illegitimus, etiam occultus, sive *spurius* sit, sive *naturalis*; idque ob reverentiam Ordini debitam, & ad amovendam, ut notat Tridentina Synodus Sess. 25. cap. 15., a Sacris Altaribus memoriam incontinentiæ genitorum. Excipiendi tamen sunt filii naturales legitimati per subsequens Matrimonium. Per solemnem etiam Religionis Professionem deletur Irregularitas quoad omnes Ordines suscipiendos, non tamen quoad Prælaturas, ad quas nunquam possunt ascendere. Si vero illegitimi habendi sint filii, qui exponuntur, magna est controversia inter Canonistas, quorum alii asserunt, habendos esse tanquam legitimos, cum res dubia sit, ideoque non esse irregulares; alii contra propugnant, satis esse moralem certitudinem, ut censeri debeant spurii, propterea que irregulares. *Docet eruditissimus Ivenin* Diss. 12. de Censf. q. 6. c. 1. a. 7. *post millesimum annum solummodo inter Irregularitates recensitum fuisse* defectum natalium.

Cap. *cum decorem* tit. *de fil. Presb.* eod.

Cap. 6. *qui filii sint leg.*

Cap. *nisi* dist. 56

L'Herm. Diss. de Irreg.

Circa *ætatis defectum* satis esse possunt, quæ attulimus supra, cum agebamus de ætate a Sacris Canonibus requisita in iis, qui ad Ordines promoveri volunt. Cum enim definierit Ecclesia, quanam ætate quilibet Ordo sit conferendus, sequitur necessario, illum irregularem fieri, qui consulto & malitiose ante legitimam ætatem aliquem Ordinem susceperit. Declaravit enim in sua quadam Bulla Pius II., eos, qui sic ordinati sunt, ipso facto ab exercitio suscepti Ordinis suspendi; cui Decreto, qui

Cum ex Sacror.

qui parere detrectaverit, incurrit illico Irregularitatem, consentientibus gravioribus Theologis, Summo Pontifici reservatam.

Ex *defectu libertatis* excluduntur ab Ordinibus Mancipia, nisi prius a Dominis libertate donata fuerint; Curiales etiam, qui scilicet ex officio negotiis sæcularibus implicantur, & Procuratores, Advocati, Notarii, Milites &c. quandiu talia officia exercent. Ii tandem, qui obligantur ad ratiocinia reddenda, non debent ordinari, nisi depositis oneribus, & redditis ratiociniis.

1. Decr. tit. 18. *de ferv. non ord.*

Cap. 4. *de Cler. vel Mon.* 3.

Cap. un. de obl. ad rat.

Defectus bonæ famæ idem est ac *infamia*, quam contrahunt aliquando ii etiam, qui a culpa sunt prorsus immunes. Duplex est Infamia, *Juris* scilicet, & *Facti*. *Infamia juris* est ea, quæ imponitur a Jure, seu Canonico, seu Civili; & irregulares ideo sunt Astrologi, Circulatores, Comœdi, Usurarii &c. *Infamia facti* est publica notitia, seu opinio, commissi criminis, per quod fama hominis, spectatis personæ qualitate & statu, apud prudentes graviter læditur; sic ex. gr. irregulares sunt ebriosi. Sive vero *juris* sit Infamia, sive *facti*, per Sacros Canones infames omnes sunt irregulares; hoc tamen discrimine, quod Irregularitas, ex *facto* proveniens, tollitur absque Dispensatione per publicam & constantem vitæ emendationem, quæ prioris vitæ maculas, non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum, absterserit; Irregularitas autem ex Infamia *ipso Jure*, vel per *Judicis sententiam* contracta ob crimen notorium, non tollitur nisi per Dispensationem.

Cap. *infam.* 6. q. 1.

Cap. 54. de testibus.

Ex *defectu lenitatis* Irregularitatem contrahit, qui Christi mansuetudinem se non imitari violentis factis palam ostendit. Hinc irregulares sunt, *qui voluntarie & proxime, licet juste, concurrit ad hominis necem, aut etiam mutilationem, effectu secuto*. Dixi *voluntarie concurrit*: ille enim irregularis certe non esset, qui absque culpa pro sui defensione aliquem occideret *cum moderamine*, ut loquuntur Canonistæ (*a*), *inculpatæ tutelæ*. Dixi *proxime concurrit*, scilicet lege, officio, intentione, actu &c. hinc irregulares sunt Judices ferentes sententiam mortis, vel mutilationis, eorum Assessores, omnesque Ministri Justitiæ, ad eam exequendam auctoritate publica concurrentes, uti Notarii, Scribæ, Accusatores, Testes, Advocati, & Procuratores Regii, Carnifices &c. Non sunt autem irregulares, qui *remote* ad ferendam sententiam sanguinis, vel ad ipsam exequendam concurrunt. Princeps ex.

Cap. *si quis viduam* dist. 50.

Cap. *si furiosus* (a) Clem. de Homic.

ex. gr. condendo Leges capitales, earumque observantiam injungendo; Episcopus tradens degradatum Justitiæ sæculari; qui tamen debet juxta Canones pro eo intercedere, ut citra sanguinem puniatur; armorum Artifices, nisi ea alicui vendant, vel tradant, quos certo sciant usuros esse ad necem alicui inferendam; Theologi & Canonistæ, qui Judici præbent consilium, vel Prædicatores, qui eumdem hortantur, ut reos secundum Leges puniat; Confessarius hortans reum ad fatendam veritatem, ad complices denuntiandos, justamque sententiam patienter subeundam, vel generatim dicens, puniendos esse malefactores &c. Dixi præterea *ad hominis necem*, *aut mutilationem*, *effectu secuto*; ad contrahendam enim Irregularitatem semper requiritur, ut sequatur effectus; scilicet vel mors, vel mortis imminens periculum, vel oculi, narium, manus &c. aliarumve partium mutilatio. Dixi tandem *licet juste*, ad distinctionem hujus *Irregularitatis* ab alia *Irregularitate*, quæ contrahitur *ex delicto homicidii*, *vel mutilationis*, de qua agemus infra; Irregularitas enim, de qua loquimur, modo contrahi potest absque ulla culpa, uti eam contrahunt Carnifices, muneri suo obsequentes.

Ibi.

Quærunt autem Theologi ad hanc rem, utrum irregulares habendi sint etiam Medici & Chirurgi, cum opera, vel consilio ad mutilationem alicujus membri concurrunt, vel alienam mortem accelerant, cum iidem conveniant, eos, qui militiæ nomen dederunt, si certi sint, ad effusionem sanguinis se operam suam nunquam contulisse, irregulares non esse. Medici igitur & Chirurgi videntur quidem non esse irregulares; in ipsis enim, dum recte ea exequuntur, quæ ipsorum ars præcipit, nullus *defectus lenitatis* præsumitur, vel apparet. Nihilo tamen minus Sacri Canones vetant Clericis exercitium illius Chirurgiæ partis, in qua ferro & igne utendum est, etiamsi id solo Charitatis titulo peragant.

Cap. *petitio* de Homic.

L'Hermen. de Irreg.

Cap. *Sententiã* tit. *ut Cler. vel Mon.*

Irregularitas *ex defectu sacramenti*, seu *significationis Sacramenti*, est *Bigamia*, seu Matrimonii multiplicatio. Dicitur *defectus sacramenti*, vel *significationis*, non eo quidem quod secundæ Nuptiæ, legitime contractæ, Sacramentum non sint, sed quia Bigamus perfecte non repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, cum carnem suam in plures uxores diviserit. Quam ob causam *Bigami* omnes irregulares sunt, quod docet Apostolus & in prima ad Timotheum cap. 3. & in alia ad Titum Epistola cap. primo, ubi vetat promotionem illius, qui duas uxo-

S Th. in 4. dist. 27. q. 3. a. 1. q. 1.

uxores habuerit, ad Diaconatum, Sacerdotium, vel Episcopatum.

Bigamìa autem secundum Canonistas dividitur in Bigamìam *veram*, *interpretativam*, & *similitudinariam*. *Bigamìa vera* est ea, qua quis duas uxores legitime & successive duxit, & cum eis post, vel etiam ante Baptismum, Matrimonium consumavit. *Interpretativa* est ea, qua aliquis ex Juris interpretatione habetur Bigamus, quamvis cum duabus non contraxerit. Hac Bigamìa laborat, qui viduam duxerit, aut mulierem ab altero corruptam; ex Juris enim interpretatione censetur carnem suam in plures divisisse; in neutro enim casu exhibetur unio Christi cum Ecclesia, Sponsa sua intacta & immaculata. *Bigamìa* tandem *similitudinaria* est ea, qua quis per solemnem Religionis Professionem, vel post susceptum Ordinem Sacrum, cum aliqua contraxit Matrimonium, illudque consumavit; sicut etiam si quis Matrimonium consumavit cum persona, quæ fuerit castitatis voto obstricta. *Circa allatos defectus plura habet scitu digna Gaspar Ivenin* Diss. 22. de Cens. q. 6.

V. Van-Espen. p. 2. tit. 10. c. 2. Cap. *nuper* Extra de *Big. non ordin.*

Ibi.

Quantum vero spectat ad *Irregularitates ex delicto*, primo certe contrahitur Irregularitas ex *homicidio*, & *mutilatione*, culpabiliter & injuste commissis, sive *physice*, sive *moraliter*; mandato scilicet, consilio, precibus, auxilio, favore &c. *directe*, vel *indirecte*, aut etiam *negativa cooperatione*, non impediendo homicidium, vel mutilationem, cum ex justitia teneretur impedire. Contrahitur etiam hujusmodi Irregularitas, quidquid contradicat Van-Espen, doctissimus Canonista, ob *homicidium casuale culpabile* (a); quod contingit, cum quis nec necem, nec mutilationem intendit, nec secuturam prævidet; sed vel prævidere potuit, vel debitam diligentiam non adhibuit, ne accideret; vel dedit operam rei *illicitæ*, & periculosæ, ex qua mors, vel mutilatio præter intentionem secuta est; sic ex. gr. ebrius, si quempiam occidat, fit irregularis; id enim egit ex actione *illicita*, nimirum ex ebrietate. Sic pariter Irregularitatem incurrit ex. gr. Sacerdos, qui juvenem, eo quod in aliqua re defecerit, manu, vel fustibus adeo multat, ut illius mors sequatur; non prævidit enim, ex illius pœnæ severitate talem effectum secuturum esse. Ii tandem irregulares fiunt, qui in sui defensionem alium occidunt, nisi id fiat, cum *moderamine inculpatæ tutelæ*; hoc est, si aggressus ab aggressore eo sit adductus, ut, nisi invasorem occidat, vel mutilet, mortem aliter nullo modo

V. Nat. Alex. de Sacr. Ord. c. 4. a. 8.

P. 2. tit. 10. c. 8. §. 14.

(a) Cap. *continebatur* Extra. de Hom. vel cas.

Cap. *Presb.* tit. eod.

modo vitare non valeat. Quare sapientissime statuit Tridentina Synodus, ut, *qui sua voluntate homicidium perpetraverit, ... nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit ... Si vero homicidium, non ex proposito, sed casu, vel vim repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & Beneficia quæcunque, ac Dignitates, jure quodammodo Dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, ... qui, nonnisi causa cognita, dispensare possit.*

Cap. *significasti.* Extra de Homic. Sess. 14. de Refor. cap. 7

Quid vero modo dicendum est de eo, de quo, utrum aliquem occiderit, an non, rationabiliter dubitari potest? Circa hoc respondit Innocentius III., dubitantem de homicidio, a se perpetrato, teneri abstinere ab usu Ordinum; cum in dubiis semitam sequi semper debeamus tutiorem.

Cap. *significasti.* Extra de Homic.

Secunda species Irregularitatis *ex delicto*, nimirum *Hæresis*, & *Apostasìa a Fide*, secundum Jus Canonicum complectitur Hæreticos, Hæreticorum fautores, & illorum etiam filios, usque ad secundam generationem in linea masculina, & ad primam in fœminina. Hæc Irregularitatis species, ut animadvertunt plures gravissimi Auctores, locum non habet in Gallia, neque in Germania, quibus in locis absque licentia ad Sacros Ordines, & ad Beneficia promoventur Hæretici ipsi, propterea que etiam ipsorum filii. Hæc Irregularitas extenditur etiam ad Judæos, Infideles, Neophytos, & Apostatas.

Cap. *quicunque* de Hær. in 6.

Cap. *statutum.* Antoi. de Cens. cap. 5.

DD. ex var. Can.

Tertio ex *iteratione Baptismi* evadunt irregulares scienter Rebaptizatus, Rebaptizans, qui Rebaptizanti ministrat, & ii etiam, qui extra necessitatem permittunt se ab Hæretico baptizari. Hæc pœna ab Ecclesia inflicta fuit præcipue contra Donatistas, qui rursus baptizabant eos, qui legitime in Catholica Ecclesia fuerant baptizati. Verum non solum irregulares non sunt, sed maxime sunt commendandi, qui debita Ecclesiæ reverentia rursus *sub conditione* Baptismum ministrant, cum certo non constat aliquem legitime fuisse baptizatum.

Cap. *confirmando* dist. 50. & Cap. *ex litterarum* tit. de *Apost.*

L' Herm. de Irreg.

Quarto tandem Irregularitas incurritur ex *illicita susceptione*, vel *usu Ordinis*. Hinc irregulares sunt, qui furtive suscipiunt Ordines; hoc est, qui, deficientibus dimissorialibus Litteris, vel non examinatus, vel non admissus, vel, alio propter se ad subeundum examen submisso, dolose se ingerit inter Ordinandos; ii etiam, qui *Excommunicatione Majore*, vel alia *Censura* obstricti, Ordines audent suscipere, & eorum munera exercere; qui ordinati *per saltum* (de quibus infra) Superioris Ordinis acta exer-

Cap. *veniens* tit. de eo, qui.

Cap. *cum illorum* tit. de Sent. Excom.

exercent, antequam inferiorem ſuſcipiant; qui poſt contractum Matrimonium, licet non conſumatum, ordinatur, invita uxore; ii tandem, qui functiones peragunt Ordinis, quem non habent. Ii tamen aliquando ab Irregularitate ſunt immunes; tunc nimirum, cum id faciunt, quin advertant, verſanturque in ignorantia, *non affectata*. Sic non fieret irregularis ex. gr. Acolythus, qui neſciens Manipulum eſſe Subdiaconatus inſigne, in ſolemni Miſſa cum Manipulo caneret Epiſtolam. Cum enim graviſſima pœna ſit Irregularitas, quæ contrahitur *ex Delicto*, præſumitur etiam gravis culpa.

Cap. *Sollic.* Extra *antiq. de vot.* Cap. *ſi quis tit. de Cler. non ord.*

L' Herm. de Irreg.

DD. com.

Supereſt modo, ut aliquid dicamus de abſolutione ab Irregularitate. Sunt igitur quædam Irregularitates *ex defectu*, quæ tolluntur abſque Diſpenſatione, recedentibus iiſdem defectibus. Hinc ex. gr. tollitur Irregularitas procedens ex ignorantia, vel cæcitate, ſcientia, & oculorum uſu. Irregularitas vero ex *defectu natalium*, ut notavimus ſupra, deſinit per legitimum Matrimonium, vel per ſolemnem Profeſſionem. Exceptis duobus hiſce Caſibus, ut docent graviores Theologi, Summus tantum Pontifex, qui certe ab omnibus omnino Cenſuris poteſt abſolvere, diſpenſare poteſt ab Irregularitatibus, quæ ſaltem ad Sacros Ordines pertinent; ab iis enim, quæ ſpectant ad Tonſuram, vel ad minores Ordines, vel ad aliquod ſimplex Beneficium, cui annexa non ſit animarum cura, etiam Epiſcopus poteſt diſpenſare.

Cap. *is qui tit. de filiis Presb.*

Cap. eod.

Qui vero ſint Caſus, in quibus Epiſcopus abſolvere valeat a Cenſuris, quique tantum Summo Pontifici reſerventur, declarat ſequentibus verbis Tridentina Synodus: *liceat Epiſcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque Caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in ſua Diœceſi, per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere.*

Seſſ. 14, cap. 6. de Refor.

Ex hujuſmodi Tridentini Concilii declaratione colligimus primo, Epiſcopum diſpenſare poſſe ab Irregularitatibus *ex delicto*, & eo loci nullam allatum Concilium feciſſe mentionem de Irregularitatibus *ex defectu*; colligimus ſecundo, Concilium coarctaviſſe Epiſcoporum auctoritatem ad abſolvendum ab Irregularitatibus tantum *occultis*; cumque excipiat Irregularitatem

ex voluntario homicidio, nihilque addat, ſequi, non voluiſſe excipere Irregularitatem, quæ contrahitur *ex mutilatione*; colligitur tertio, Epiſcoporum auctoritatem extendi ſolummodo in ſibi ſubditos, in quorum tamen numero continentur, ex graviſſimorum Theologorum interpretatione, Religioſi etiam exteri, qui habitant in eorum Diœceſi; colligitur denique, Sacroſanctam Synodum hujuſmodi auctoritatem conceſſiſſe Vicariis Generalibus, ab Epiſcopo ad id præcipue delegatis; quapropter errare videntur Doctores, qui putant, Capitulum, *Sede vacante*, non habere hanc auctoritatem; cum pateat rem eſſe meræ juriſdictionis.

L' Herm. de Irreg.

Id. ibi.

Tertia conditio, qua remota, licita eſſe non poteſt Ordinatio, eſt *Scientia*. Neque in Sacerdote *ea ſolum cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum uſum & tractationem pertinet, ſed etiam Sacrarum Litterarum Scientia inſtructum eſſe oportet, ut populo Chriſtianæ Fidei myſteria, & Divinæ Legis Præcepta tradere, ad virtutem & pietatem excitare, a vitiis revocare Fideles poſſit. Sacerdotis enim duo ſunt munera, quorum alterum eſt, ut Sacramenta rite conficiat, & adminiſtret; alterum, ut populum fidei ſuæ commiſſum, iis rebus & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, erudiat. Malachias enim ita teſtatur:* labia Sacerdotis cuſtodient Scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.

Cap. 2. 7.

Catech. Rom. P.II. c.7. n. 32.

Quarto loco in eo, qui Sacerdos creandus eſt, *vitæ & morum integritas* commendetur, magnopere oportet. *Oportet* enim, quemadmodum in ſuis Litteris ſæpe ſæpius admonet Apoſtolus, *oportet*, inquam, *Epiſcopum*, & quemlibet Eccleſiæ Miniſtrum, *irreprehenſibilem eſſe; ſine crimine, ſicut Dei diſpenſatorem; non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum Doctrinam eſt fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in Doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Hinc prohibent Sacri Canones, *exteros* & *advenas* ad Sacros Ordines promovere; non enim certo conſtat de bonis eorum moribus, & vitæ integritate; *Neophytos* etiam, qui, quemadmodum ſcribit Siricius Summus Pontifex ad Imerium, quamvis per Baptiſmum ab omni ſcelere mundati fuerint, tamen Sacramenta ipſis adminiſtrare non licet, cum vaſa fuerint iniquitatis; *homicidas* præterea, *apoſtatas*, *adulteros*, *uſurarios &c.* Et Eccle-

1. Tim. 3. & ad Tit. 1.

V. Berti de Theol. Diſc. lib. 25. cap. 27.

L' Hermen. de Ord. cap. 12.

sia tandem per duodecim Sæculorum spatium consuevit a Sacris Altaribus eos removere, qui de occultis criminibus publicam egerant pœnitentiam. Licet vero ejusdem Ecclesiæ Disciplina posterioribus temporibus mitior & facilior facta sit, & occulta peccata non sint amplius impedimentum ad Ordines suscipiendos, tamen ea fuit semper Ecclesiæ mens, ut ii tantum se sistant ordinandos, qui convenienti pœnitentia peccata sua redemerint. Sed quoniam de hac re, spectata hodierna Ecclesiæ praxi, nonnisi Confessarii judicare possunt, ad ipsos spectat accurate inquirere, utrum eos, qui ad Ordines aspirant, peccatorum suorum, quæ ad eorum pedes confessi sunt, sufficienter pœnituerit. Quod, si id non constet, putant saniores Theologi, stricte teneri Confessarios, ipsis absolutionem constantissime negare, ut tali pacto cogantur a sacris Altaribus recedere, donec, uti par est, ad tantum ministerium se præparent, atque disponant.

Nic. I. Can. X. & Tol. IV. Can. XIX.

Grat. dist. 50. Decr.

L' Hermen. de Ord. cap. 12.

Quinto requiritur *Interstitiorum observantia*. Tribus de causis statuit Ecclesia, ut, uno Ordine suscepto, ad alium Ordinem nemo promoveatur, quin certum temporis spatium elapsum fuerit. Prima ut Ordinandus, ministerium suum exercendo, perfectiorem notionem munerum suorum acquirat. Secunda, ut qui ad Sacerdotium promovendi sunt, gradatim Dogmatibus nostræ Religionis, ut decet Ministros Dei & Ecclesiæ, imbuantur, Ecclesiasticamque Disciplinam ediscant, & ad ejus normam mores suos conforment. Tertia tandem, ut de iis, qui inferiores Ordines susceperunt, & ad Superiores aspirant, periculum fiat; iique unice ad Sacerdotium promoveantur, qui virtute, & cæteris qualitatibus excelluerint, quæ ad tantum officium necessario requiruntur.

Nat. Alex. de Ord. cap. 3. a. 14. reg. 8.

V. Berti de Theol. Discip. lib. 36 cap. 19.

Quamvis autem varia fuerit Ecclesiæ Disciplina circa tempus, quod intercedere debet inter susceptionem unius Ordinis & promotionem ad alium, modo tamen pro canone & regula habetur, quod sapienter definivit Tridentina Synodus, quæ sic ait: *minores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporis interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur... atque de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros, & superiores Ordines reverentia, & crebrior quam antea, corporis Christi communio, maxime comprobabunt.... Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur* (sicut etiam deinde statuit eadem sacra Synodus de promovendis ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum), *nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat*; quando scilicet, deficiente aptorum Ministrorum numero, tam in Missarum celebratione, quam in aliis Ecclesiasticis ministeriis, præscripta ab Ecclesia munera per jam ordinatos impleri non possint.

Sess. 23. de Refor. cap. 11.

Id. ibi cap. 13. & 14.

Tour. de Ord. q. 4. a. 4.

Sexta conditio est promotio ad Ordines *per suos gradus*, non *per saltum*. *Per saltum* ordinari dicitur, qui suscipit Ordinem superiorem, inferiore non suscepto, ex. gr. si Subdiaconus ordinaretur Sacerdos, quin prius promotus fuerit ad Diaconatum. Quamvis autem Græci, omissis cæteris minoribus Ordinibus, a *Lectoratu* incipiant; & quamvis, uti animadvertit Divus Thomas, & variis exemplis ab Ecclesiastica Historia depromptis, comprobat Clarissimus Ivenin, primis Ecclesiæ Sæculis aliqui continuo a Laicorum statu ad Sacerdotium elevati fuerint, inferioribus Ordinibus minime susceptis, tamen juxta Decretales Litteras Romanorum Pontificum, Siricii, Innocentii I. & Leonis Magni, Clerici Latini Sacerdotes non possunt ordinari, nisi per cæteros inferiores Ordines, quasi totidem gradus, ad Sacerdotium sibi viam aperuerint.

q. 35. Suppl. a. 5.

Diss. 8. q. 8. c. 4.

Decrevit itaque Tridentina Synodus, ut si quis *promoveatur per saltum*, si unquam *non ministraverit*, *possit Episcopus cum eo dispensare*, & ipsi prætermissum Ordinem conferre. Ex quo colligitur, Clericum, qui ordinatur *per saltum*, immediate *suspensionem* incurrere, aliter opus non esse *Dispensatione*; & Episcopum, Clericum illum posse absolvere, ipsique Ordinem omissum conferre, dummodo non ministraverit; si vero ministraverit, solum Pontificem posse ipsum dispensare, & absolvere.

Sess. 23 de Refor. cap. 14.

Quamvis autem Doctores omnes conveniant, validas semper esse Ordinationes, quæ fiunt *per saltum*, Episcopatum tamen excipiunt, cui Sacerdotium necessario est præmittendum. Etenim, posito etiam quod Episcopatus sit Ordo diversus a Sacerdotio, ut propugnant quidam gravissimi Theologi, Recentiores præsertim, fatetur tamen unusquisque, Episcopatum summum esse Sacerdotii apicem, & complementum, propptereaque per se ipsum conferre non posse potestatem conficiendi, & consecrandi corpus, & sanguinem Christi.

V. Berti de Theol. Disc. lib. 36. cap. 9.

L'Hermen. de Ord. cap. 12.

Sexto loco requiritur, ut licita sit Ordinatio, *titulus Clericalis*. Per plura Sæcula mos fuit Ecclesiæ, neminem ad Ordines

nes admittere, qui alicujus Eccleſiæ ſervitio ſe peculiariter prius non addixerit, ubi, ſacras functiones exercendo, haberet de fructibus Eccleſiæ, unde ſe decenter honeſteque poſſet ſuſtentare. Nemo igitur tunc ordinabatur, qui Eccleſiaſticum titulum non haberet. Hæc Eccleſiæ Diſciplina, declinante duodecimo Sæculo, cœpit immutari, in quo per Concilium Lateranenſe III. vagis Ordinationibus quaſi aditus patefactus fuit; in eo enim decretum eſt, quod *Epiſcopus, ſi aliquem* ſine certo titulo, de quo neceſſaria ad vitam percipiat, *in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu neceſſaria ei ſubminiſtret, donec in aliqua ei Eccleſia convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet; niſi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de ſua, vel paterna hæreditate, ſubſidium vitæ poſſit habere.*

S. Thom. de vet. & nov. Diſc. p. 2. lib. 1. c. 9. Seſſ. 21. de Ref. cap. 2.

Exinde initium habuit, vigente hujuſmodi Decreto, conſuetudo ordinandi Clericos ſub titulo Eccleſiaſtico, vel Patrimoniali; quem uſum confirmavit Tridentina Synodus, ſtatuens, *ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere. Id vero Beneficium reſignari non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere commode poſſit; & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium vero, vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; eo quoque prius perſpecto, Patrimonium illud, vel Penſionem vere ab eis obtineri; taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſubſtentandam ſatis ſint; atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere poſſint, antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.*

In Cap. cum ſecundum tit. de Præb.

Hinc Theologi, aſſerente Proſpero Fagnano celebri Canoniſta, id confirmatum fuiſſe a Sacra Concilii Congregatione an. 1610. unanimi ore contendunt, ut ii, qui, nullo requiſito titulo, Epiſcopum fraudolenter decipientes, ordinati ſunt, ipſo facto per Sacros Canones ſuſpenſionem incurrant; propter eaque ineptos fieri ad Ordinum miniſteria exequenda. Si vero abſque titulo ordinati ſint bona cum fide & conſenſione Epiſcopi, nullam pœnam ſubibunt. Immo ex Decreto Innocentii III. tenetur

Cap. cit.

tur Epiſcopus, vel qui ipſi ſucceſſerit, eis neceſſaria ad ſuſtentationem ſuppeditare, donec ipſi Beneficium Eccleſiaſticum conferatur, cujus fructibus commode, & honeſte vivere poſſint.

Octava & ultima conditio, omnium neceſſariſſima, quæ ſi deſit, licita eſſe non poteſt Ordinatio, eſt *Vocatio*. Hoc nomine intelligimus actum ſupernaturalis Providentiæ, qua per Divinam gratiam quidam inter homines præ aliis eliguntur, & ad Eccleſiaſtica miniſteria peragenda deſtinantur. Quantum neceſſaria ſit hujuſmodi *Vocatio*, ſatis teſtantur Sacræ Litteræ. In veteri enim Teſtamento, Deo ſic diſponente, ex ſola Levitarum Tribu, undecim, aliis poſthabitis, Miniſtri ſumebantur, qui Tabernaculo inſervirent; Aaron autem, & filios ejus conſtituit Deus ſuper cultum Sacerdotii, decrevitque, ut *externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, moreretur*. Chriſtus vero in Lege gratiæ, *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*, a ſemetipſo, ut ipſe teſtatur, non venit, ſed miſſus eſt a Patre, ut *nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior Cœlis factus*; qui poſtea etiam *vocavit ad ſe, quos voluit ipſe*; eoſque in Sacerdotes elegit, *ut eſſent duodecim cum illo; & poſt hæc autem deſignavit & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem Civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus*. Verum ut intelligeret unuſquiſque, nemini licere ad Sacerdotii dignitatem aſpirare, quin ab eo ſe vocatum eſſe agnoſceret, poſtquam amanter nos admonuit, *eum, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, furem eſſe & latronem*, addidit præterea: *ego ſum oſtium; per me, ſi quis introierit, ſalvabitur*. Ad id advertens Apoſtolus, hæc ſcripſit ad Epheſios: *dedit ipſe* (nempe Deus) *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Unuſquiſque* enim *proprium donum habet a Deo; alius quidem ſic, alius vero ſic*. Neceſſaria eſt ergo *Divina Vocatio*, ut quis digne ad Sacerdotii dignitatem poſſit elevari; *non* enim *quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Tenetur igitur unuſquiſque, antequam huic tam ſublimi miniſterio ſe addicat, ſerio ſecum animo reputare, & exploratum habere, quantum homini licet, utrum Deus ad Sacerdotium ipſum revera deſtinaverit.

Lev. 3. 10. Pſal. 109. 4. Joa. 7. 28. Hebr. 7. 26. Marc. 3. 12. Ibi 14. Luc. 10. 1. Joa. 10. 1. Ibi 9. Cap. 4. 11. 12. 1. Cor. 7. 7. Hebr. 5. 4.

De ſua vero vocatione erunt quaſi certi, qui nulla alia mente, nullo

nullo alio fine, ad hujusmodi dignitatem consequendam, se motos esse, conscientia teste, agnoscunt, quam ut, Dei servitio omnino consecrati, propriæ & cæterorum Fidelium æternæ saluti liberius & plenius vacare possint. *Omnis namque*, sunt Apostoli verba, *Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis*. Tunc vero pro certo habeant, ad tale ministerium ea de causa a Deo non vocari, cum solummodo Sacerdotium appetunt, ut Patrimonio Christi laute magis, ac commode vivant, vel quia tali pacto ad sublimiores Ecclesiæ Dignitates elevari aliquando posse confidunt.

Ibi 1.

Illud præterea etiam atque etiam unusquisque consideret, utrum iis dotibus ornatus sit, quæ in Ecclesiasticis necessario requiruntur; utrum nimirum, cum jam pervenerit ad ætatem, a Sacris Canonibus præscriptam, in Scientiis, ut par est, profecerit, vitamque suam ad Evangelii normam conformaverit; deficiente enim aliqua ex istis qualitatibus, quæ ineptum ipsum redderent ad Ecclesiasticum ministerium suscipiendum, certo concludat, ad hoc officium se a Deo vocatum non fuisse. Quoniam vero de semetipso rectum ferre judicium difficillimum est; facili enim negotio, vel scrupulis agitatus, vel amore proprio deceptus, errare quisque potest; ideo, ut sibi convenientem statum eligat, rem tanti momenti, viro Pietate & Doctrina supra cæteros commendando, & præcipue ordinario suo Confessario, committat, cui profundiora conscientiæ suæ arcana sincere patefaciat.

D. com.

Postquam qualitates, conditionesque exposuimus, quæ necessariæ admodum sunt, ut licite conferatur Ordinis Sacramentum, ratio postulat, & rerum ordo, ut de Ministro quædam etiam dicamus. Non solum igitur ex Divina institutione, Laici non habent potestatem hoc Sacramentum conferendi, ut stulte asserere ausi sunt Lutherus & Calvinus, sed neque simplices Sacerdotes, uti audaciter vulgarunt Aerius & Wiclefus. Comprobatur enim & Sacrarum Litterarum auctoritate, & certissima traditione, & omnium Patrum testimonio, Conciliorumque Decretis, Sanctæque Ecclesiæ usu & consuetudine, necnon definitione Tridentini Concilii, ad Episcopum eam administrationem pertinere. Ecclesia tamen ea potestate, quæ ipsi divinitus tradita est, potest absque dubio simplices etiam Sacerdotes,

Sess. 23. cap. 4. & Can. VII.

tes, veluti extraordinarios Ministros, delegare, ad collationem saltem *Tonsuræ*, & *minorum Ordinum*.

Sane, præterquamquod hæc facultas ex variorum Conciliorum concessione Corepiscopis etiam collata fuit, qui ratione officii erant simplices Presbyteri, ex eo usque tempore, quo Concilium Nicænum Secundum habitum fuit, cœperunt Abbates, qui tamen prius *Presbyteri ordinati, & de more ab Episcopo benedicti fuerant*, hac uti facultate, qua & modo uti possunt, cum Tridentina Synodus iosis tantum prohibuerit eam exercere in Regulares non sibi subjectos; & inter plura Privilegia, quibus fruuntur Cardinales non Episcopi, & illud habent conferendi *primam Tonsuram, & minores Ordines*.

V. Berti de Theol. Disc. lib. 36 c. 13. n. 1.

Can. XIV.

Sess. 23. de Ref. cap. 10.

Cobell in Not. Card. cap. 16. priv. 1.

Verisimile quoque videtur posse simplices Sacerdotes, tanquam extraordinarios Ministros, etiam *Subdiaconatus* Ordinem administrare; tum quia id colligitur ex quadam declaratione Episcopis facta a Gelasio I., & constat ex Canone X. Concilii Antiocheni, Corepiscopos habuisse hujusmodi facultatem; tum quia Subdiaconatus, licet modo inter Majores Ordines adscribatur, tamen non recensetur inter *Gerarchicos Ordines*, nec est, uti putant varii Doctores, quod supra innuimus, veri nominis Sacramentum.

Ep. 1. cap. 8.

L' Herm. de Ord. cap. 7.

Idem etiam contra gravissimos Theologos affirmamus de *Diaconatu*, posse scilicet Romanum Pontificem simplici Sacerdoti concedere auctoritatem hujusmodi Ordinem conferendi, dummodo verum ac certum sit Privilegium concessum ab Innocentio VIII. an. 1489. Abbatibus Cistersiensibus, & Abbatibus quatuor antiquissimorum Monasteriorum, ministrandi hunc Ordinem Monacis suis; quod Privilegium (quamvis forte solo contradicendi studio quidam extare negent, quidam dubitent), si aliqua fides danda est Patri Vasquez Jesuitæ, revera adhuc existit; valde enim asseveranter illud se vidisse scribit, & legisse in Collegio Complutensium. Multo vero magis huic Opinioni adhærebimus, si pro certo habeatur, quod plerique scribunt, Generalem scilicet Cistersiensium an. 1662., consentiente Alexandro VII., Romæ, & an. 1663. Andegaviæ quosdam ex suis Monacis Diaconos & Subdiaconos creavisse. Adde præterea, plures magnæ fidei Scriptores testari, tale Privilegium a Summis Pontificibus Patribus ex Instituto Sancti Francisci in Indiis concessum fuisse.

Disp. 243. in 3. p. cap. 4.

V. Beri de Theol. Disc. lib. 36. c. 13. n. 4.

Id. ibi.

Presbyteratum vero, si quosdam paucos Theologos excipias, quos

De Sacr. Ord. p. 3. Exer. 4. c. 3. (a) q. 38. Suppl. a. 1.

quos valde commendat eruditiſſimus Morinus, omnes conſentiunt cum Divo Thoma (*a*) in aſſerendo conferri non poſſe, nec Pontificis diſpenſatione, a Presbyteris, qui Epiſcopi non ſint; contraria enim Sententia deſtituitur auctoritate Scripturarum, definitionibus Conciliorum, teſtimoniis Sanctorum Patrum, & exemplis ex Eccleſiaſtica Hiſtoria deſumptis.

Ex quo evidentiſſime concluditur, Epiſcopatum adminiſtrari non poſſe niſi a ſolis Epiſcopis; quod concedunt Theologi, & Canoniſtæ, illi etiam, qui contendunt, ſimplices Sacerdotes poteſtatem habere conferendi omnes Sacros Ordines, hujuſmodi ratione freti, *poſſe ordinatum, a Pontifice delegatum, conferre Ordinem ipſi prius collatum*, uti habetur in Gloſſ. ad Cap. *manus quoque* de Conſecr. Diſt. 5., & *Pervenit* diſt. 95. cum nullo pacto valeant ſimplices Presbyteri Epiſcopatum conferre, quem ipſi nunquam ſuſceperunt.

De Sacr. Ord. Exer. 5.

Quamvis tamen ſint Epiſcopi Ordinum Miniſtri ordinarii, habeantque ex Divina inſtitutione, vi ſacri Characteris, quo ſunt inſigniti, poteſtatem eos conferendi, adeo ut, quotieſcunque materia & forma neceſſaria utantur, & debita adſit intentio (etiamſi Ordinatio fiat ab Hæretico, Sciſmatico, Simoniaco, Intruſo, Degradato &c.), valida habenda ſemper ſit, quidquid in contrarium afferat Morinus, nihilo tamen minus, ut licita etiam ſit, unuſquiſque a ſuo ordinario Epiſcopo debet ordinari, vel ab alio cum Litteris Dimiſſorialibus proprii Epiſcopi, quæ ſic nuncupantur, quia facultatem Clericum illum ordinandi alteri Epiſcopo concedunt; ſi vero aliter fecerint, ſic ſtatuente Tridentina Synodo, unius anni ſpatio Epiſcopus ordinans ſuſpenditur ab adminiſtratione Ordinum, & Ordinatus ab exercitio ſuſceptorum Ordinum, quo uſque a ſuo Epiſcopo diſpenſetur.

Seſſ. 23 de Ref. cap. 8.

Cap. *cum nullus* tit *de temp. Ord.* in 6.

Tribus modis ex declaratione Bonifacii VIII. poteſt quis ordinarius Epiſcopus haberi, nimirum *Origine*, *Beneficio*, & *Domicilio*, & quicunque uni horum Epiſcoporum ſubjicitur, ab ipſo licite poteſt ordinari.

DD. com.

Conc. Carth. III. Can. 44.

Prax. Epiſ. p. 2. V. *Dimiſ.*

Epiſcopus *Originis* antiquitus dicebatur ille, in cujus Diœceſi Ordinandus baptizabatur; verum juxta hodiernam Eccleſiæ praxim Epiſcopus *Originis* ille dicitur, in cujus Diœceſi quis naſcitur, ſi tamen ejus parentes alibi certum, fixumque Domicilium non poſuerint. Ad hanc rem animadvertit Zerola, quod in Italia, aliter ac contingit in Gallia, ubi ad paternam originem nulla

nulla habetur ratio, ſi quis Veronæ ex. gr. naſcatur ex patre Riminenſi, pro lubitu Ordines poteſt ſuſcipere & ab Epiſcopo Riminenſi, & ab Epiſcopo Veronenſi.

Epiſcopus *Beneficii* ille dicitur, in cujus Diœceſi Beneficium aliquod quis pacifice poſſidet. Tamen ut aliquis ratione Beneficii in aliena Diœceſi licite poſſit ordinari, neceſſarium eſt, ut Beneficium illud, nulla fraude adhibita, obtinuerit. Si enim Epiſcopus ex. gr. conferret alicui quodam Beneficium ea mente, ut Clericum illum ab aliena jurisdictione ſubtraheret, ſibique ſubjiceret; vel ipſe Clericus ſibi Beneficium in aliena Diœceſi compararet, ut ſui Epiſcopi examen effugeret, & Ordinans & Ordinatus pœnas incurrerent a Sacris Canonibus inflictas, ut ſapienter advertit Proſper Fagnanus, qui aſſerit ſic ſtatutum fuiſſe in Sacra Concilii Congregatione. Hinc plures Doctores contendunt, non licere Epiſcopo, aliquem in aliena Diœceſi, vel natum, vel domicilium habentem, ordinare, qui in ſua Diœceſi tenue Beneficium poſſideat; poteſt enim facili negotio aliquid fraudis latitare.

In 4. Decr. p. 2.

Tourn. de Sac. Ord. q 4. a. 3.

50. *Cives* C. de *Incolis*.

Epiſcopus tandem *Domicilii* eſt ille, in cujus Diœceſi quis fixum ſtatuit domicilium, animo ibi perpetuo manendi. Quamvis vero, ad Matrimonium licite contrahendum, ſecundum ſententias ſaniorum Doctorum, ſatis ſit, ſi aliquis maneat alicubi cum bona fide unius anni ſpatio, etiam ſine animo ibi permanendi, tamen ad primam Tonſuram, cæteroſque Ordines ſuſcipiendos, uti colligitur ex Decreto Innocentii XII., cujus initium *Speculatores domus Iſrael*, neque ſpatium decem annorum ſufficit, niſi Ordinandus animum habeat ibi perpetuo manendi.

Hic vero animadvertendum eſt, neminem titulo Domicilii uti poſſe, niſi ante ordinationem obtinuerit teſtimoniales Litteras ab Epiſcopo *Originis*, uti definitum fuit in allata Conſtitutione *Speculatores* &c. Itaque ſi quis aliter facere auderet, pœnas certe, in eadem ſtatutas, incurreret.

Superſunt ſane multa de Miniſtro dicenda; tamen ne multus ſim, addam ſolummodo, Regularium omnium, poſtquam a Gregorio XV. retractatum fuit Privilegium a Sancto Pio V. Regularibus Mendicantibus conceſſum, quo a quocunque Epiſcopo pro lubitu ordinari poterant, illum eſſe ordinarium Epiſcopum, in cujus Diœceſi permanent; addam etiam, Epiſcopum nemini, non ſibi ſubdito, ex ſuis domeſticis Ordines miniſtrare poſſe, qui apud ipſum per tres annos non remanſerit, & ea

& ea conditione, ut ipsi, omni fraude remota, conferat aliquod Beneficium; addam tandem, quoniam vetat Tridentina Synodus Episcopis, Pontificaliter celebrare in aliena Diœcesi absque licentia Ordinarii, nullum Episcopum extra suam Diœcesim suos subditos posse ordinare, nisi Ordinarii accedat consensus.

Sess. 23. de Ref. cap. 6.

Restat tandem nobis, ad hunc Tractatum absolvendum, ut effectus Ordinis recenseamus. *Constat*, igitur, *quamvis Ordinis Sacramentum, ut antea dictum est, maxime ad Ecclesiæ utilitatem & pulchritudinem spectet, tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficere, qua idoneus habilisque, ad recte munere suo fungendum, Sacramentaque administranda, reddatur; quemadmodum etiam Baptismi gratia, quilibet, ad alia Sacramenta percipienda, aptus efficitur.*

Catech. Rom. P.II.c.7.n.33.

Aliam quoque gratiam hoc Sacramento tribui perspicuum est, præcipuam videlicet potestatem, quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum refertur; in Sacerdote quidem plenam & perfectam, ut qui Domini nostri corpus & sanguinem unus potest conficere; in aliis vero inferiorum Ordinum Ministris majorem, minoremve, quo quisque ministerio suo, magis, minusve, ad Altaris Sacramenta accedit. Atque hæc potestas etiam Character spiritalis dicitur, quod, qui Sacris imbuti sunt, interiori quadam nota, animæ impressa, ab aliis Fidelibus distinguantur, ac Divino cultui mancipentur. Ad quem Apostolus videtur spectasse, cum in sua prima ad Timotheum 4. v. 14., ait: noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. Quare *si quis dixerit, per Sacram Ordinationem non imprimi Characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.* Et hæc de Ordine satis sint, cum jam omnino attigerimus principaliora capita, quæ strictius adhuc compilabit, vel fusius explanabit, qui ea ad aliorum eruditionem & utilitatem exponet.

Id. ibi.

Trid. Sess. 23. de Refor. Can. IV.

CA-

CAPUT OCTAVUM ET ULTIMUM.

De Matrimonio.

M*Atrimonium ab eo dicitur, quod fœmina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est. Conjugium quoque a conjungendo appellatur, quod legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringatur. Præterea Nuptiæ, quia, ut inquit Sanctus Ambrosius, puderis gratia puellæ se obnuberent; quo etiam declarari videbatur, viris obedientes subjectasque esse oportere.*

Catech. Rom. P.II.cap.8.n.2.

Exposita hujus nominis Etymologia, ad verum ipsius significatum explicandum accedamus. Matrimonium *ex communi Theologorum sententia definitur:* viri & mulieris maritalis conjunctio, inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens, *Cujus definitiones partes ut planius intelligantur, docendum est, quamvis hæc omnia in perfecto Matrimonio insint, consensus videlicet interior, pactio externa verbis expressa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & Conjugum copulatio, qua Matrimonium consumatur, nihil horum tamen Matrimonii vim, & rationem proprie habere, nisi obligationem illam & nexum, qui* conjunctionis *vocabulo significatus est. Additur vero* maritalis, *quoniam alia pactionum genera, quibus viri & mulieres obligantur, ut sibi mutuam operam præstent, vel pretii, vel alterius rei causa, prorsus aliena sunt a Matrimonii ratione. Sequitur deinde:* inter legitimas personas, *quoniam, qui a nuptiarum conjunctione Legibus omnino exclusi sunt, ii Matrimonium inire non possunt, neque, si ineant, ratum est. Quod vero extremo loco positum est:* individuam vitæ consuetudinem retinens, *indissolubilis vinculi naturam declarat, quo vir & uxor colligantur.*

Id. ibi. n. 3.

Matrimonium tripliciter dividitur; aliud enim dicitur *Legitimum*, idest, secundum Leges gentium legitime contractum, non autem in Fide Christi, quale est Matrimonium Judæorum, & Infidelium; aliud *Ratum*, idest, ab Ecclesia approbatum, quod inter Christi Fideles legitime contrahitur. Primum habet vim tantum contractus; secundum vero etiam habet rationem Sacramenti. Aliud tandem dicitur *Consummatum*; quod tale est, cum perfecta fuit Conjugum copulatio. *Absit* autem, *ut, si ista non intersit, inter conjugatos vinculum conjugale solvatur; im-*

mo

mo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ carius, concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: noli timere accipere Mariam conjugem tuam. *Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus.*

Matt. 1. 20.

S. Aug. lib. 1. de Nupt. c. 11. & 12.

Fuere Hæretici Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, *qui Nuptias malas esse ac illicitas docuerunt, quamvis omnem libidinem permitterent.* Jure autem ab Ecclesia solemniter damnati fuere; aperte enim constat, Nuptias a Deo institutas fuisse, Christum præsentia sua eas cohonestasse, & Matrimonium postea ad Sacramenti dignitatem evexisse. *Si acceperis* ergo *uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccavit.*

S. Aug. de Hær.

Gen. 1.

1. Cor. 7. 28.

Plures alii Hæretici, castitatem abhorrentes, contendebant, Matrimonium omnibus & singulis præceptum fuisse a Domino, freti illis verbis: *crescite, & multiplicamini (a).* Verum dictum hoc *eo spectat, ut cujus rei causa Matrimonium institutum erat, declaret, non ut singulis hominibus necessitatem imponat.*

S. Aug. de Hær.

(a) Gen. 1. 28.

Catech. Rom. P. II. c. 8. n. 13.

Initio tamen mundi genus humanum multiplicandum quidem erat, ut ad justam multitudinem excresceret. Quare tunc præceptum erat Matrimonium singulis, ad populum Dei pertinentibus, cum populus ille multiplicandus esset filiorum procreatione, usque ad adventum Christi; eo ferme pacto, quo omnibus præceptum est, ut cibo & potu propriæ conservationi provideant. Aucto vero humano genere, & satis multiplicato, Lex Matrimonii neminem amplius cogebat; quod exemplis Josuæ, Eliæ, Elisæi, Jeremiæ, & aliorum evincitur, qui expertem Connubii vitam vixerunt, quin Legi vel naturali, vel Divinæ quidquam derogarent. Immo Deus, ut ostenderet, continentiam sibi gratam quammaxime fore, dixit Eunuchis, quo nomine juxta expositionem Sacrorum Interpretum, continentes significantur: *dabo eis, in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

S. Aug. de Nupt. cap. 13.

Isa. 56. 5.

Hinc ad Corinthios scripsit Apostolus: *de virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis . . . & qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit;* ex quibus Apostoli verbis colligitur, *bonum quidem esse nubere, matrem familias esse, sed melius esse non nubere,*

1. Cor. 7. 25.

Ibi 38.

re, quia melius est ad ipsam humanam societatem hoc opere non egere.

S. Aug. de Bon. Conjug. cap. 9.

Itaque, cum alibi ait idem Apostolus: volo igitur juniores nubere, filios procreare, matrem familias esse, *nuptiarum bonum Apostolica sobrietate & auctoritate commendat, non procreandi eis officium, quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obsequium Legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cum adjungit, & dicit:* nullam occasionem dare Adversario maledicti gratia; jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam, *ut his verbis ejus intelligamus, eas, quas nubere voluit, melius potuisse continere quam nubere, sed melius nubere, quam retro post Satanam ire; idest, ab illo excellenti virginalis, vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo, cadere, & interire. Proinde, quæ se non continent, nubant, antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voveant; quod, nisi reddant, jure damnantur.*

1. Tim. 5. 14.

Ibi 15.

S. Aug. de bon. Conjug. cap. 8.

Non quia ipsæ Nuptiæ, vel talium, damnandæ judicantur; sed damnatur propositi fraus; damnatur fracta Voti fides; damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore. Postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Si quis ergo *dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit.* Rursus *si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto; & oppositum nihil aliud esse quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari.*

Id. ibi cap. 9.

Trid. Sess. 24. Can. X. IX.

Hinc quisque facili negotio intelligit, quam impie Jovinianistæ, sic a Joviniano, sceleratissimo Monaco, nuncupati, Virginum Claustralium, & aliorum continentium merita castitatis conjugalis merito æquarent. Ex quo factum est, quod Romæ, ubi impium hoc Dogma vulgatum fuerat, plures Virgines, Deo dicatæ, nec pudore, nec conscientiæ stimulis impeditæ, Votum frangere, & Matrimonium inire non timuerunt. Hic tamen error adeo execrandus egregie pluribus in locis suorum

S. Aug. Hær. 28.

rum

rum Operum a Divo Auguſtino, & etiam a Divo Hieronymo confutatur.

Alii impii homines pluralitatem uxorum licitam voluerunt. Exemplum hujus rei habemus in Lamecho, ſeptimo ab Adam ex deſcendentibus Cain; quem ſecuti ſunt Gentiles, qui tamen plures uxores quærebant, ut concupiſcentiam ſuam explerent; qui mos valde obtinuerat in Meſopotamia Iſaac ætate, cum conſtet ex Sacra Scriptura, duas Labani filias, Liam & Rachelem, Jacob nupſiſſe. Hæc, & ſimilia exempla, ex Sacris Litteris deſumpta, in cauſa fuerunt, cur Polygamia inter Fideles quoque invaluerit. Sed *ii de ſuis nuptiis filios propter Chriſtum quærebant, ad genus ejus ſecundum carnem diſtinguendum ab omnibus Gentibus; ſicut Deo diſponere placuit, ut præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod prænuntiabatur ex quo etiam genere, & ex qua etiam Gente eſſet in carne venturus.*

Gen. 4. 19.

S. Aug. de bon. conjug. cap. 19.

Tunc vero *quando mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra Præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob. Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa, illis mulieribus utebatur; ſi morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur; ſi Præceptum, nulla Lege prohibebatur. Nunc vero cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia moribus, & Legibus hoc non licet?*

Id. lib. 22. cont. Fauſt. cap. 43.

Ideo tamen dicimus Polygamiam tunc naturæ non fuiſſe contrariam, non quia ei eſſet conſentanea, ſed quia tunc Lex naturæ reputabatur neceſſitas humani generis propagandi; & quia hoc fine veteres Patriarchæ duas uxores habebant, non peccabant; peccabant vero Gentiles laſciviendi tantum animo Polygami. Hinc *in habitu caſtitatem habebat Abraham, qui unicum prolis pignus, propter quod Nuptiæ caræ ſunt, potuit intrepidus immolare propter Regnum Cœlorum.*

V. S. Tho. in 4. diſt. 33. q. 1. a. 2.

S. Aug. de bon. conjug. cap. 20.

Et illud inſuper animadvertendum eſt, quod *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; ſimiliter & uxor.* Si ergo *uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius eſt, ipſa retenta. Si quis* ergo *dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina eſſe prohibitum, anathema ſit.*

Marc. 10. 11. Cap. gaudeamus tit. de Divort.

Trid. Seſſ. 24. Can. XI.

Reperti ſunt alii Hæretici, Montaniſtæ ſcilicet & Novatiani,

ni, qui docuerunt, mortua prima uxore, aliam ducere illicitum eſſe. Sed *dico*, inquiebat Apoſtolus (a), *non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Mulier* (idem dicendum de marito) *alligata eſt Legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt a Lege; cui vult nubat; tantum in Domino.* Fuſe de hac re Auguſtinus lib. *de Bono Vid.* Aliqua ab Eccleſia ſancita circa Bigamos apud Hiſtoricos Eccleſiaſticos legi poterunt.

V. Tertul. lib. de Monog.

(a) 1. Cor. 7. 8 9.

Quoniam vero Matrimonium duplicem rationem habet; poteſt enim conſiderari, vel ut naturalis conjunctio, quæ quidem non ab hominibus, ſed ab ipſa natura invena fuit, vel ut Sacramentum, cujus vis materialium rerum conditionem ſuperat, cum ipſum jam uſque modo, ut naturale Conjugium, conſideraverimus, quædam nunc addemus de eodem uti Sacramento. *Quemadmodum* igitur *Matrimonium ut naturalis conjunctio ad propagandum humanum genus ab initio inſtitutum eſt; ita deinde, ut populus ad veri Dei, & Salvatoris noſtri Chriſti, cultum, & Religionem procrearetur, atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa eſt.*

Catech. Rom. P. II. c. 8. n. 15.

Id. ibi.

Et ſane *cum Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt; adverſus quam impii homines hujus Sæculi inſanientes, non ſolum perperam de hoc venerabili Sacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata conſuetudine, aliena, ſcripto & verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſti Fidelium jactura.* Quapropter *ſi quis dixerit, Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia invectum, neque gratiam conferre, anathema ſit.*

Trid. Seſſ. 24.

Id. ibi Can. I.

Præterea *gratiam illam, quæ naturalem illum amorem conjugum perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit;* per quam gratiam fit, ut vir & uxor, mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcat, alienoſque & illicitos amores non quærat; ſed *in omnibus ſit honorabile connu-*

Id. ibi.

Hebr. 13. 4. *bium*, *& thorus immaculatus*. Fit etiam, ut Matrimonium, S. Aug. de bon. Conjug. cap. 3. in remedium concupiscentiæ institutum, ipsam refrænet, & coerceat; Christianique conjuges quærant prolem, non tantum, Id. lib. 1. de Nupt. cap. 17. quæ nascatur mundo, sed quæ renascatur, & reviviscat Christo; fidemque sibi invicem servent. Id. ibi. *Legendum est ad hanc rem cap. 26. lib. de Virgin. D. Augustini.*

Docendi porro sunt Fideles, tria esse Matrimonii bona, Prolem, Fidem, Sacramentum, quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quæ Apostolus indicat his verbis: tribulationem carnis habebunt ejusmodi, 1. Cor. 7. 28. *efficiturque, ut conjunctiones corporum, quæ extra Matrimonium merito damnandæ essent, cum honestate conjunctæ sint.* Catech. Rom. P. II. c. 8. n. 23.

Primum igitur bonum est Proles, hoc est liberi, qui ex vera & legitima suscipiuntur uxore. Id enim tanti fecit Apostolus 1. Tim. 2. v. 15. ut diceret: salvabitur mulier per filiorum generationem. *Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam & disciplina, qua filii ad pietatem erudiuntur, intelligendum est. Sic statim cap. 13. v. 24. subdit Apostolus:* si in Fide permanserint. *Monet enim Scriptura Prov. 13. v. 24.:* Filii tibi sunt? Erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Idem etiam Apostolus docet Eph. 6. v. 4., *ejusque institutionis pulcherrima exempla Tobias, Job, & alii Sanctissimi Patres in Sacris Litteris præbent.* Id. ibi.

Sequitur Fides, quod est alterum Matrimonii bonum, non ille virtutis habitus, quo imbuimur, cum Baptismum percipimus, sed fidelitas quædam, qua mutuo vir uxori, & uxor viro, se ita obstringit, ut alter alteri sui corporis potestatem tradat, sanctumque illud conjugii fœdus nunquam se violaturum polliceatur. Id facile colligitur illis verbis, quæ a primo Parente (Gen. 2. v. 24.) *enuntiata sunt,* cum *Evam uxorem suam accepit, quæ deinde Christus Dominus in Evangelio* (Matt. 19. v. 5.) *comprobavit;* quare relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; *item ex eo Apostoli 1. Cor. 6. v. 4. loco:* mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. *Quare optimo jure gravissimæ animadversiones a Domino in adulteros, quod hanc fidem maritalem frangant, in veteri Lege constitutæ erant.* Id. ibi n. 24.

Postulat præterea Matrimonii Fides, ut vir & uxor singulari quodam, sanctoque, & puro amore conjuncti sint, neque ut adulteri inter se se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam.

Hanc enim regulam Apostolus Ep. 5. v. 25. præscripsit, cum ait: viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, *quam certe immensa illa charitate, non sui commodi gratia, sed sponsæ tantum utilitatem sibi proponens, complexus est.* Id. ibi.

Tertium bonum Sacramentum appellatur, vinculum scilicet Matrimonii, quod nunquam dissolvi potest. Nam, ut est apud Apostolum 1. Cor. 7. v. 10. & 11.: Dominus præcipit, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat. Si enim Matrimonium, ut Sacramentum est, Christi conjunctionem cum Ecclesia signat, necesse est, ut Christus se nunquam ab Ecclesia disjungit, ita uxorem a viro, quod ad Matrimonii vinculum attinet, separari non posse. Verum ut hæc sancta societas sine querela facilius conservetur, viri & uxoris officia, quæ a Sancto Paulo, & a Principe Apostolorum Petro descripta sunt, tradenda erunt. Id. ibi n. 25.

Ergo viri munus est, uxorem liberaliter & honorifice tractare. Qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo (Gen. 3. v. 12.) *sociam appellatam esse, cum inquit:* mulier, quam dedisti mihi, sociam. *Cujus rei causa aliqui Patres factum esse docuerunt, ut ea, non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur; quemadmodum etiam ex capite condita non est, ut se viri Dominam non esse intelligeret, sed vero potius subjectam. Decet præterea virum in alicujus rei studio semper occupatum esse, tum ut ea suppeditet, quæ ad familiam sustinendam necessaria sunt, tum ne incerto otio languescat, a quo omnia vere vitia fluxerunt. Deinde vero familiam recte constituere, omnium mores corrigere, singulos in officio continere.* Id. ibi. n. 26.

Quænam vero *sint uxoris partes, Princeps Apostolorum enumerat* (1. Pet. 3. v. 1. & seqq.), *cum inquit:* mulieres subditæ sint viris suis, ut, & si, qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrefiant, considerantes in timore sanctam conversationem vestram, quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. *Earum quoque præcipuum studium sit, filios in Religionis cultu educare, & domesticas*

ticas res diligenter curare. Domi vero libenter se contineant, nisi necessitas exire cogat, idque sine viri permissu facere nunquam audeant. Deinde, in quo maxime maritalis conjunctio sita est, meminerint, semper secundum Deum magis, quam virum, neminem diligendum esse, eove pluris faciendum esse neminem; cui etiam omnibus in rebus, quæ Christianæ pietati non adversantur, morem gerere, & obtemperare summa cum animi alacritate oporteat.

Id. ibi n. 27.

Sed ut eo redeamus, unde discessimus, Quæstio est inter Theologos, an Matrimonium, per Procuratorem inter Fideles absentes contractum, sit vere Matrimonium. Sunt argumenta pro utraque parte, quæ æque probabilem reddunt utramque Opinionem. Quamobrem consultius erit, ut, qui Matrimonium ita contraxerunt, coram positi contractum ratum faciant, iterata etiam Benedictione nuptiali, ne forte contractus interruptus fuerit, & Sacramenti ratio desit. Id vero fit admodum necessarium, si inscio Procuratore, facultas ipsi concessa, forte subtracta fuerit; hoc enim in casu Matrimonium, a Procuratore confectum, non solum non haberet rationem Sacramenti, sed invalidum omnino esset.

Cap. Procurator. tit. de Procur. in 6.

Dubitant secundo loco Theologi assignantes, quænam sit *materia*, quænam *forma*, quæ Matrimonii essentiam constituant. Quidam ex iis propugnant, utrumque contrahentium esse Ministrum hujus Sacramenti, affirmantque, *materiam* hujus Sacramenti sitam esse in interiori contrahentium consensu; alii vero volunt, hujusmodi Sacramenti *materiam* esse eorum corpora; sunt etiam, qui contendunt, verba, sive nutus, diversimode consideratos, *formam* simul & *materiam* Matrimonii constituere; ii tandem, qui necessarium Ministrum hujus Sacramenti Sacerdotem esse propugnant, statuunt, legitimum contractum civilem esse *materiam*, verba vero *ego vos in Matrimonium conjungo*, vel alia hujusmodi, juxta receptum cujusque Provinciæ ritum, esse *formam*.

V. Ivenide Sacr. Dissert. 12. q. 21.

Præterea an Summus Pontifex, Matrimonium legitime contractum, ratumque, etsi non consummatum, dirimere possit, disputant Theologi. Martinum V. & Eugenium IV. hujusmodi concessisse dispensationes refert Sanctus Antoninus, qui ait: *qui Pontifices non sunt condemnandi, sed nec consulendum est alicui, ut procuret talem dissolutionem, sive dispensationem, cum Theologi videantur tenere, quod non possit dissolvi, nisi per ingressum Religionis*,

3. par. tit. 1. cap. 21. §. 3.

Quidquid vero sit de hujusmodi Controversiis, in quibus quilibet potest pro lubitu opinari, ut nos ea solummodo, quæ certa, immo Dogmata sunt nostræ Religionis, referamus, certum admodum est, *licere, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire; quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in Sæculo remanere. Si quis* ergo *dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Cap Verum Extra de Convers. Conjug.

Hinc Ecclesia recenter conjugatis, ante consummationem Matrimonii, duos Menses concedit, ut serio cogitet uterque de electione Religiosi status. Ex quo fit, quod mortaliter peccaret, qui intra tale temporis spatium vi, vel conjugem tentaret, vel Matrimonium consummaret; hoc enim tempore neuter conjugum cogi potest ad consummationem Matrimonii.

Cap. ex publico Extra de Conv. Conjug.

DD. com.

Quod si alter conjugum hoc tempore a mundo recedere statuat, & Religiosum habitum induere, tantum post solemnem ipsius Professionem potest alter novum contractum inire. Animadvertit enim Divus Thomas, quod ille *non intelligitur mortuus Sæculo per Religionis ingressum, nisi Professionem emiserit; & ideo usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua expectare.*

In 4. dist. 27. q. 2. a. 3. q. 3. ad 2.

Hujusmodi Menses tunc incipere, cum incipit Matrimonium esse ratum, conveniunt Moralistæ. Quo tempore elapso, alter conjugum, qui, simulans Religionem aliquam se velle ingredi, cum altero cohabitare, ipsique matrimoniale debitum reddere recusaret, cogi potest a Superiore ecclesiastico, consideratis circumstantiis, statutoque tempore, adhibitis etiam severioribus Censuris, ut vel Religiosum statum illico amplectatur, vel matrimoniali debito cum altero satisfaciat.

DD. com.

Ex quibus omnibus usque modo allatis colligitur, Matrimonio jam consummato, solvi amplius non posse illud vinculum, quod ex Divina institutione est penitus indissolubile. *Iis* igitur, *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, & similiter virum ab uxore. *Mulier* enim (idem dic de viro) *alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat.*

Matt. 19. 6.

1. Cor. 7. 11.

Ibi 30.

Hinc concluditur contra recentiores Sectarios, Lutherum & Calvinum, nullo modo evadere posse licitam solutionem Matrimonii jam consummati. *Si quis* igitur *dixerit, propter Hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* Simili modo *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimisso adultero, alteri nupserit, anathema sit.*

Trid. Sess. 24. Can. V. & VII.

Permittitur tamen aliquando a Lege, dummodo, ut superius diximus, intactum semper maneat Matrimonii jam consummati vinculum, Divortium, sive separatio inter conjuges quoad thorum & cohabitationem, adeo ut, *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit.*

Id. ibi Can. VIII.

Dubitari sane non potest, Christum concessisse aliquam separationem inter conjuges ob adulterium, cum Discipulos suos hisce verbis allocutus est: *ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Dominus igitur *dimittere uxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei, qui non servavit.*

Matt. 5. 32.
Id. 19. 9.
S. Th. in 4. dist. 35. q. 1. a. 1.

Non abs re erit hoc loco animadvertere, *fornicationis* nomine, a Christo usurpato, intelligendum esse quemcunque illicitum concubitum, quo alter conjugum carnem suam dividit, contra fidem alteri datam. Quemadmodum enim *furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, ita profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque omnium illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.*

V. Potest. Tom. 1. p. 4. cap. 10.
S. Aug. in cap. 23. Deut. q. 37.

Quoniam vero adulter ob patratum crimen libertatem amittit exigendi matrimoniale debitum a conjuge innocente, conveniunt Canonistæ, innocentem, reo etiam renuente, posse perpetuam castitatem vovere, & Religiosum habitum induere; quod si forte exequatur, ipse certe se retexere amplius non potest; nec alteri potest se rursus conjungere. Contra vero reus, donec alter suo juri, quod in ipsum habet, non renuntiaverit, statum ullo modo non potest immutare, vel continentiæ votum eliciendo, vel Religiosum habitum induendo. Quod si ex Judicis decreto mulier in aliquo Cœnobio includatur, per duos annos licet marito eam revocare, & invalida habetur ejusdem Professio; elapso tamen biennio, fieret valida; marito enim hoc temporis spatio non contradicente, censendum est, silentio suo ejus Professionem approbavisse.

Cap. gaudeamus de Conv. Conj.

Notandum tamen est, permitti quidem separari conjuges invicem ob adulterium, non præcipi. Hinc docent communiter Doctores, solummodo necessariam videri hujusmodi separationem, cum reus nullum præbeat emendationis argumentum; vel cum nullo alio pacto tolli possit suspicio, quod innocens particeps fuerit incontinentiæ alterius; vel cum subversionis immineat periculum; vel filii mali aliquid possint ediscere. Cæterum non tenetur innocens a reo abesse; immo rem magnificentissimam aget, Deoque gratissimam, si gravissimæ injuriæ immemor, uti admonet Apostolus, se cum eodem rursus reconciliabit, & conjunget. Et sane *cur vir Fidelis non recipiet uxorem, quam recipit Ecclesia? Aut cur uxor viro adultero, sed pœnitenti, non ignoscet, cui etiam ignovit Christus?*

V. Tourn. de Matr. Con. 3. de Div.
1. Cor. 7. 11.
S. Aug. lib. 2. de adult. conjug. cap. 6.

Verum plures etiam sunt Casus, in quibus vir ab uxore, quamvis adultera, separari nequit. Sunt autem, qui sequuntur, quos recensent communiter omnes Theologi. Ac primo quidem, si ejusdem criminis uterque sit reus; *nihil enim iniquius est, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari.* Secundo si maritus conjugis adulterio assensum præbuerit. Tertio si adulterium fuerit involuntarium, quod vel vi fuerit coacta, vel aliquis dolose in mariti locum se obtruserit. Quarto si maritus aliquo pacto conjugis adulterio occasionem præbuerit, vel ei negando necessaria alimenta, vel eam de domo pellendo, vel cum ipsa severe & aspere conversando. Quinto si post adulterium in gratiam cum ipsa redierit, eamque rursus domi susceperit, & ad thorum vocaverit. Sexto si maritus continenter vivere non possit, & ideo adsit periculum, quod & ipse in adulterium labi possit. Septimo si uxor convenientia emendationis & pœnitentiæ dederit argumenta, &, nisi a marito recipiatur, æterna ejusdem salus possit periclitari; ea enim misericordia uti debet vir erga uxorem, quam a Di-

Id. de bon. Conjug. cap. 7.

Divina Clementia sibi poscit, ac desiderat. Octavo si maritus, dum infidelis erat, alia de causa, quam ob adulterium uxorem suam repudiavisset, & ipsa, matrimonio cum alio inito, Catholicam Religionem amplexa fuisset; non enim, sic definiente Cap. gaudemus de Div. Innocentio III., adulterii rea haberi debet uxor illa, quæ alio vinculo se obstrinxit, quod a Lege permissum erat.

Alia vero de causa licita esse potest separatio conjugum quoad thorum, & cohabitationem, *quando* scilicet *unus conjugum trahit alterum ad crimen, ita quod, licet non cogatur peccare, tamen propter periculum suæ fragilitatis, ne conjugalis societas ipsum pertrahat ad peccatum, tenetur ad illud:* si oculus tuus dexter Matt. 5. 29. scandalizat te, erue eum, & projice abs te; *si enim cum periculo corporis non tenetur manere, multo minus cum periculo animæ; & sicut non tenetur propter periculum infidelitatis cohabitare cum infideli, ita nec propter periculum aliorum criminum,* S. Anton. 3. p. tit. 1. de Divor. §. 7. *licet ad nullum possit cogi . . . quia invito aufertur vita corporis, non animæ.*

Ob ea vero *crimina, ex quibus alteri conjugum nullum probabiliter imminet periculum animæ, vel corporis, Divortium fieri* Id. ibi. *nequit.* Dixi: *nullum probabiliter imminet periculum animæ, vel corporis; si* enim *tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti* Cap. litteras tit. de restit. spol. *non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet illa restitui, sed ab eo potius amoveri.*

Possunt tandem conjuges invicem separari quoad thorum propria privata auctoritate, quemadmodum plures Sancti laudabiliter olim egere, a Deo moti, cujus amore accendebantur; quoad domicilium vero attendenda est determinatio proprii Ordinarii, qui ipsis indulgere non debet, nisi prius conjugum ætatem, conditionem, eorum vivendi modum attente consideraverit, ut tali pacto facilius quodcunque scandalum, vel aliud gravissimum malum, amoveatur. Optimum tamen erit, ut conjuges, præsertim si juniores sint, nunquam hoc capiant consilium, nisi prius cum suarum animarum Rectoribus rem sincere commu- DD. com. nicaverint.

Verum, ut modo ad efficientem causam Matrimonii veniamus, ipsa consistit in mutuo consensu per verba de præsenti expresso. *Non enim Matrimonium est simplex donatio, sed mutua pactio; atque ita fit, ut consensus alterius tantum ad Matrimonium conjungendum satis esse non possit; sed duorum inter se mutuum esse oporteat, atque ad declarandum mutuum animi con-*

sen-

sensum verbis opus esse perspicuum est. Si enim ex interiori tantum consensu, sine externa aliqua significatione, Matrimonium constare posset, illud etiam sequi videretur, ut, cum duo, qui disjunctissimis, & maxime diversis in locis essent, ad nuptias consentirent, antequam alter alteri voluntatem suam, vel litteris, vel nunciis, declarasset, veri & stabilis Matrimonii lege conjungerentur, quod tamen, a ratione, & sanctæ Ecclesiæ consuetudine, & Decretis alienum est. Catech. Rom. P. II. cap. 8. n. 5.

Recte autem dicitur oportere, ut consensus verbis exprimatur, quæ præsentis temporis significationem habeant. *Nam, quæ futurum tempus indicant, Matrimonium non conjungunt, sed spondent. Deinde, quæ futura sunt, nondum esse perspicuum est; quæ vero non sunt, parum, vel nihil firmi, aut stabilis habere existimandum est. Quare nondum connubii jus in eam mulierem quisquam habet, quam se in Matrimonium ducturum esse pollicetur; nec statim ab eo impletum est, quod se facturum promisit, tametsi fidem præstare debet, quod si non faciat, violatæ fidei reus esse convincitur. At vero, qui Matrimonii fœdere alteri jungitur, quamvis postea pœniteat, tamen, quod factum est, mutare, irritumque & infectum reddere non potest. Cum itaque Connugii obligatio nuda promissio non sit, sed ejusmodi abalienatio, qua re ipsa vir mulieri, & vicissim mulier viro corporis sui potestatem tradit, idcirco necesse est verbis, quæ præsens tempus designant, Matrimonium contrahi, quorum verborum vis etiam, postquam enuntiata sunt, permanet, virumque & uxorem indissolubili vinculo constrictos tenet.* Id. ibi n. 6.

Sed aliquando verborum loco tum nutus & signa, quæ intimum consensum aperte indicent, satis ad Matrimonium esse possunt; tum ipsa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur. Id. ibi n. 7.

Hinc intelligit unusquisque, quod, *si sit consensus exterior sine interiore, non est Matrimonium secundum virtutem, nec secundum Divinum judicium, nec secundum conscientiæ forum.* S. Bonav. in 4. dist. 27 q. 1. a. 1. *Sicut si quis ablutionem perciperet exteriorem, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.* S. Th. in 4. dist. 27. q. 1. a. 1.

Quod licet certum admodum sit, in Ecclesiæ tamen Foro, ad quam pertinet judicare secundum allata & approbata, quando defectus interioris consensus manifestus non fiat exterius per dolosa verba, cum alter conjugum asserit, se non habuisse hu-

 jusmo-

jusmodi interiorem consensum, ipsius testimonio fides non datur, nec Matrimonium nullum unquam declaratur. *Donec* enim, inquiunt communiter Doctores cum Divo Thoma, *contrarium demonstrari non possit, præsumptio stat pro valore Matrimonii. Nimis enim indignum est juxta legitimas Sanctiones, ut quod sua quisque voce lucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat ore testimonium infirmare.*

Loc. cit.

Cap. per tuas tit. de prob.

Et sane si unicuique asserenti, se, Matrimonio jam inito, simulate assensum præbuisse, Ecclesia, clausis ut ita dicam oculis, quin alia argumenta veritatem hujus assertionis probent ac confirment, libertatem concederet novum Matrimonium contrahendi, quis non videt, quod ipsa tali pacto familiarum perturbationibus, publico cum damno, & sui ipsius ruina, aditum certo aperiret? Ecclesia igitur, quin adsit fortissima & apertissima ratio, eos audire non debet, qui propriis verbis & actionibus contradicunt. Proptereaque Episcopi, ut perniciosissimus hic abusus penitus amoveatur, eos severe puniant, qui in gravissimum hoc crimen se incidisse fatentur, quo & alterum conjugem, & Ecclesiam deludere tentarunt.

DD. com.

Conveniunt tamen Doctores communiter, eum, qui tali fraude usus est, debere rursus, servatis ritibus, quos Ecclesia præcipit, inire Matrimonium cum ea, cum qua prius simulate contraxerat, nisi ea forte occurrant, quæ ipsum ab hoc eximant; uti ex. gr. si, postquam uni simulate nupserat, cum altera sincere nupsisset. Statuunt enim Sacri Canones, hoc in casu nec posse, nec debere, sine gravissimo animæ suæ detrimento, secundam uxorem relinquere, ut ad primam redeat, etiamsi ad id ab Ecclesiastico Superiore per severiores Censuras compelleretur.

Cap. inquisitioni tit. de Sent. Excom.

Neque vero, ut validum fiat Matrimonium simulate contractum, requiritur, contrahentem rursus verborum sono consensum suum exprimere. Etenim *si postea tacite consentiat, & libere, persona ligata in consensu pristino persistente, verum efficitur Matrimonium, & tunc uterque ligatus est; quia, quamvis tacitus consensus per se non sufficeret, tamen sufficeret cum expressione exteriori, quæ præcessit... Si autem utraque persona sit coacta, tunc ad hoc, quod sit verum Matrimonium, requiritur novus consensus ex utraque parte, sed non nova exterior expressio.*

S. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 7.

Quid vero dicendum, *si aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstiterit:* ego te in uxorem accipiam, si tan-

tum mihi donaveris? *Reus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiit, non acceperit in uxorem, nisi consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsequuta. Si* enim *carnalis est inter eos copula subsecuta, pro Matrimonio est præsumendum, quia videtur a conditione apposita recessisse.*

Cap. de illis Extra. de cond. appos. in Desp.

Cap. per tuas Extra. de condit. appos. in Desp.

Verum, antequam ulterius progrediar, & illud serio considerandum est, quod, *cum in Matrimonio sit quædam quasi servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad Matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis.* Hinc eos *Sancta* Tridentina *Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, Matrimonia a filiis familias, sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.*

S. Th. in 4. dist. 29 q. 2. a. 4.

Cap. 1. de Refor. Matr.

Hanc ob causam *inter cætera maxime hortandi sunt filii familias, ut parentibus, & iis, in quorum fide & potestate sunt, eum honorem tribuant, ut, ipsis inscientibus, nedum invitis & repugnantibus, Matrimonia non ineant. Nam in veteri Testamento licet animadvertere, filios a patribus semper in Matrimonium collocatos esse. Qua in re plurimum illorum voluntati deferendum esse, Apostolus* 2. Cor. 7. v. 38. *videtur etiam iis verbis indicare:* qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.

Catech. Rom. P. II. c. 8. n. 32.

Rerum ordo postularet, ut modo de usu Matrimonii verba fierent. Ne tamen forte aliquorum innocentiæ officiamus, innuimus solummodo, Matrimonium, in se spectatum, actionem esse commendandam & meritoriam, ut patet ex ipsis Domini verbis, qui, postquam formavit hominem, deditque illi mulieris adjutorium, dixit ei: *quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una;* quæ sane verba usum Matrimonii certe indicant. Quam veritatem confirmat etiam Apostolus his verbis: *honorabile connubium in omnibus; & thorus immaculatus.* Quomodo enim immaculatum appellaret maritalem thorum, nisi Matrimonii usus actio esset in se sancta, & meritoria? Quapropter videtur statui posse, quod *conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge propter thori fidem, venialem habet culpam.*

Gen. 2. 24.

Hebr. 13. 4.

S. Aug. de bon. conjug. cap. 6.

Putari fortasse *posset non esse peccatum misceri conjugi, ut fornica-*

nicationis, vel adulterii, sive cujuspiam alterius immunditiæ evitetur mortiferum malum, nisi addidisset Apostolus: hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. *Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritate fateatur?* Idem rursus repetit Augustinus aliis in locis insignium suorum Operum, & Divus Hieronymus in Cap. 5. Ep. ad Eph. & Divus Gregorius Papa 3. par. Past. cur. Admon. 28., & Divus Tho. in 4. dist. 31. q. 2. a. 3. aliique plures SS. Patres. Hinc clarissime patet, cur ab Innocentio XI. damnata fuerit sequens Propositio a pluribus Jesuitis audacissime propugnata: *opus conjugii, ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Quicunque autem, præsertim si sit Confessarius, cui maxime necessaria sit amplior harum rerum cognitio, plura desiderat, eos solummodo Theologos Canonistas & Moralistas consulat, qui Pietate, Doctrina, & Christiana modestia excellunt, cæterosque libros comburat in quibus tale argumentum impudentissime, & audacissime pertractatur.

Id. Enchir. c. 78

Explicatis igitur usque modo iis omnibus, quæ ad essentiam Matrimonii pertinent, multum sane deesset, si nihil hic traderemus de *Impedimentis*, quæ fusissime exponuntur in sua accuratissima Historia de Sacramentis a celeberrimo Patre Chardonio, Monaco Cassinensi. Hujusmodi *Impedimenta* sunt duplicis generis; quia alia Matrimonium absolute dissolvunt, & vocantur *Dirimentia*, alia Matrimonium tantum vetant, & *impedientia* dicuntur. Priora Matrimonium *illicitum* reddunt & *invalidum*, posteriora *illicitum* solummodo.

Recentiores Sectarii, Lutherus & Calvinus, eorumque Asseclæ, impie propugnant, Ecclesiam auctoritatem non habere statuendi Impedimenta Matrimonium *dirimentia*, & ab eis dispensandi, sed hujusmodi auctoritatem ad solos sæculares Principes pertinere. Dogma hoc, adeo impium & execrandum, ab alio errore, non minus nefando, dimanat, quo sibi persuadent Matrimonium rem esse humanam, politicam, & civilem. Si enim considerarent Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evectum fuisse, ipsum quoque auctoritati, jurisdictionique Ecclesiæ subjectum faterentur.

Matrimonium igitur *inquantum est officium naturæ, statuitur jure naturæ, inquantum est officium Communitatis, statuitur jure civili, inquantum est Sacramentum, statuitur jure Divino; & ideo ex qualibet dictarum Legum, Naturæ, Humanæ, & Divinæ, potest*

potest persona effici ad Matrimonium illegitima. Quare *si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere Impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Item *si quis dixerit, Causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Legentibus Gratiani Decretum, & Librum IV. Decretalium innumeri passim occurrent Canones, qui a primis usque Ecclesiæ Sæculis hanc veritatem viguisse apertissime ostendunt. Verba ergo facturi de Impedimentis Matrimonii, primum loquemur de *Dirimentibus*, postea vero de *Impedientibus*.

S. Tho. in 4. dist. 34. q. 1. a. 1.

Trid. Sess. 24. Can. IV. & XII.

Ea, quæ dirimunt Matrimonium, quatuordecim sunt, & quatuor hisce carminibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Affinis, Raptor, si Clandestinus, & Impos,
Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant.

Singulorum verborum sensus facilius intelligi poterit, postquam singula breviter exposuerimus.

Error. Cum errare sit accipere unum pro altero, *error* est judicium rationis perversum de aliquo. Duplex est; circa substantiam personæ; ex. gr. si quis Bertæ nubere volens, nuberet Franciscæ; alter est circa qualitatem personæ; ex. gr. si quis sponsam suam divitem crederet, & pauperrimam inveniret. Primus dumtaxat constituit Impedimentum dirimens Matrimonium; deesset enim liber consensus, qui necessario requiritur; ideo *Matrimonium, quod fuit inter Liam & Jacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui in errore contigit, sed ex consensu, qui postmodum accessit*. Error tamen qualitatis potest evadere Impedimentum dirimens, si qualitas sit expressa contractus Matrimonialis conditio, vel redundet in personam; idcoque error qualitatis in errorem transeat personæ.

Gen. 29. 23.

S. Th. in 4. dist. 30. q. 1. a. 2.

L'Hermen. de Matr. cap. 15.

Conditio. Hoc nomine servilis ille status intelligitur, quo quis alteri adeo subjicitur, ut ab ipso vendi possit, commodari, permutari &c. Hæc irritat Matrimonium, quando alter Conjugum, contrahens Matrimonium, alterum, qui est servus, liberum supponit.

Cap. fin. de Conjug. serv.

Votum; scilicet solemne Castitatis per susceptionem Ordinis Sacri, vel per solemnem Professionem in aliqua Religione appro-

Trid. Sess. 24. probata. Duobus hisce Votis addendum est Votum simplex castitatis, quod elicere solebant Jesuitæ post duos priores annos Approbationis, juxta determinationem Gregorii XIII., qui præter innumera alia specialissima Privilegia, ipsis concessa, peculiari Decreto declaravit, hoc Votum esse Impedimentum dirimens, facultatem tradens ejusdem Societatis Generali ab eodem Impedimento pro lubitu dispensandi.

Cognatio. Triplex est; *Spiritalis*, *Legalis*, & *Naturalis*. *Cognatio Spiritalis* contrahitur ex Sacramentis Baptismi, & Confirmationis. Hujusmodi Cognatio ex definitione Concilii Tridentini intercedit primum inter Baptizatum, vel Confirmatum, & Baptizantem, vel Confirmantem; secundo inter Baptizatum, vel Confirmatum, & eorum Patrinos; tertio inter Baptizati, vel Confirmati parentes, & eorum Patrinos; & hæc *Compaternitas Spiritalis vocatur*. Tales Cognationes, quin ulterius extendantur, vim habent Matrimonium dirimendi. *Cognatio Legalis*, quæ primitus a Legibus civilibus est invecta, ac deinde per Sacros Canones recepta, est illa, quæ oritur ex *Adoptione*. *Adoptio* porro est actus legitimus, per quem is, qui filius non est, in filium assumitur. Hæc dirimit Matrimonium *in linea recta* usque ad quartum gradum inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes; in *Collateralibus* vero non extenditur ultra primum gradum. *Cognatio* denique *naturalis*, seu *Consanguinitas*, est vinculum personarum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. (Loc. cit.)

Quoad Consanguinitatem tria sunt consideranda; *Stipes*, *Linea*, *Gradus*. *Stipes* ille dicitur, ex quo linea ducitur, & initium distinguendi gradus desumitur; sive *Stipes* est ille, ex quo cæteri Consanguinei oriuntur. *Linea* est ordinata collatio personarum ab uno Stipite descendentium, diversos continens gradus; hinc ipsa per diversos gradus distinguitur, similitudine ex scala desumpta, in qua, per propinquiores gradus ascendendo, graduum numerus computatur. *Gradus* denique est distantia personarum, qua cognoscitur, quali pacto Consanguinei sibi invicem magis, minusve conjungantur.

Linea rursus dividitur in *Rectam* & *Transversam*, seu *Collateralem*. *Recta linea* complectitur eos omnes, qui alter ab altero recto ordine descendunt, ut filius a patre. *In linea Recta*, Stipite excepto, tot gradus computantur, quot personæ generæ numerantur. *Transversa*, sive *Collateralis*, duplex quoque est.

est. Alia *æqualis* est, easque personas continet, quæ a Stipite æqualiter distant; tales sunt fratres & sorores &c. Alia *inæqualis* est, easque personas complectitur, quæ inæqualiter distant a Stipite; tales sunt fratres & sororum filii &c. Personæ in *linea æquali* contentæ tantum inter se Consanguinitate distant, quantum distant a Stipite. In *Linea* vero *inæquali* tot gradibus alter ab altero distat, quantum, qui remotior est, distat a suo Stipite.

Præmissis notionibus hisce, vere universalibus, aliter in *linea recta*, & aliter in *Transversa*, seu *Collateralium*, dirimitur Matrimonium per Consanguinitatem. In *linea* enim *Recta* propter reverentiam, Parentibus debitam, prohibitio se extendit in infinitum, prout in Jure Civili statuitur; & quamvis in Jure Canonico, hoc non sit expressum, in dubio Jurium correctio non præsumitur; quod enim deest Juri Canonico, uti monent Canonistæ, ex Civili desumitur, & vice versa. In *Linea* vero *Transversa*, seu *Collaterali*, quamvis olim usque ad septimum gradum irrita forent Matrimonia, modo tamen juxta Decreta Concilii Lateranensis, habiti sub Innocentio III., quæ postea recepta fuerunt a Tridentino, irrita tantum habentur usque ad quartum gradum inclusive. (l. Nuptiis 53. ff. de rit. Nupt.) (Cap. de Consanguin.)

Crimen. Impedimentum est ab Ecclesia statutum; nemo enim dubitat de valore Matrimonii Davidis cum Bersabea. Duplex est; *Homicidii* scilicet, & *Adulterii*, cum tamen adsint illæ circumstantiæ, quæ per Sacros Canones exprimuntur. Quatuor igitur sunt Casus, quibus, ob *Adulterium*, vel *Homicidium*, irritum fit Matrimonium. Primo si alter Conjugum adulterium committit, promittens adultero, se Matrimonium cum ipso contracturum, si alter conjux forte moriatur. Secundo si alter conjugum alterius morti cooperatur, in mente habens inire Matrimonium cum occisore. Tertio si alter conjugum, adulterio etiam non secuto, cum occisore conspiret, animo invicem statuentes conjungendi se in Matrimonio, altero conjuge defuncto. Quod si adulterium quoque sequatur, tunc Crimen mixtum fieret ex adulterio & homicidio; propterea que difficilior esset dispensatio. Postremo si quis cum aliqua, legitime inito Matrimonio, Matrimonium contraheret, remque haberet cum alia; priore defuncta, secundæ nubere non posset, dummodo huic constaret de Matrimonio cum altera jam mortua; aliter enim posset cum adultero Matrimonium contrahere. (Cap. Relatum 31. q. 1.) (Cap. super hoc de eo, qui duxit in Matr.) (Cap. si quis vivente.) (Cap. ex litt.)

Cul-

Cultus disparitas; quæ intercedit nimirum inter baptizatum & non baptizatum. Si enim uterque sit baptizatus, & alter Catholicus, alter vero Hæreticus, Matrimonium illicitum est, non invalidum, quemadmodum declaratum fuit in Concilio Chalcedonensi. (Can. XXV.) Quinimmo in Germania, & in Belgio, ubi pluribus in locis Catholici & Hæretici simul vivunt, gravissimas ob causas hæc Matrimonia ab Ecclesia permittuntur, salvo tamen semper jure naturæ, & remoto periculo eversionis alterius conjugis Catholici, & filiorum. Hoc loco, ut res hæc magni sane momenti, majori in lumine collocetur, hortamur Episcopos, ut, quando ipsis hujusmodi Casus forte occurrunt, consulant sapientissimam Benedicti XIV. Bullam, cujus initium *Matrimonium* ad an. 1741.; hinc enim edifcent, quando nulla habenda sint Hæreticorum Matrimonia, altero eorum Catholicam Religionem amplectente; sive enim uterque conjux, sive unus tantum, sive masculus, sive fœmina, ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipiat, dummodo aliud non obstiterit Canonicum impedimentum, Matrimonium antea contractum irritum ullo modo fieri nequit. Utilissima erit etiam lectio alterius Bullæ ejusdem Summi Pontificis ad an. 1749., quæ incipit *Singulari nobis* &c., ubi agit de validitate Matrimonii inter virum Judæum & mulierem Hæreticam. Extat tandem Bulla ad eodem Summo Pontifice edita ad an. 1747., cujus exordium *Apostolici ministerii* &c. de abusu libelli Repudii, cum aliquis conjugatus convertitur a Judaismo ad Fidem Catholicam; a quibus certe eruditissimas notiones colligent, & doctrinas haurient sanissimas in praxi tenendas.

Vis; quando scilicet quis coactus, ad evitandum grave damnum, quod probabiliter timet, invitus contrahit Matrimonium. (Cap. Venien. de Sponf.) Hoc Matrimonium natura sua irritum est; deest enim interior consensus, qui, uti supra demonstravimus, necessario requiritur ad valorem Matrimonii.

Ordo. Primis Ecclesiæ temporibus Ordo Sacer erat Impedimentum solummodo *impediens*, non *dirimens* Matrimonium. Quapropter Sacerdotes, aliique Ministri, contrahentes Matrimonium, rem agebant *illicitam*, non *invalidam*, propter quam, eo quod sui Ministerii dignitatem quammaxime deturpabant, (Cap. Presb. dist. 25.) puniebantur, Sacerdotis officium ipsis abrogando. Cæterum nullibi legimus, antiquiores Pontifices, Siricium & Innocentium I., hujusmodi Matrimonia irrita declarasse. Modo tamen, pluribus ex-

extantibus Decretis Summorum Pontificum, & posterioribus Definitionibus Tridentinæ Synodi, *Ordo Sacer* recensendus est (Seff. 24. Can. IX.) inter Impedimenta *dirimentia* Matrimonium.

Ligamen. Est indissolubile Matrimonii vinculum, quo Conjuges ita sibi invicem sunt alligati, ut, utroque superstite, neuter cum alio Matrimonium contrahere valeat. Quapropter ad vitandam Polygamiam, appellans in causa nullitatis Matrimonii, aliud Matrimonium contrahere non potest, donec Judex Ecclesiasticus, causa cognita, lataque Sententia, Matrimonium irritum pronuntiaverit; alioquin Matrimonium, lite pendente, (Cap. fuas Fraternitas. Extra. de Sponf. duor.) contractum irritum est. Eamdem ob causam mulier, cujus maritus septennio, decennio, aut etiam longiori quovis tempore, absens fuerit, nubere alteri non potest, donec ipsi de illius (Cap. in præsent. Extra. de Sponf. & Matr.) morte certissime constet; & si forte de morte prioris conjugis dubitans, alterum Matrimonium contrahat, aut postea in (Cap. Dominus Extra. de fervand. nup.) eam dubitationem incidat, novo quidem conjugi, debitum exigenti, reddere tenetur, sed exigere ipsa non potest. Et si postea de prioris conjugis vita constaverit, secundum Matrimonium, licet bona fide contractum, dirimitur, & mulier Ecclesiasticis Censuris cogenda est, ut ad priorem maritum revertatur. Filii tamen nati legitimi sunt, ut docet Sanctus Raymundus lib. 4. suæ Summæ. (Ibi.)

Honestas. Hoc Impedimentum inductum fuit ab Ecclesia; significaturque hoc nomine illa *propinquitas*, *quæ ex Sponsalibus, vel Matrimonio rato, habetur inter Consanguineos utriusque Sponsi*. Primo quidem dicitur *propinquitas*, eo quod sit veluti quædam Affinitas, qua fit, ut minus decens & honestum videatur, virum aliquem Matrimonium inire cum Consanguinea illius, cum qua vel Sponsalia contraxerat, vel Matrimonium. Deinde dicitur *quæ ex Sponsalibus, vel Matrimonio rato habetur*, ad ipsam distinguendam a propria & vera Affinitate, de qua statim agemus. Additur postremo *Consanguineos utriusque sexus*; Honestas enim publica solos Consanguineos respicit. Ex Decreto tamen Concilii Tridentini, posito quod (Seff. 24. de Ref. Matr. cap. 3.) Sponsalia valida sint, Impedimentum publicæ Honestatis, quod olim usque ad quartum gradum extendebatur, modo primum gradum non excedit; hæc enim prohibitio, quoad alios, observari non potest sine gravissimo eorum damno. (L' Hermen. de Matr. cap. 15.)

Affinis. Affinitas triplex est; *Spiritalis*, *Legalis*, *Carnalis*. Prima acquiritur collatione Sacramentorum Baptismatis, &

Confirmationis; secunda oritur ex *Adoptione*; tertia definitur: *propinquitas personarum ex copula carnali proveniens, ex se non involvens consanguinitatem*. Computatio graduum in Affinitate desumitur ex regulis Consanguinitatis. Nam circa Affinitatem una est generalis regula, quod *aliquis eo gradu sit affinis alteri conjugi, quo gradu est alteri consanguineus*. In Affinitate orta ex copula licita tollitur valor Matrimonii usque ad quartum gradum inclusive; si vero copula sit illicita, usque ad secundum tantum.

Lib. 4. Decr. tit. 14. de *Cons. & Affin.*

Trid. Sess. 24. de Ref. cap. 4.

Raptus. Est *violenta fœminæ, nondum sibi desponsatæ, de loco ad locum abductio, libidinis exercendæ, vel Matrimonii ineundi causa*. Juxta definitionem Tridentini Concilii *inter Raptorem & Raptam, quandiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum potest consistere Matrimonium. Quod si Rapta a Raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat; & nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac propterea infames, omniumque Dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant*. *Tenetur præterea Raptor*, ut alibi jam diximus, *mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare*.

Loc. cit. cap. 6.

Pag. 132.

Si clandestinus. Matrimonium, in quo deest præsentia Parochi, aut duorum testium, communiter *Clandestinum* appellatur, sive occultum; quamvis olim ita etiam vocaretur, quod fiebat non præmissis Denunciationibus. Matrimonium vero, quod celebratur, præsente Parocho cum duobus testibus, celebrari dicitur in faciem Ecclesiæ. Quamvis usque ad Sæculum XIII. hæc Matrimonia valida haberentur, justissimis tamen de causis, hujusmodi contractus irritos & nullos esse decrevit Tridentina Synodus.

Cap. *cum inhibitio de Cland. desp.*

L' Hermin. de Matr. cap. 15.

Sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1.

Impos. Quamvis Nuptias, non concubitus, sed consensus faciat, ut jam superius annotavimus, tamen quia consensus de mutua corporum traditione esse debet, ideo, si quis sit impos vel ex naturali indispositione, vel ex alia ratione, contractus jure naturæ irritus est.

S. Tho. Suppl. q. 57. a. 1.

Circa hoc Impedimentum tria observanda sunt; primo ut sit impotentia ad copulam perfectam; secundo ut sit perpetua, ut scilicet, nec successu temporis, nec modo naturali ac licito, nec sine corporis periculo auferri queat; tertio ut præces-

serit Matrimonium, & non supervenerit postea ex infirmitate, vel alia causa, Matrimonio jam consummato.

DD. com.

Ut conveniens fiat periculum de hujusmodi impotentia, spatium trium annorum præscribunt Sacri Canones; quo elapso, præmissis cum omni modestia necessariis perquisitionibus, si de Impotentia certe omnino constet, Matrimonium illico dissolvitur, nisi Conjuges communi consensu simul vivere, veluti cum sorore frater, statuant; & ille Conjugum, qui illa impotentia non laborat, potest alias Nuptias celebrare.

Cap. *laudabilem* tit. *de frigidis*.

Impedimentis, quæ Matrimonium dirimunt, breviter, ut nobis proposueramus, expositis, ad explicanda Impedimenta solummodo *impedientia*, gradum facturi, animadvertimus, hæc, quæ olim duodecim numerabantur, modo quinque solummodo esse, quæ hisce versibus comprehenduntur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus Feriarum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Ecclesiæ vetitum; idest, si Summus Pontifex, vel Episcopus, aut alius Judex Ecclesiasticus, aut Parochus, interdicat alicui, ne contrahat Matrimonium cum aliqua vel ad removenda scandala, vel ad lites impediendas, vel ad dissensiones rixasque sedandas, vel ad accuratius indagandum de aliquo Canonico Impedimento, quod timeatur adesse. Si contrahatur, ratum Matrimonium est, quoties nullum *dirimens* Impedimentum revera fuerit; sed contrahens peccat graviter, eo quod Ecclesiæ mandatis male paruerit. Si vero Matrimonium vetitum fuit, quia aliquod *Impedimentum dirimens* suspicabatur, debent separari Conjuges, donec veritas liquido appareat.

Cap. *ex literis* Extra. *de Matr. contract.*

Cap. *de mulier.* ibi.

Tempus Feriarum. De hoc Impedimento egimus supra in secundo Libro, ad quem benevolos Lectores amandamus, ne eadem rursus frustra repetamus.

V. pag. 286.

Catechismus; est instructio baptizandi, solemniter a Sacerdote in janua Ecclesiæ facta, ante Baptismum, de Articulis Fidei Catholicæ credendis. Ex eo *spiritualis* oritur *Cognatio*, quæ Matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contractum. Probabile videtur, hoc Impedimentum a Concilio Tridentino sublatum fuisse, dum præscribens omnes Affinitatis Spiritalis limites, de Catechismo nullam mentionem facit.

Cap. *per Catechismum de Spir. Cogn. in 6.*

V. Sess. 24. de Ref. Matr. c. 2.

Sponsalia cum aliqua inita, nisi ipso Jure, aut Ecclesiastici Judicis sententia, solvantur, impediunt, ne Matrimonium cum altera contrahatur; contractum tamen per verba de præsenti ratum est, & validum. [V. tit. de Sponf. & Matr.]

Hoc loco animadvertendum est, *Sponsalium* nomine non semper unam eamdemque rem significari. Modo enim hoc nomen denotat Matrimonium ratum, non consummatum, & in hoc sensu dicitur in Sacris Litteris Mariam Virginem fuisse desponsatam Joseph; [Matt. 1. 18.] modo hoc nomine intelliguntur munera, quæ Sponsus futuræ Sponsæ largiri solet ante Matrimonium; quod indicavit Saul, [1. Reg. 18. 25.] quando Davidi dicenti: *ego sum vir pauper & tenuis, ut fiam Gener Regis*, respondit: *non habet Rex Sponsalia necesse*; modo tandem Sponsalia definiuntur (& hic est verus sensus, quo generaliter, & universe apud omnes accipiuntur), *promissio futurarum Nuptiarum, vera, & sincera, non simulata, libera, reciproca, & signis exterioribus expressa*. Verum hujusmodi promissio absoluta esse debet, ut illico vim obbligandi acquirat; aliter enim, si conditionata fuerit, tunc solummodo obligat, cum amplius non adest apposita conditio.

Sponsalibus contrahendis septenii ætas a Jure constituta est. [Cap. *accessit* de Desp. impub.] Si vero ante annos pubertatis fiat contractus Sponsaliorum per alios, ambo, vel alteruter, reclamare possunt; unde nihil tunc actum est; adeo ut nec Affinitas ulla ex hoc contrahatur; & ideo Sponsalia, quæ inter aliquos per alias personas contrahuntur, robur habent, in quantum illi, inter quos contrahuntur, ætatem debitam consecuti, non reclamant; ex quo intelliguntur iis consentire, quæ per alios facta sunt. [Ibi.]

Multiplici modo dissolvuntur Sponsalia, etiamsi juramento firmata fuerint. Modos octo recensent communiter Moralistæ; quamvis sint, qui plures etiam assignent. Sunt autem, qui sequuntur. I. reciprocus partium consensus. II. diuturna absentia. III. Regularis vitæ solemnis Professio in Religione approbata. IV. Susceptio Sacrorum Ordinum. V. Fornicatio alterutrius Sponsi, qui modus non valet nisi pro innocente. VI. Consanguinitas, vel Affinitas, orta post Sponsalia, etiam spiritalis. VII. Membrorum ammissio, aut incurabilis morbi interventus, veluti Paralysia, vel etiam Lepra, vel alius morbus, quo infirmus valde deformior fiat. VIII. Odium denique inter Sponsos emergens. Cæterum Sponsaliorum fidem frangere absque legitima causa lethale peccatum est.

Vo-

Votum. Ultimum Impedimentum non *dirimens*, sed solummodo *impediens* Matrimonium, est Votum simplex castitatis; illud nimirum, quod Professio Religionis approbatæ, vel Sacri Ordinis susceptio, solemne non fecit. Excipiendum tamen est, ut supra monuimus, simplex castitatis Votum, quod eliciebant post secundum Approbationis annum Jesuitæ, quod Votum, licet simplex, Privilegio admodum peculiari Gregorii XIII., ad arbitrium Generalis vim habebat irritum faciendi Matrimonium.

Supersunt modo quædam dicenda de *Dispensationibus* circa eadem Impedimenta. *Dispensatio* generatim accepta est *relaxatio Juris cum cognitione causæ, facta ab eo, penes quem est legitima relaxandi facultas*.

Ecclesiam habuisse semper auctoritatem & nova Impedimenta assignandi, & a singulis dispensandi, Christianorum nemo, solo Luthero cum suis asseclis excepto, a Tridentino solemniter anathemate percusso, negare ausus est. [Sess. 24. Can. III.] Hujusmodi veritatem maxime evincunt exempla ab Ecclesiasticis Scriptoribus passim allata, [V. Iven. Diff. 10. q. 5. cap. 2.] quæ probant manifestissime, remotioribus etiam Sæculis hujusmodi Dispensationes a Summis Pontificibus concessas fuisse; qui tamen easdem non concedebant nisi gravissimis causis adducti. Quapropter sapientissime declarat Tridentina Synodus, quod *in contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur Dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis omnino concedatur*; [Sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5.] quibus Tridentini verbis consona videntur alia Divi Bernardi ad Eugenium Pontificem verba: *ubi necessitas*, inquit, [Lib. 3. de Consid. cap. 4.] *urget, excusabilis Dispensatio est; ubi utilitas provocat, Dispensatio laudabilis est; utilitas, communis, non propria. Nam, cum nihil horum erit, non plane fidelis Dispensatio, sed crudelis dissipatio est*.

Causæ itaque legitimæ Dispensationis, convenientibus Doctoribus, circa gradus prohibitos Affinitatis, Consanguinitatis &c. sunt præsertim. I. incompetentia Dotis. II. extinctio magnæ litis. III. illustris Familiæ conservatio. IV. copula cum Consanguinea, vel Affine, vesana libidine inita, non ut facilius obtineretur Dispensatio. V. Matrimonii male contracti diuturnitas. VI. scandalum grave, aut peccatum præcavendum. VII. indotatæ puellæ miseria. VIII. excellentia meritorum. IX. copiosior pecuniarum collectio, quæ Romæ in pia opera expenditur Summi Pontificis mandato, & præsertim ad dotem pauperibus

ribus puellis constituendam; quo nomine petita Dispensatio; stylo Curiæ, vulgo dicitur *sine causa*.

Dispensatio, ad quam obtinendam supplicantes falsum exposuerunt, aut aliquid, quod in supplicatione exprimendum erat, etiam ex ignorantia tacuerunt, *subreptitia*, aut *obreptitia* nuncupatur, & penitus invalida est, ac omnino irritum facit Matrimonium, quod vi illius contrahitur. Hinc statuente, ad vitanda omnia inconvenientia, Tridentina Synodo, cautum est, ne obtentæ *Dispensationes suum sortiantur effectum, nisi prius ab Ordinariis, tanquam Delegatis Apostolicis, summarie tantum, & extrajudicialiter cognoscantur, expressas preces Subreptionis, vel Obreptionis vitio, non subjacere*.

Cap. *sub litt. de Rescript.*

Sess. 22. cap. 5.

Circa hujusmodi Dispensationes ab Impedimentis Matrimonii quærunt Theologi, utrum hujusmodi facultas solo Pontifici reservetur, vel ad Episcopos etiam extendatur. Illud certum est, hujusmodi Quæstionem a Patribus Tridentini Concilii agitatam fuisse, qui eam non judicatam reliquerunt. Nullibi enim legitur, generali Canone decretum fuisse, hujusmodi auctoritatem, exclusis Episcopis, ad unum Summum Pontificem pertinere; qui sane hujusmodi facultatem ex consuetudine, & peculiari Ecclesiæ praxi certissime tenet. Quamvis autem Patres Concilii Turonensis habiti an. 1583. Cap. 9. decreverint, Episcopos non posse dispensare in quarto gradu Consanguinitatis, & Affinitatis, quemadmodum nec in gradibus prohibitis spiritalis Cognationis, tamen in hoc, & quoad sententiam, & quoad praxim, variant Episcopi. Horum enim alii, suorum Antecessorum vestigiis inhærentes, sibi licitum putant dispensare a quibusdam Impedimentis etiam publicis sive Matrimonium contractum sit, sive sit contrahendum; alii id sibi permissum existimant solummodo, quando Matrimonium contractum quidem est, sed grave scandalum excitari possit, Conjuges publice separando; alii tandem se dispensare posse arbitrantur ab Impedimentis solummodo occultis, cum ad aliud tempus differri non possit Matrimonium, vel difficillimum sit Summum Pontificem adire. Quorum sane nemo vituperandus videtur, dummodo veterem suæ Ecclesiæ praxim sequatur.

Prax Episc. p. 1. vel. *Dispensat.*

Addimus tamen, si fides habenda est Zerolæ, juxta responsum, quod sibi de hac re roganti, Romæ datum scribit, posse absque dubio Episcopum his in Casibus ab Impedimentis, Matrimonium dirimentibus, libere dispensare. I. si Matrimonium

nium

nium fuerit contractum. II. si sit contractum, quin constaret de Impedimento. III. si Matrimonium fuerit consummatum. IV. si Impedimentum sit occultum. V. si contrahentes pauperes adeo sint, ut neque Pontificem, aut ejus Legatum adire, neque Romam scribere valeant. VI. tandem si ex separatione Conjugum timeatur grave scandalum. In aliis vero Casibus, si contrahentes pauperes sint, debet Ordinarius gratis, *in forma pauperum*, Dispensationem petere ab Apostolica Sede.

Sed hæc de Matrimonio, aliisque Sacramentis sufficiant. Cui hæc, quæ attulimus, & collegimus, satis sunt, nobiscum Deo, Patri omnium luminum, quammaximas gratias agat; qui autem plura adhuc desiderat, adeat, per nos licet, citatos Auctores, præcipue Canonistas, sapientissimum doctissimi Patris Christiani Lupi monitum præ mente semper habens: *multa perperam fieri, quia non Canones* (veræ Doctrinæ tutissimi fontes) *sed Liberculi, Medullæ, Summæ, Compendia, Epitomes, aliaque portenta Theologiæ consuluntur*.

Præf. in Dissert. ad Conc. Gen.

Finis Quarti & ultimi Libri.

ER-

		Errata	Corrige
49	lin. 1	Meleficium	Maleficium
65	12	*considerantes quo*	*considerantes quod*
85	ult.	*rebus , multam*	*rebus , multum*
174	13	*non cooparator*	*non cooperator*
ibi	31	*cur iste quæratur*	*cur iste queratur*
195	21	*naturales penetrare*	*naturales præstare*
197	16	Wiclefi Hæresi	Wicleffi Hæresi
201	15	*a naturali ad spiritalem*	*a naturali vita ad spiritalem*
206	38	Aliqua tantum	Aliquas tantum
229	18	*nihil repræhensionis*	*nihil reprehensionis*
238	30	Sæculo Nono Fotius	Sæculo Nono Photius
ibi	33	in Bulgarìa Neophitos	in Bulgarìa Neophytos
266	26	Proptereaque *in plerisque*	Proptereaque , quod *in plerisque*
268	21	*devote fiant , & pro illis*	*devote fiant , & quæ pro illis*
276	34	*si alicujus res pœniteat*	*si alicujus rei pœniteat*
284	39	a Deo re missa	a Deo remissa
325	6	*item* Neophiti	*item* Neophyti
341	12	*cujus definitiones partes*	*cujus definitionis partes*
345	12	natura invena fuit	natura inventa fuit
Tom. I. Pag. 153.	lin. 1.	Sacræ Scripturæ ,	Sacræ Scripturæ abusus ,
267	27	ferre possunt .	ferre non possunt .
270	21	exercere	exerceri .

Alia , quæ forte supersunt , Lectores benigne emendaturos & condonaturos fore speramus .

INDEX

INDEX

Rerum , quæ in hoc Secundo Volumine continentur .

A

B

R

S

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed approvazione del *P. F. Francesco Antonio Benoffi* Inquisitor Generale del Santo Offizio di *Padova* nel Libro Intitolato *Dottrina Christiana in quatuor Libros distributa*, *Auctore P. D. Gabriele Savonarola MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni Costumi, concediamo Licenza a *Gio: Battista Conzatti* Stampator *di Padova* che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 8. Agosto 1777.

(*Alvise Vallaresso Rif.*

(*Francesco Morosini 2do. Cav. Proc. Rif.*

(*Girolamo Grimani Rif.*

Registrato in Libro a Carte 349. al Num. 1022.

Davidde Marchesini Segretario.